JOH. FRID. WILH. DE NEUMANN,
in WOLFSFELD,
CONSILIARII BRANDENBURGICO-ANSPACENSIS,

REALE PRINCIPUM JUS

SIVE DE

DOMINIO ET SERVITUTE, PIGNORE ET HYPOTHECA, POSSESSIONE ET PRÆSCRIPTIONE, DOTE ET DOTALITIO ILLUSTRI COMMENTATIO.

(Tom. 4. 5. 6.)

FRANCOFURTI ad MOENUM,
Ex Officina REINHARDI EUSTACHII MOELLERI, 1752.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

Conſpectus Titulorum.

LIBER I.

DE DOMINIO PRINCIPUM.

Tit. I. De *Rerum diviſione*, & primo de immobilibus, ſpeciatimque de Palatiis Principum.

II. de Mobilibus Principum rebus.

III. de rebus incorporalibus.

IV. de publico privatoque Principis patrimonio.

V. de Principum jure in re, ſpeciatimque de dominio, ejusque origine.

VI. de *Objecto* dominii, & inprimis de maris dominio.

VII. de *modis* dominium *acquirendi*, & ſigillatim de occupatione originaria.

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

Tit. VIII. de Venatione.

IX. de acceſſione naturali & primo de fructibus naturalibus, ſpeciatimque metallicis.

X. de alluvione, inſula nata, & alvei derelictione, Principumque circa easdem jure.

XI. de acceſſione induſtriali, ſpecificatione, adjunctione &c.

XII. de incorporatione & melioratione.

XIII. de rerum derelictarum occupatione, ubi de theſauris, rebusque naufragio amiſſis.

XIV. de traditione vera, ſymbolica & ficta.

XV. de confiſcatione & occupatione bellica.

XVI. de *effectibus* dominii, in ſpecie de rei vindicatione.

XVII. de differentia dominii pleni ac minus pleni, allodii & feudi.

XVIII. de allodiis & feudis Principum Imperii.

LIBER II.

DE

SERVITUTIBUS PRINCIPUM

TUM PUBLICIS TUM PRIVATIS.

Tit. I. de Servitutibus in genere, earumque natura & diviſione.

Tit. II. de *publicis* Servitutibus.

III. de juribus perperam ad ſervitutes Juris publici referri ſolitis.

IV. de *privatis* Principum ſervitutibus, iisque realibus.

V. de ſervitutibus perſonalibus.

LIBER III.

DE
PIGNORE ET HYPOTHECA ILLUSTRI.

Tit. I. Quid a Principe valide oppignoretur?

II. Quomodo pignus conſtituatur, ſpeciatimque de hypotheca illuſtri.

III. de effectu pignoris.

IV. Quibus modis pignus tollitur?

LIBER IV.

DE
POSSESSIONE ET PRÆSCRIPTIONE ILLUSTRI.

Tit. I. de Poſſeſſione.

Tit. II. de remediis poſſeſſoriis, ubi de interdictis & pignorationibus.
III. de Præſcriptione inter Principes uſitata, ejusque fundamento.
IV. de requiſitis præſcriptionis illuſtris.

LIBER V.

DE

DOTE ET DOTALITIO ILLUSTRI.

Tit. I. Delineatio pactorum dotalium.
II. Cui & a quo dos conſtituatur?
III. de Maritagii collectis, vulgo Princeßin Steuer.
IV. Quid & quantum dotis nomine detur?
V. Quomodo dos conſtituatur?
VI. de dominio & periculo dotis.
VII. Soluto matrimonio quemadmodum dos repetatur?
VIII. de bonis receptitiis & paraphernalibus.
IX. de arrha & largitate ſponſalitia.
X. de Morgengaba.
XI. de donatione propter nuptias.
XII. de dotalitio ejusque conſtitutione.
XIII. de jure viduæ illuſtris in dotalitio conſtituto.

LIBER I.

DE
DOMINIO PRINCIPUM.

TITULUS I.
DE
Rerum divisione
& primo de
Rebus immobilibus, speciatimque de Palatiis Principum.

* * *

Inter corporales, speciatimque immobiles Principum

cipum res Palatia & Residentiæ ipsorum peculiarem sanctitatem merito sibi vindicant.

§. I.

Rerum definitio

Quid rerum nomine veniat, facilius intelligitur, quam enunciatur aut describitur. Quam ob rem in tradenda rerum definitione non admodum laborabo. Ad hanc certe, si ad ullam definitionem quadrat illud *Ciceronis* pro Cæcina: quid opus est verbis, cum res, cujus causa verba quæsita sunt, intelligatur. Vulgo quidem ajunt, res esse, quæ personis contradistinguuntur. Quo ipso sistitur conceptus mere negativus, & magis docetur, quid non sint, quam quid sint. Unde alii res describere malunt per ea, quæ in bonis esse possunt. Sed vereor, ne hæc definitio sit obscurior suo definito, cum explicatu æque sit difficile, quid sint bona, quam quæ sint res? Circulum committis, si ais bona esse, quæ contradistinguuntur personis. Imo dubito, num feliciter satis te expedias, si personas dicis membra societatis, res autem ea, quæ ad societatem sunt necessaria vel utilia. Prisci sane Romani nec liberos suos, nec servos pro societatis membris sive personis habebant, sed eos rebus mancipi annumerabant, quibus tamen hodie personarum nomen & jura haud invidemus. Non forsan errabis, si dixeris hodierno loquendi usu in sensu juridico personas idem esse, quod homines: res autem, quæcunque hominibus usum præbere possunt. * Nec contradictorium erit, servos & subditos, quatenus sunt homines & membra societatis humanæ, personis annumerare: quatenus vero societati civili utilitatem præbent, eos ad rerum classem referre, & de iis asserere, quod in bonis sint.

* Atque hoc sensu res noxiæ rerum nomen haud merentur.

§. II.

divisio.

Sunt res ratione *proprietatis* vel in patrimonio seu dominio, vel extra illud constituuntur. Conf. Tit. 4. Ratione *materiæ* aliæ corporales sunt, aliæ incorporales. * De singulis sigillatim videamus. Corporales sunt,

quæ

quæ in ſenſus incurrunt, & ſua natura tangi poſſunt: incorporales, quæ tangi non poſſunt, ſed in jure conſiſtunt. Res corporales aliæ ſunt mobiles, quæ de loco in locum ſalva natura & jure transferri poſſunt: aliæ immobiles, quæ transferri nequeunt, vel propter ſuam naturam, vel propter prohibitionem, ſeu deſtinationem, quo ſpectant mobilia ad perpetuum uſum rei immobilis deſtinata, quæ proinde juris intellectu immobilia dicuntur.

* Adhibuit hanc diſtinguendi rationem jam dum *Gajus* in L. 1. Dig. de diviſ. rer. & *Juſtinianus* Tit. Jnſt. de reb. corporalib. & incorpor. ac poſt eum JCti tantum non omnes. At diſplicet illa *Titio* ad Lauterbach. Obſerv. 34. num. 2. ubi jura ait, ſub nomine rerum incorporalium ad claſſem rerum male transferri. Nam inconcinne hac docendi ratione jus fieri objectum ſui ipſius. Parum tamen ſolidi huic ipſius rationi ineſſe, ſed laborare eandem æquivocationis fallacia, facile apparet, dummodo penſitemus, alio ſenſu jus ſumi pro diſciplina legali & regula juſti, alio vero pro facultate alicui competente eine Gerechtigkeit, ac proinde nihil obſtare, quo minus juris, pro regula juſti ſumti, objectum eſſe poſſit jus, quatenus denotat eine Gerechtigkeit. Imo Titium in verbis ſolis ludere, videbis n. 3. ſq. ubi (licet n. 2. jura ad rerum claſſem transferri noluerit) tamen facta præſtanda rebus annumerat, quæ nihil aliud, quam jura eſſe manifeſtum. Et ſane cum res denotent omnia, quæ perſonis contradiſtinguuntur, ad harum autem claſſem jura referri nequeant, plane non video, quare a communi ſententia recedi, aut jura e rerum numero eliminari debeant.

§. III.

Atque hæ differentiæ cum ab ipſa rerum natura & indole petitæ ſint, facile intelligitur, harum intuitu Principum res præ illis privatarum prærogativa nulla gaudere, ſed jura earum ſingularia aliunde, nimirum a dominii diverſitate, quatenus ſcil. res nunc publico, nunc privato dominio continentur, eſſe arcenda. Quare ubi ad hanc diſtinctionem pervenerimus, de earum juribus diverſis pluribus dicemus. Hic loci ſaltem præ- *Principum.*

mittemus jura quædam, quæ in rebus ſpectantur citra quidem habitum reſpectum ad dominii privati & publici diſcrimen, neque tamen ſolo ipſarum rerum ſed illuſtrium potius ſuorum poſſeſſorum intuitu competunt.

§. IV.

Rebus immobilibus accenſentur Reſidentiæ.

Quarum ſanctitas.

Inter immobiles Principum res præſertim attentionem merentur Palatia * ipſorum, vulgo Reſidentiæ dicta, de quorum partibus & pertinentiis vid. *Haugwiz* de Aulæ & Regni Mareſchallis pag. 361. ſq. Ea quidem, quæ de neceſſitate conſtruendi ac reparandi Imperantibus Palatia, indeque orta ſubditorum obligatione, ad eadem ſumtus pariter ac operas contribuendi, vigilias in iis præſtandi &c. dici poſſent, publici juris Doctoribus relinquimus, ** atque hic ſaltem attingimus inviolabilitatem ſeu ſanctitatem, quam non modo ſummorum Imperantium, ſed & reliquarum perſonarum illuſtrium, utut ſumma poteſtate deſtitutarum, Palatiis competere videmus. Veteres quidem Romani ſingulas quoque privatorum ædes ſanctas ac inviolabiles ideo reputarunt, quod in iis aræ penatesque conſpicerentur. Legantur, quæ hanc in rem diſſerit *Cicero* ad Pontifices pro domo ſua. Huc ſi prolabi vellemus, hodienum inter illuſtrium perſonarum Palatia pauca omnino deprehendes, quæ non ſacellis divino cultui dicatis ſint inſtructa. Hinc tamen Reſidentiarum inviolabilitatem velle arcere, & longe nimis petitum, & minus neceſſarium videtur. Ea ſiquidem illuſtrium perſonarum eſt dignitas, ut ipſis præ reliquis reverentia debeatur, cujus pars ut ad loca ipſarum habitationi deſtinata redundet, atque in iis nonniſi cum quadam morum verecundia verſari liceat, tam æquum quibusvis gentibus viſum eſt, ut peculiarem peculiaribus legibus ac conſuetudinibus ſecuritatem iis ſanxerint, & in transgreſſores ſeveras ſatis ſtatuerint pœnas.

* Quæ dicta volunt a monte Palatino, in quo Tullius Hoſtilius Rex ſedem ſuam collocavit, poſtea ad reliquos Reges & Imperatores Romanos transmiſſam.

** Sic notum eſt, pro ædificandis Principum Palatiis ædes privatas dirui poſſe, quod quandoque certis hujus illiusve populi legibus ſpecialius determinatur. Antiquo Romanorum jure publica

blica ædificia privatorum parietibus coarctari prohibebantur. L. 17. C. de oneribus publicis, & inchoandæ publicæ fabricæ gratia (ergo & Palatii) nulla domus dirui poterat sine speciali Imperatoris præscitu & autoritate, cujus pretium 50. libras argenti excederat. L. 9. C. de Operibus publicis. Hodie vero apud nos, cum jus Romanum in solis causis privatis, neutiquam autem in publicis receptum sit, ad hanc æstimationem & quantitatem præcise respiciendum haud esse, bene monet *Ahasverus Fritschius* in Comment. ad L. un. C. de Palat. & domibus dominicis, quæ ita habet: „ Consecratas nobis ædes, i. e. in„ clyta Palatia, ab omni privatorum usu & communi habitatio„ ne excipimus. Quod ita intelligo: Palatia Principum publica oneribus, aut servitutibus usus & habitationis onerari non posse, propterea quod in publico Reipubl. dominio sunt, quod nec a Principe, multo minus alio quovis potest interverti. Unde licet hodienum privatis quandoque habitationes in Principum Palatiis concedantur, illud omne tamen mere precarium, atque ad singula momenta tum ab ipso Principe, tum ejus successore revocabile cernitur. Porro cum ratio hujus dispositionis in dominio publico consistat, sponte intelligitur, ipsam hanc dispositionem in Palatiis, quæ privato Principis dominio subsunt, cessare. Quoties autem Principum Palatia vel ædificandi, vel muniendi causa, privatorum ædes diruuntur, earum æstimationem seu pretium refundendum esse recte monet *Georg. Adam. Struv.* de juribus Palatii Principalis cap. 4. qu. 3. idque ad obsidionis quoque, publicæque necessitatis casum extendit, atque contra dissentientem *Gailium* confirmat.

Sunt, qui 2. feud. 56. Palatia inter Regalia referri perhibent, ubi tamen *Hotomannus* pro voce Palatia Placia vel Placita legendum monet.

§. V.

Exemplo Romano.

Summi Pontificis, qui tamen præ aliis misericordia uti debet, Palatium talem importare securitatem, ut offendentes aliquem in eo capitaliter puniantur, testatur *Chassaneus* Catal. Glor. Mund. part. 5. Consid. 24. num.

num. 125. ubi subjicit, suo tempore cum Bononiæ in aula Julii Papæ versaretur, Gallum quendam, qui alapam cuidam dederat in Palatio Papæ, statim a Sbirreriis fuisse captum, & ductum ad Præpositum, qui ex mandato Papæ illum furca suspendi facere volebat, quod & factum fuisset, nisi Chassaneus cito ad Papam accurrisset pro obtinenda ejus gratia.

§. VI.

Germanico firmatur.

Germanorum mores Residentias communi publicaque securitate, quam Burgfrieden vulgo appellant, antiquis jam hinc temporibus munivere, quorsum pertinent, quæ habentur Land-R. Lib. 3. art. 8. Add. *Beyer.* Jur. Germ. L. 1. c. 21. pos. 18. 23. Pœna publicam hanc securitatem infringentium, violentasque manus cuidam in Residentiis infligentium, manus dextræ amputatio, & perpetua relegatio, (utpote cum manus amputatione semper conjuncta, quia manus amputatio æquiparatur fustigationi) esse consuevit. Conf. Constit. Frider. I. 2. feud. 27. §. 1. verb. si quis alium intra pacis edictum vulneraverit, manus ei amputetur. Hæc tamen pœna pro circumstantiarum ratione mitigari quandoque solet ita ut in simplicem relegationem convertatur, aut delinquenti manuum optio relinquatur. Præjudicium hujus rei vide sis apud *Carpzovium* in Praxi Criminali part. I. qu. 40. ubi nobili cuidam juveni 19. annorum A. a R. qui in arce Altenburgensi alium nobilem H. a B. percusserat, ac pugione vulneraverat, una cum manus amputatione perpetua relegatio sequentem in modum dictata legitur: So mag er von wegen solches in der Fürstl. Burg begangenen Frevels und Muthwillens, und H. a B. zugefügten Schadens, woferne man ihm in Ansehung seiner Jugend und Trunckenheit nicht Gnade erzeigen wolte, mit Abhauung einer Faust, der er am besten entrathen kan, des Landes ewig verwiesen werden.

§. VII.

Hæc sanctitas extenditur.

Imo ad melius obtinendam hanc Palatiorum securitatem legibus nonnunquam cautum deprehendimus, ne quisquam Palatia armatus ingrediatur, prout 2 feud. 27. §. 6. ipsi milites ad Palatium arma ferre prohibentur, quod tamen hodiernis moribus immutatum deprehendimus. In Anglia turrim Londinensem, ubi regni insignia asservantur, nonnisi gladio depo-

deposito ingredi quisquam sinitur, cum exadverso in ipsam arcem Regis, ubi commoratur, gladio non deposito quivis intromittatur. Status tamen Secretario fas non est Regem, quando solus est, aliter quam gladio deposito adire, ni Rex aliud expresse jubeat.

§. VIII.

Recte meritoque hæc Palatiorum securitas extenditur ad Residentias Apanagiatorum, quia in sanctitate personarum Principalium est radicata, nec præcise superioritatem territorialem vel jurisdictionem præsupponit. Tam arduum crimen violati palatii Principalis esse censet *Heydenreich* de juribus Apanagiatorum §. 38. ut ejus cognitio non ad supremum Aulæ Mareschallum, dem Hof Marschall-Amt, sed regimen, der Lands-Regierung pertineat. Quæstionem hanc ventilatam perhibet, cum nobilis uxori suæ in Anti-Camera Principissæ alapas inflixisset. Porro Palatiorum sanctitas pertinet ad illa etiam loca, quæ Principis quidem habitationi destestinata præcise non sunt, in quibus tamen publica negotia tractari curat e. c. Cantzley, Regierung, Landschaffts-Häuser, Rent-Kammer rc. propterea quod, quæ ibi aguntur, Principis nomine gerantur hicque ipse præsens sua saltem autoritate esse intelligatur. Unde & illud relinquitur, Principum Palatia securitate gaudere, etiamsi ipse Princeps in iis præsens non sit, sicut ex adverso rustica quoque vel alia domus, quamdiu Princeps in ea præsens est, pari jure pollet. Quodsi autem privata quædam domus extra casum, ubi ipse Princeps in ea versatur, pacis publicæ securitate munienda est, peculiari Principis privilegio & declaratione opus erit, quæ apud nos tabula ut plurimum indicatur, in qua vel sola vox Burgfriede inscripta, vel manus securi supposita depicta apparet. Hinc talia pacis Burgensis signa ipsis quandoque cauponis videmus affixa. Ad casum vero inculpatæ tutelæ pœnas in violatores pacis Burgensis statutas non pertingere, res ipsa loquitur.

Ad alia ædificia publica.

§. IX.

Neque vero ad solas rixas, manuumque violentiam, Palatiorum sanctitas est restringenda, sed ulteriorem adhuc morum verecundiam in quibusvis actionibus exigit ab omnibus, qui in iis versari cupiunt, unde quæ-

Furtum in Principis Pa-

latio commissum. quævis delicta in Principis Palatio commissa gravius, quam regulariter solent, puniri animadvertimus. In specie furtum in aula Principis commissum acriori quam ordinaria pœna coercendum, præjudicio Facultatis Juridicæ Argentoratensis docet *Struvius* de juribus Palatii Principalis p. 18. Responderat illa anno 1641. ad Hassiæ Landgravium hunc in modum: Vors andere, wenn schon diese beyde von N. verübte Diebstähle nicht vor groß und gefährlich zu achten wären, wie sie gleichwohl sind, würde doch die Maleficantin wegen des Orts, darin die Missethat begangen, zum höchsten beschweret, und in die Lebens-Strafe völlig zu urtheilen seyn. Denn da bringt die Peinl. Klage art. 5. 6. 7. mit sich, daß die inhafftirte in dem Fürstl. *Residenz* Schloß N. N. aus der Fürstl. Licht oder Silber-Kammer, und also aus einen privilegirten und hochbefreyten Orte, obspecificirte Stücke gestohlen &c. Vors dritte werden die von der verhafften N. vollbrachte Diebstähle wegen des Umstandes des Orts auch daher aggravirt, weil bey dergleichen Fürstlichen Hoffhaltungen nicht alles so genau und fleißig, wie in Privat-Häusern, durch emsiger Hauß-Väter Sorgfalt zu geschehen pfleget, verschlossen und verwahrt werden kan, sondern viel und kostbare Stücke von dem täglich gebräuchlichen Silberwerck und andern Mobilien auf guten Glauben und Treue denen Dienern zugestellet und vertrauet werden, daher es denn hoch vonnöthen, daß je leichter bey so gestalten Dingen und so häuffig ab und zugehen etwas entwendet werden kan, je höher und grössere Sorge getragen werde, damit durch exemplarische Abstraffung dergleichen Verbrechen verhütet und abgewendet werden, quæ ratio cum non ad summorum imperantium modo, sed quarumvis illustrium personarum Palatia quadret, his quoque paria hoc in passu jura indulgenda esse, sequitur.

§. X.

it. stuprum capitaliter punitur. Exemplum pœnæ gravioris & capitalis in stuprum, in Palatio Principis commissum, statutæ extat in *Lehmanni* Chronico Spirensi L. 4. c. 12. scil. nobilis quidam aulicus in aula Caroli V. Imperatoris stuprum intulerat nobili cuidam fœminæ ex Imperatricis gynecæo, quam rem tam ægre tulit Imperator, ut Aulico capitis securi percutiendi sententiam diceret,

utut poſtea comperta pœnitentia, quam ſuper hoc delicto tantam conceperat Aulicus, ut ea capitis parte, cui incubuerat, unica nocte canities provenerit, capitis pœnam ipſi remiſerit, & aula ſaltem abeſſe eum juſſerit.

§. XI.

Sunt, qui Reſidentiarum ſanctitatem eousque extendunt, ut aſyla eſſe iis, qui ad illa confugiunt, contendant, quod tamen crude nimis accipi nolim. Ab inferiorum quidem magiſtratuum jurisdictione Principum Palatia ſunt exempta, hisque integrum haud eſt, delinquentes vi inde extrahere, ſed ipſe potius Princeps, ut delinquentem tradi jubeat, implorandus. Hic vero pro arbitrio gratiam plane facere delinquenti poteſt, vel ipſe in delictum inquirere & animadvertere, vel denique delinquentem alii tradere.

An Reſidentiæ aſylum præbeant?

TITU-

TITULUS II.

DE

Mobilibus Principum Rebus.

* * *

Eminent in Principum præsertim mobilibus pecunia, Clinodia, Vestes, suppellex domestica & viatoria, vulgo Meubles und Equipage.

§. XII.

Mobilia plura complectuntur quam meubles.

Mobiles res eas esse diximus, quæ de loco in locum moveri possunt. Germanis audiunt fahrende Haabe, bewegliche Güther. Plane autem aliam longeque angustiorem significationem habet Gallicum vocabulum *Meubles*, nunc quoque Germanica propemodum civitate donatum, quod solam supellectilem seu utensilia, Hauß-Rath, denotat e. c. vestes, tapetes, Tapeten, lectos, sellas, vasa usui domestico destinata &c. Differunt igitur a se invicem ut latius & angustius, ita ut omnis suppellex quidem sit res mobilis, sed non omnis res mobilis vice versa suppellex. Probe itaque ad loquentium & scribentium mentem est attendendum, numne vocem Mobilien efferendo ad Gallicum, an Latinum significatum respexerint. E. c. si legantur alle Mobilien in Herrschafft, tunc additam vocem in Herrschafft satis ostendere non de sola suppellectile, sed omnibus, quæ moveri possunt, sermonem esse, adeoque comprehendi pecuniam, equos, oves, armenta &c. docet *Ludolph.* de jur. fœm. illustr. p. 221. lit. b. Currus etiam & equos quotidiano illustrium personarum usui destinatos Leib-Wagen, Leib-Pferde suppellectilis notione non comprehendi, tum argumento Legis 5. Dig. de suppellect. legata colligi potest, tum quod hodierna etiam loquendi ratione non tam per vocem *Meubles*, quam illam *Equipage* exprimi solet.

§. XIII.

§. XIII.

Agmen inter mobiles Principum res ducat pecunia, Gelder, quæ simpliciter posita solam paratam, & casu obveniente erogandam, die Baarschafften, denotat, a qua differt *primo* pecunia præsidii causa reposita, das Schatzgeld (quorsum & Cimeliarchia die Müntz-Cabinette spectant) quæ in dubio sub simplici pecuniæ voce, aut sub auro & argento simpliciter posito comprehensa non intelligitur, bene tamen sub pecunia *signata*. L. 27. §. 4. Dig. de aur. & arg. leg. item pretiosis & mobilibus aut bonis in genere positis. *Secundo* a pecunia simpliciter posita differt, nec sub ea comprehensa in dubio intelligitur pecunia fœnoratitia, ausstehende Capitalien, utpote quæ regulariter nec mobilibus nec immobilibus, sed nominibus, adeoque rebus incorporalibus, est annumeranda, quod eousque extendit L. 79. §. 11. Dig. de legat. 3. ut mobilibus legatis numos *repositos*, ut mutui darentur, non esse legatos pronuntiet, quia forte numi, qui ideo adsunt, ut mutui dentur, non adesse juris fictione intelliguntur. Quodsi vero pro pecunia fœnori exposita prædium pignoris nexu hæreat, tunc talem pecuniam, ein belegtes Capital vulgo dictam, plane pro re immobili reputandam docet *Stryck* ad Lauterbach. p. 54. ad Voc. pecunia. *Gailius* autem *Berlichius* & *Lynckerus* nec non *Ludolphus* nomina cum pacto hypothecæ a defuncto relicta ad res mobiles referunt, etsi fuerit adjecta vox wiederkäufflich pro wiederlößlich, quod ab imperitis quandoque fieri solet. **pecuniam**

§. XIV.

Porro mobilibus annumero Clinodia, quibus quid denotetur, non omnino inter omnes convenit. In eo consentiunt omnes, quod illa quandam *pretiosorum* speciem constituant. Nonnulli vero vel exinde evincere cupiunt, Clinodia non mobilibus, quod nos facimus, sed immobilibus potius esse accensenda. Cum enim pretiosa immobilibus in eo, quod tutoribus talia alienantibus decreto opus sit, æquiparentur, L. 22. C. de administr. Tutorum, etiam quoad alios passus pretiosa juris fictione pro immobilibus haberi contendunt, *. quam tamen illationem, tanquam a particulari ad universale deductam, plane non procedere, suapte sponte patet, ut taceam, hodie ne quidem inter privatos hanc decreti necessitatem tutoribus, pupillorum pretiosa alienantibus, imponi teste *Stryckio* ad Lauterb. **Clinodia**

p. 729. Quare ſtante ſententia, quæ Clinodia mobilium, & quidem pretioſorum numero eſſe ait, illud excutiendum ſaltem videtur, quænam pretioſa per Clinodia intelligantur. Facultas Juridica Francofurtenſis conſulta anno 1679. ſuper quæſtione, an margaritæ Clinodiorum numero comprehendantur, cenſuit, communem loquendi uſum Clinodiorum vocem ſaltem accipere de lapidibus pretioſis incluſis, von zuſammengeſetzten Edelgeſteinen, cumque de ſerie margaritarum filo colligata, Schnur-Perlen, dici commode nequeat, daß es eine Schnur Kleinodien seyn, nec margaritas Clinodiorum numero eſſe habendas.* Sed anguſtum nimis eſſe hunc de Clinodiis conceptum, ipſique ejus origini & etymologiæ repugnare, Clinodium quippe ab *œde* i. e. bona, poſſeſſio, & *Klein* i. e. minutulum derivari, ac proinde quasvis res minores pretioſas denotare, appoſite obſervat *Klein* de jure Margaritarum p. 68. qui & recte monet, huic aſſerto non obſtare loquendi rationes in R. I. 1530. tit. 14. §. 7. 1577. tit. 9. & 11. §. 7. obvias, ubi commemoratis Edelgeſtein, Perlen, goldne Ring, demum ſubjicitur Kleinod, has enim perpetuas non eſſe, vid. R. I. 1544. §. 43. 1577. tit. 17. §. 5. Accedit, quod infrequens non ſit legislatoribus, expreſſis ſpeciebus quibusdam, generalius quoddam vocabulum, quod illas omnes pluresve ſuo ambitu complectitur, ſubjicere. Quare nulli dubitamus, ſub Clinodiis comprehendere quæcunque ornamenta minora pretioſa, Germ. Geſchmuck, ** eoque referre omnis generis lapillos pretioſos, gemmas, margaritas (quæ tria licet diſtinguat a ſe invicem L. 19. §. 17. 18. Dig. de aur. argento &c. hodie tamen gemmas pro ſynonimo lapillorum pretioſorum haberi, & jocalium quoque nomine Gall. joyaux Germ. Juwelen vocari, horum autem ſpeciem margaritas conſtituere, vix dubium videtur) ſive hi lapilli fuerint ſoluti, (modo non rudes, tunc enim mobilium quidem, ſed non ornamentorum ſive Clinodiorum numero ſunt) ſive incluſi, aut colligati, modo exemtibiles. Conf. L. 25. §. 11. Dig. de aur. argent. leg. ubi & diſcere licet, annulos, præter ſignatorium, in ornamentorum numero eſſe.

* Quo poſito ſequeretur, maritum pretioſa in dotem data alienare non poſſe.

** Orna-

** Ornamentorum nomine vestes non comprehenduntur. L. 37. Dig. de aur. arg. Nolim etiam cum ornamentis confundi mundum, quo quis mundior fit, was zur Reinligkeit gehöret, (quorsum & specula referuntur) unde mundo muliebri legato, gemmæ non comprehenduntur, quas tamen ornamentis legatis deberi discimus ex L. 25. §. 10. & L. 32. §. 7. Dig. de aur. arg. leg. utut diffitendum non sit Land-R., Lib. 1. art. 24. vocem Kleinod de mundo videri acceptam. Forte Compilator Juris Provincialis, dum hæc scriberet, legem cit. 25. ante oculos habuit nec accurate satis mentem ejus fuit assecutus. At mens loquentium magis quam verba respiciantur.

§. XV.

Ad illustrium personarum Clinodia inprimis refer coronas reliquaque ipsarum insignia, ubi obiter noto, quod quemadmodum ipsi Majestati reverentia, ita Regum Regnorumque Clinodiis, tanquam Majestatis signis reverentiæ etiam signa passim exhibenda sint. Hinc in fano S. Dionysii prope Parisios nonnisi capite nudato visuntur ac ostenduntur Gallici Regni insignia & Clinodia, ubi tamen alia insuper accedit hujus rei ratio, quia nimirum in eodem, quo hæc Clinodia loco, multæ Sanctorum reliquiæ asservantur, quibus ex Pontificiorum Sacrorum placitis hic honos pariter est exhibendus. *Coronæ.*

§. XVI.

Vestes mobilium numero esse nemo credo dubitabit, quæ cum pretiosissimæ etiam Principes deceant, liberrimum iis circa easdem competit arbitrium, adeo ut licet superiori forte potestati quandoque subsint, raro tamen leges vestiariæ ipsis præscribantur. Nostri certe Imperii Recessibus Nobilibus saltem ac Comitibus certus vestium modus ponitur, Principibus autem has circa nihil præscribitur. * Mores tamen & consuetudines hic quoque inter varias dignitatum gradus varias etiam differentias statuunt, adeo ut sicut avem ex plumis, ita hominem ex veste, ejusque cauda, seu syrmate, Schweiff oder Schleppen an Mänteln und Röcken, nunc longiore, *Vestes*

giore nunc breviore, ac ſyrmatophoris Schweiffträgern nunc uno nunc pluribus ſæpe internoſcas.

* Hinc tamen velle inferre eos plane Imperii ſubditos non eſſe, nec Receſſibus teneri, plane foret incongruum, cum a particulari ad univerſale nulla rite procedat argumentandi ratio.

§. XVII.

ſuppellectilem Succedat inter res mobiles ſuppellex, quo nomine veniunt inſtrumenta domeſtica Geräthe, Haußrath Gall. Meubles, vid. dicta §. 12. Pertinent huc menſæ, ſubſellia, lecti, culcitræ, lintea, candelabra, picturæ mobiles, tapetes ſive ſellis aut menſis aut lectis ſive parietibus inſtrati, Tapezereyen, * item vaſa quæcunque, & licet L. 3. §. 5. Dig. de ſuppellectile legata ullum vas argenteum in ſuppellectile eſſe neget, ſecundum ſeculi illius ſeveritatem, nondum admittentis ſuppellectilem argenteam; hodie tamen vaſa ex omnis generis metallo confecta in illuſtrium perſonarum ſuppellectile eſſe notius eſt, quam ut ab ullo negetur. Quare & eſcaria & potoria argentea aureaque gulden und Silber Servies huc referre nullus dubito. **

* Quos ultimos Latine magis quam accurate *Laquearia* vocat *Ludolph* de jur. fœm. illuſtr. p. 221. lit. b. Laquearia enim firmiter parietibus ſunt affixa, adeoque mobilibus accenſeri nequeunt, in quorum tamen cenſum tapetes venire tum L. 5. Dig. de ſuppellectile legata, quæ tapetia in ſuppellectile eſſe pronuntiat, tum Reſponſum docet Scabinorum Jenenſium ap. *Ludolph* l. c. p. 191. append. 2. quod ipſi etiam Geradæ, quam jure Saxonico uxor a marito capit, tapetes annumerat.

** Quærere hac occaſione lubet, poſſintne Principes ſalva conſcientia tanta magnificentia, tantisque ſumtibus ſuppellectilem ſuam inſtruere, ut fercula pene innumera, ac omnis generis potiones rariſſimas, aureis vaſis apponi, menſam novis quotidie veſtibus h. e. linteis (quod de Iſaacio Angelo refert *Nicetas Choniates* Annal. L. 3. p. 168.) inſtrui, aut veterum Romanorum more

de

de quo vid. *Macrobius* L. 3. c. 16. & L. 7. c. 5. cibos, bellaria, ceteraque mensæ ornamenta non gustu, sed difficultatibus æstimari, nives æstivas aut rosas hibernas, melones hyeme summa, aliosque fructus alienis mensibus exhiberi jubeant, quod de Gallieno Imperatore observat *Trebellius Pollio* c. 16. p. 475. aut quod inter innumera alia luxus specimina de Heliogabalo memoriæ prodidit *Lampridius* c. 32. p. 298. ventris onus auro excipiant, inque Myrrhinis & Onychynis mingant. Quæ circa breviter sic teneo, ipsam ferculorum multitudinem, vasorumque, ac reliquæ suppellectilis raritatem, pretiumque ingens propterea eidem impensum, Principibus vitio plane non esse vertendum, aut in abusibus ponendum, quid quod vel ideo, quod res quædam est rarior, ejusdem usus non quemvis de vulgo, sed eos potius, qui numero sunt pauciores h. e. Principes illustresque personas decebit. Nec sane perditur, aut humanis usibus eximitur pecunia pro tali suppellectile erogata, sed opificibus, qui in eadem elaboranda, perficienda ac ornanda elaborant, cedit, ab iisque suis usibus eam impendendo in circulum, tum commerciis, tum ipsi Reipublicæ summe necessarium redigitur. Par esto de ciborum potusque varietate & multitudine judicium, quæ prorsus est innoxia, dummodo id, quod mensæ Principali, opipare instructæ, post Principis prandium aut cœnam superest, in aliorum hominum, domesticorum, aut extraneorum, vel pauperum denique usum convertatur, nec plus ingurgitetur, quam machinæ humanæ alendæ, sustentandæ, ac reficiendæ sufficit, cum superflue hausta egentibus furto quasi surripiantur, & si intus serventur, sanitati noceant, sin more plusquam bellu͡ino, nunc arte, nunc beneficio naturæ, tædio reddantur plane inutilia, atque ex mensæ ornamentis vera victus anathemata fiant, ut loquitur *Ælianus* de var. hist. L. 11. p. 175.

§. XVIII.

Quoties tamen vasa & tapetia perpetuo Palatii cujusdam usui dicantur, *mensalem* juris intellectu immobilia eadem fieri, monebitur §. 21. Solet & suppellectili

lectili Principum quandoque possessorum suorum intuitu honos ac reverentia singularis exhiberi. Sic morum elegantia jubet, ut quoties in conclavi, ubi Principis imago affixa comparet, considendum, ita consideamus, ne dorsum imagini obvertatur. Huc etiam refer ceremoniam in Aula Gallica præsertim usitatam, dum Pincerna mensæ Regiæ apparatum ferens, quand le Chef du gobelet porte le Couvert du Roy, qui apparatus a Salineri deaurato, quod ejus partem constituit, navisque figuram refert, uno vocabulo la nef dici solet, quemvis cujuscunque sit dignitatis caput detegere jubet.

§. XIX.

Memini quoque retulisse nonneminem ad mensæ Principalis prærogativas, quod ii, quos Princeps eidem admovet, seu secum accumbere jubet, eo ipso pro nobilibus sint reputandi, quod tamen non simpliciter admittendum puto. Lubentius admitterem id, quod exemplis ex ipso Papatu petitis ac Constitutionibus antiquis uberius confirmat *Seldenus* de Synedriis L. 1. c. 10. p. 243. scil. excommunicatum (simile de infami esto judicium) eo ipso, quo mensæ Regiæ aut Principali admovetur, pro absoluto iterum, atque in integrum restituto esse habendum. Denique inter omnes constat, Principes diebus festis aliisque solennitatibus publice, januis patentibus, atque in conspectum quibusvis volentibus admissis, mensæ solere accumbere, pompæ scil. ac magnificentiæ ostentandæ causa, adeoque diverso prorsus instituto ab eo, quo teste *Macrobio* apud Romanos olim imperatum, ut patentibus januis pransitaretur & cœnitaretur, quod, sic oculis civium testibus factis, luxuriæ modum fore futurum existimabatur.

§. XX.

Librariam Bibliothecas Principum non quidem ad domesticam, sed separatam ac peculiarem, librariam scil. suppellectilem refero, adeoque pariter mobilibus accenseo, solo casu excepto, quo forte domui cuidam ad perpetuos usus destinata est Bibliotheca, quam tunc juris fictione immobilem esse, facile largior.

§. XXI.

§. XXI.

Superſunt inter mobilia inſtrumenta viatoria, Gallice Equipage, quo pertinent equi, lecticæ, currus, carpenta, carruci, navigia, gondulæ &c. cum apparatu eo ſpectante. Ad currus in ſpecie & carpenta quod attinet, eorum uſum antiquiſſimis quoque temporibus populis Orientalibus incognitum non fuiſſe, vel ex ſacris literis docemur. In Occidente ſerius innotuerunt. Facit tamen Carrucharum cum mulis mentionem L. 13. Dig. de aur. & arg. leg. Add. L. un. Cod. de honoratorum vehiculis & *Sueton.* in Claud. c. 11. In Anglia primus carpentis uſus Henricus Fiz Alanus Comes Arundelius tempore Eliſabethæ Reginæ. In Germania ne quidem tempore Aureæ Bullæ conditæ carpenta fuiſſe in uſu exinde, quod in A. B. nulla eorum, ſed ſolius equeſtris comitatus mentio occurrit, ſuſpicatur *Vitriarius* Jur. publ. L. 1. Tit. 6. §. 11. ubi ex *Thuano* in vita ſua ſubjicit, in Gallia ſub finem Regni Franciſci I. Joannem Lavallum Boſconem Delphinum, qui propter corporis obeſitatem commode equo inſidere non poterat, primo Lutetiæ Pariſiorum carpento fuiſſe vectum. Poſtea in Aula duo tantum fuiſſe carpenta, quorum uſus ex Italia invectus, alterum Reginæ, alterum aliquanto poſt Dianæ Henrici II. naturalis filiæ, primam deinde in urbe fuiſſe Chriſtophori Thuani, poſtquam Præſes Senatus erat creatus. Et vero haud videtur abſimile, a Gallis ad Germanos carpentorum uſum tranſiiſſe, hoc tempore ſatis frequentem. Sicut & illud uſui ac conſuetudini debetur, quod Reges octo, Principes, Comites & Barones ſex, Nobiles autem quatuor equis vehuntur, quodque nonniſi Regibus, Principibus, integrum cenſetur, carpentorum ſuorum tectum exteriori ſui parte panno, qui ruber nunc, nunc alius pro lubitu aſſumitur, ſternere. Subditis hoc in paſſu legibus modus ponitur. * In Aula Cæſarea Aulæ Mareſchallus haud ſinit Principum legatos ad inveſtituram recipiendam vehi carpentis, quorum equi ornamentis, *fiocchi* dictis, ſunt inſtructi. Equi aliaque animalia, quæ non commoditatis, ſed fundi colendi cauſa aluntur, die nicht auf den Leib, ſondern zum Ackerbau gehalten werden, ad inſtrumenta viatoria non pertinent, mobilibus tamen accenſentur, nec in dubio pro fundi acceſſorio ſunt habenda, niſi expreſſe in pertinentiarum inventarium ſint relata, wenn

Viatoriam

ſie

sie zu denen pertinenz-Stücken geschlagen. Quod enim superius jam aliquoties indicavimus, hic semel pro semper repeti & notari velim, omnes nimirum res mobiles, si perpetuis rei immobilis usibus destinantur, juris intellectu censeri immobiles. Alias inventarium in genere consideratum pertinentiarum numero non venit. Nicht alle zum inventario gehörige Stücke sind vor pertinenz-Stücke zu achten.

* Tit. Cod. de Honoratorum Vehiculis ita fert: Omnes honorati sive civilium sive militarium vehiculis dignitatis suæ i. e. carrucis intra urbem sacritissimi nominis utantur. Hinc meretrices Romæ carrucis prohiberi docet *Sprenger* in Roma Nova L. 8. c. 3. (edit. prioris Francof. 1660. 12. nam in posteriori de 1667. hoc caput plane omissum) addens apud Venetos etiam in suis gondolis nonnisi unum navicularium habere, meretricibus licere. Pari ratione jam Domitianus Imp. probrosis fœminis lecticæ usum ademit teste *Sueton.* c. 8.

TITU-

TITULUS III.

DE

Rebus incorporalibus.

* *
*

Circa res Principum incorporales vix peculiare quippiam hicce monendum. Spectant ad eas jura, prætenſiones, nomina, ſervitutes nec non ſpes cum obligatione quadam conjuncta.

§. XXII.

Tranſeo ad res Principum incorporales, quæ tangi nequeunt, ſed in jure conſiſtunt, quo primo refero nomina, utut incerta atque fortunæ aleæ obnoxia, qualia ſunt les actions des Compagnies des Indes. Recordari hac occaſione ſubit, *Zieglerum* in ſuo de Juribus Majeſtatis Tractatu, de ipſis venis ac portionibus metallicis, vulgo Kuckse, dubitare, an in bonis ſint ob incertam proventuum ſpem. Hodie autem cum homines ditiſſimi haud raro parum vel nihil præter ejusmodi actiones in bonis habeant, multo minus de portionibus metallicis erit dubitandum, quæ plane immobilibus recte annumerantur a B. *Hornio* Jurispr. feudal. c. 9. cum exadverſo actiones Indicæ rebus incorporalibus ſeu nominibus ſint accenſendæ. Sint hæc bona ſpes mera, eaque incerta, eſt tamen conjuncta cum obligatione quadam, utut conditionali.

Incorpor. res comprehendunt jura & nomina utut incerta.

§. XXIII.

Sed an ſola ſpes ſine obligatione rebus incorporalibus annumeranda, numque in bonis aut patrimonio exiſtat, a Doctoribus parcius traditur, in ipſis

non autem ſpem ſolam.

ipſis tamen rerum argumentis agitatum memini, cum quæreretur, an arreſta bonis debitoris obærati impoſita etiam ſpem hereditatis afficiant? Verior eſt negativa, quia ſpes fallere plane, & deficere hereditas poteſt, ſi debitor præmoritur. Collimat huc L. 6. §. 2. Dig. quæ in fraudem Creditorum, adeo tamen generalis, ut etiam delatam jam hereditatem in fraudem creditorum repudiare ſinat, propterea quod is ſaltem, qui patrimonium diminuit, in creditorum fraudem agat, non qui acquirere detrectat. Secus ſe res habet in foro conſcientiæ. Tranſeant hæc in foro externo. Sed & ipſa praxis paſſim e. c. in Saxonia æquior exiſtit, utpote quæ hereditati, antequam defertur, renunciari ſinit, ſemel autem delatam hereditatem creditorum commodo cedere jubet, quia tunc res intra nudæ ſpei incertæ terminos amplius non ſubſiſtit. Jure Romano igitur hereditas, antequam adita, in bonis non eſſe videtur, moribus Saxoniæ autem, ſimulac eſt delata.

§. XXIV.

nec injurias

Rebus incorporalibus porro annumerantur ſervitutes, prætenſiones, actiones, denique jura omnia. An & injuriæ? B. *Stryckius* ad Lauterbach p. 54. injurias verbales Schelt-Worte ad res corporales refert duplici fretus argumento, tum quod de iis tranſigatur & contrahatur, tum quod in ſenſu conſiſtant, & auditu percipiantur. Mihi injuriæ tanquam delicta plane extra rerum ſphæram poſitæ, nec proinde ad corporales nec ad incorporales referendæ videntur. Non ad corporales, quia tangi nequeunt, utut per illas tangatur corpus. Neque ad incorporales, cum potius ablationem & imminutionem juris circa exiſtimationem competentis involvant. At ſi de competente intuitu injuriarum actione eſt ſermo, illam rebus incorporalibus accenſere non ambigo. Nec Stryckii me movent argumenta. Cum enim & de re incorporali e. c. ſervitute recte contrahatur, a contrahendi facultate ad corporalem rei qualitatem minus ſolidum ducitur argumentum. Sed neque id, quod auditu verbalis injuria percipitur, Stryckii ſententiam juvat. Licet enim conceſſerim, vocem emiſſam eodem jure, quo ipſe aër, (eſt enim ſonus nihil aliud quam ipſe aër modificatus) corporalem ſeu materialem eſſe, viciſſim tamen & id mihi concedi poſtulo, vocem in ſe ſpectatam innoxiam eſſe, omnemque injuriam verbalem ex inferentis animo

& fa-

& facto, quo eum declarat, esse metiendam, adeoque injuriam seu potius competentem exinde actionem incorporalem esse. Ingenue fateor, omnem hanc controversiam, ut mihi saltem videtnr, parum utilitatis habere.

§. XXV.

Res incorporales e diametro sunt oppositæ corporalibus, quibus cum subordinata sit rerum divisio in mobiles ac immobiles, sua sponte patet, hanc ad res incorporales plane non pertinere. Interim translatione parum commoda res incorporales nunc ad mobiles nunc ad immobiles, præsertim si de præscribendis servitutibus quæritur, referri videmus. Nomina, ausstehende Schulden und Capitalien mobilibus solent annumerari, econtra annui reditus præsertim irredimibiles unablößliche Renten pro immobilibus habentur, quod tamen ad annuos reditus, quorum dies venit die betagte oder verfallene Zinsen, non extendendum, hi enim mobilibus accensentur. *an mobilibus accensenda.*

TITULUS IV.

DE

Publico privatoque Principis patrimonio.

* *
*

Publica populi bona opponuntur privato Principis patrimonio, quod ipsam Majestatem potest comprehendere, & frustra sunt, qui Regnorum patrimonialium existentiam in dubium vocant.

§. XXVI.

Res sunt vel publicæ vel singulorum.

Vidimus hactenus varias rerum divisiones, quas materiæ intuitu recipiunt. Pergamus ad aliam ex rerum proprietate oriundam, quæ quidem ex ambiguis, æquivocis, parumque accuratis, hinc inde tamen usitatis, loquendi rationibus haud parum difficultatis accipit. Nostro qualicunque judicio omnium optime agetur, si dicamus, res esse vel in proprietate seu dominio vel extra illud, seu quod idem est, nullius. * Illæ, quæ in dominio sunt, iterum vel in publico, vel privato, aut si mavis singulorum ** dominio existunt, adeo ut triplicis generis res habeamus, nullius, publicas, & privatas.

* Non satis adæquatam hanc distinctionem existimat *Joach. Georg. Daries* in dissertatione de acquisitione hereditatis §. 36. quique eum sequitur *Jo. Ern. Gunner*, in dissertatione, qua præscriptionem non esse juris naturalis vult demonstrare, & putant, dari tertium rerum genus, nimirum *jacentes*, quæ quidem in domi-

dominio non ſint, a quarum tamen uſu aliquis omnes alios poteſt excludere: & quemadmodum res nullius *occupatione*, & res in dominio exiſtentes *pacto*, ita jacentes *aditione* acquiri perhibent. Omnibus tamen rite ponderatis deprehendes, res jacentes jam dum in dominio exiſtere, & per aditionem non demum acquiri, ſed acquiſitum jam dum earum dominium ſaltem apprehendi, vel apprehendendi voluntatem declarari. Res autem amiſſæ & derelictæ rectius inveniri & occupari, quam adiri dicuntur.

** Res enim ſingulorum in ipſo etiam ſtatu naturali, ubi privatus ſubditusve concipi nequit, occurrunt. Liceat interim vocem rerum privatarum nonnunquam accipere pro rebus ſingulorum. Ubi tractus per univerſitatem occupatur, ea, quæ ſubditis ſingulis aſſignata haud ſunt, res ſunt *publicæ*, ea autem, quæ ad corpora & collegia pertinent, veniunt jure privatorum, & *communia* vocantur, quatenus ſinguli ad promiſcuum & communem uſum admittuntur.

§. XXVII.

Res nullius vocant nonnulli eas, quæ nullius eſſe poſſunt, nos vero non tam ad potentiam, quam ipſum actum reſpicientes, eas dicimus eſſe nullius, quæ ad neminem ſpectant, eoque res vel nunquam occupatas, vel derelictas referimus. Eas vero, quæ in dominio, ſeu quod nobis idem eſt, quæ in proprietate aut patrimonio exiſtunt, dicimus illas, quæ ad aliquem ſpectant, quodſi itaque ad publicam aliquam ſocietatem ſpectent, publicas, ſin ad privatos ſingulosve pertineant, privatas vel ſingulorum res appellamus, quo ipſo ſe prodit differentia, ab illa JCtorum diviſione, qua res vel in patrimonio vel extra idem eſſe dicunt, intelligunt ſiquidem ſolum patrimonium privatum, & res quæ in publico patrimonio ſunt, extra patrimonium conſtitutas eſſe aſſerunt. Videantur collati inter ſe Tituli Inſt. & Dig. de Rerum diviſione. *vel nullius*

§. XXVIII.

Summam nimirum rerum diviſionem ICtus ibi conſtituit illam, quod aliæ res divini, aliæ humani juris ſint. Ferri poſſet hæc diviſio, * dummodo *vel divini vel humani juris*

modo rite explicetur, & res divini juris dicantur, in quibus hominibus nihil prorſus juris competit, & circa quæ ſolus Deus ſtatuere poteſt. Atque tunc ſolum in hac terra Dei verbum & Sacramenta eo forent referenda. ** At in alia omnia abit JCtus, & rebus divini juris annumerat ſacras, religioſas, & ſanctas, quas tamen humani juris eſſe, publicoque ſummi imperantis arbitrio *** ſubjacere, demonſtratu haud eſt difficile. ††

* Et nos eam ideo ſaltem omiſimus, quod res divini juris præſentis noſtræ conſiderationis haud eſſe, ſed de ſolis rebus humani juris nobis agendum putavimus.

** Animas & Spiritus reliquos omitto, quia perſonis propius quam rebus accedunt.

*** An & dominio? Aff. utut alii res ſacras & religioſas potius Eccleſiæ, vel privatorum dominio ſubjicere malint. Vid. *Titius* in Specim. Jur. publ. L. 3. c. 7. §. 9.

†† *Sacræ* res dicuntur, quæ publice divino cultui ſunt conſecratæ e. c. calices, altaria, templa, veſtes miſſale^. Has tamen res propter eccleſiæ neceſſitatem aut utilitatem, præſertim ſi ſuperfluæ adſint, item ad captivos redimendos alienari poſſe, omnes conſentiunt. Vid. L. 21. Cod. de SS. Eccleſ. L. 63. Dig. de religioſ. R. I. Auguſtan. 1530. §. Nachdem Chur-Fürſten. Quodſi igitur alienari poſſunt, qua quæſo ratione omni humano jure exemtæ, divinique juris eſſe dici poterunt. Conf. *Grotius* L. 3. c. 5. §. 2. ubi ſic ſcribit: quæ ſacra dicuntur, re vera non eripiuntur humanis uſibus, ſed publica ſunt. Sacra autem nominantur, a fine cui deſtinata ſunt. Et brevi poſt, populum mutata voluntate ex ſacro profanum facere poſſe, pluribus oſtendit. Idem multo magis de rebus *Eccleſiaſticis* eſto judicium, quæ non ipſi divino cultui immediate, ſed mediate ſaltem, ac miniſtrantium ſuſtentationi ſunt deſtinatæ. Res *religioſæ* ſunt, quibus mortui inferuntur, quem in cenſum etiam vocant pretioſa, quibus cadavera illuſtrium ornantur, quæque una cum iis ſepeliri

quan-

quandoque ſolent. Sed cum hoſti ſepulchra aperire, ex iisque quæ ipſis viſa fuerint in ſuos uſus convertere liceat, L. 4. Dig. de ſepulchro violato. Quidni ipſi ſummo imperanti erit integrum? Add. L. 8. pr. & L. 44. §. 1. Dig. de religioſ. & ſumtib. fun. ubi Principi circa loca religioſa jus aſſeritur. Quo minus autem privatis idem ſit integrum, civiles impediunt leges. *Sanctæ* res dicuntur, quarum violatio ſevere prohibita e. c. muri, portæ. Sed quis quæſo ibit inficias, a Principis arbitrio pendere, velit muros diruere, portas tollere, & quidvis pro eo ac ipſi utile viſum fuerit, de iisdem ſtatuere.

§. XXIX.

Data opera omiſimus res omnibus communes, quoniam talia dari negamus. Refert eo JCtus aërem, aquam profluentem, mare, ejusque littora. Sed & hæc omnia conſiderationis Juridicæ aliter haud ſunt, quam quatenus certæ ditioni aut territorio includuntur, aut includi ſaltem poſſunt, atque tunc communes amplius dici nequeunt, ſed potius, ſi occupata non ſunt, ad res nullius, ſi jam occupata ſunt, ad dominium publicum plerumque referenda veniunt. Quare ad tres §. 26. memoratas claſſes, res omnes revocari poſſe putamus. Ex iis ſolæ privatæ, & quidem privatæ Principum res nobis potiſſimum erunt excutiendæ. Quæ de rebus nullius monenda videbuntur infra Tit. 7. occurrent. Publicæ autem in tantum ſaltem hujus loci ſunt, ut earum a privatis (quas circa potisſimum occupabimur) differentia ac jura diverſa rectius noſcantur. *Communes non dantur.*

§. XXX.

Publicæ res ſunt illæ, quæ ad univerſum populum, ſocietatem univerſam, pertinent, & quarum ſola adminiſtratio penes Regem aut Principem exiſtit. * Privatæ vero Principis ſunt, quæ ita ad Regem vel Principem ſpectant, ut nullæ circa eas populi ſint partes. ** Illæ proprie loquendo ſunt regni, Cron-Güther Staats-Eigenthum; hæ Regis patrimonium, unde & κατ' ἐξοχὴν patrimoniales eigene, quandoque Familien Güther audiunt. Ad Principis patrimonium quoque pertinet pecunia Principis privata, Chatoul-Gelder. Reſpexit ad hanc diſtinctionem Pertinax *Publicæ res.*

nax Imperator apud *Herodianum* L. 2. c. 4. p. 76. dum ſuum nomen poſſeſſionibus publicis inſcribi prohibuit, non eſſe illas dictitans imperantium proprias, ſed communes Romanorum ac publicas.

* Improprie publicæ res accipiuntur pro rebus nullius apud *Tacit.* L. 13. Annal. ubi legimus: terras generi mortalium datas, quæque vacuæ, eas publicas eſſe.

** Non ſatis accurate privatæ Principis res deſcribuntur per illas, de quibus libere poteſt diſponere. Nam de familiæ fideicommiſſo, aliisque rebus, quas circa tertio jus eſt quæſitum, Princeps diſponere nequit, & tamen ſunt privatæ. Quare forma ſpecifica rerum Principis privatarum in eo quærenda, quod de iis diſponere *ſine populi conſenſu* poteſt.

§. XXXI.

Principis. Atque hoc ſenſu patrimonium Principis complectitur quævis, quæ non ſunt populi, adeoque & feuda, quæ forte Princeps poſſidet, & differt a patrimonio ſtrictius accepto, quod allodium, ſeu hereditatem, vulgò Erbe denotat, & opponitur beneficio ſeu feudo, dem Lehn. At in præſenti noſtra ſignificatione, quando ſcilicet bona Principis patrimonialia ſunt ſynonima privatorum, iis opponuntur publica, quæ ſunt vel domanialia, vel fiſcalia.

§. XXXII.

Domania. *Domanialia* ſeu bona coronæ, menſalia, Cameralia, res dominicæ, die Cammer oder Tafel-Güther, illa ſunt, quæ Principis ſuſtentationi ſunt deſtinata. Quando ſibi contradiſtinguuntur Cammer und Tafel Güther per hæc intelliguntur bona Principis menſæ deſtinata: per illa unde ſtatus Principis civilis ſervatur. Veſtigia domaniorum jam dum in Theocratia Judaica deprehendimus Ezech. XLV. 7. 8. Nomen quidem domaniorum Italis aut Gallis debemus, res ipſa omnibus imperiis eſt cognita. Et licet nec in jure Romano, nec Canonico, nec feudali, neque etiam in antiquioribus Germaniæ legibus domanii vox occurrat, fruſtra tamen ideo a *Lynckero* Deciſ. 1202. & *Leyſero* de Aſſentationibus JCtorum §. 13. ſq. nega-

negatur, dari domania in Germania, quem errorem jam dum notavit *Gribner.* de Præjudicio Principum Imperii ex abusu Juris Justinianei c. 3. §. 5.

§. XXXIII.

Jo. Aug. Hellfeld de restricta illustrium alienandi facultate p. 47. speciosius quam verius scribit: Maxime in iis provinciis, quæ sero Germanico accesserunt Imperio, domania inveniri, velut in Mecklenburgicis, Pomeranicis, Marchicis: cum in reliquis sint rariora. In his enim Principes suam ab Imperatore originetenus accepisse dignitatem, qui ad eam sustentandam prædia sub nexu dederit feudali, raro populus domanium: in illis vero Duces a populo constitutos, & ab Imperatore solum confirmatos, a populo quoque ad dignitatem Principis sustinendam domania accepisse. Sane magni Ducatus, e quibus Germanica compages primitus coaluit, suos a populo Duces & bona ac tributa ad dignitatem sustinendam accepere, quocunque tandem nomine illa insigniverint. Nostra adhuc memoria, cum Suecorum Rex 1706. Saxoniam invaderet, ac Ordines Provinciales Lipsiam convocatos juberet, zu specificiren, wie vielerley domainen vorhanden, und was jedwedes derselben in denen zwey jüngst verflossenen Jahren, es bestehe in ordinair, extraordinair, Quatembern, Gesandschaffts Kosten, bewilligten Million Gülden, extraordinair Miliz. Beyhülffen, Verzinßung der aufgenommenen Capitalien, Vermögens-Korn-defensions-und Rauh-Futter-Steuern samt Accise, Land-und Tranck-Steuern und andern Imposten, welches Nahmens sie seyn mögen, ausgetragen habe? responderunt Ordines: Es ist das Wort domainen in unsern Lande nicht gebräuchlich. *German.*

§. XXXIV.

Fiscalia bona sive ærarium publicum Landes-Güther Landes-Cassa illa sunt, quæ ipsius publicæ rei usibus sunt dicata *. Aliquando tamen res fiscales dicuntur proventus ex jure fisci, qui privato Principis patrimonio cedunt. Conf. Tit. 15. §. 191. Olim apud Romanos in statu eorum Monarchico *fiscus* privatum Principis censum, *ærarium* vero reditus publicos populo relictos continebat. *Tacit.* Annal. L. 5. Bona sciam abla- *Fiscus.*

ta ærario, ut in fiſcum redigerentur. Add. *Senec.* de Benef. L. 7. c. 6. Leg. 1. Dig. de bon. damn. L. 2. §. 4. Dig. ne quid in loco publ. Poſtea invaleſcente dominatu promiſcua fiſci & ærarii acceptio. L. 13. pr. L. 1. §. 3. de jur. fiſc. Juſtinianus denique in L. 3. C. de quadr. præſcript. asſerit, omnia Principis eſſe intelligi, ſive ex ſua ſubſtantia, ſive ex fiſcali fuerit alienatum. Sic tempus rerum ſignificationes mutat, utinam non ipſa jura!

* Civitates municipales proprie nec domania nec fiſcum habent, ſed arcam communem die Cämmerey, ubi reponitur pecunia, quæ civitatis uſibus inſervit.

§. XXXV.

Alienari a Regibus neqneunt. Facile ex dictis intelligitur, ipſam Regni patrimonium difficulter admodum a Regibus poſſe alienari, utpote quibus, ni populi interveniat conſenſus, hoc in paſſu manus admodum ſunt ligatæ, utut *Seiſellius* de Monarchia Franciæ Lib. 1. in Republ. Galliæ apud Elzevir excuſa p. 25. lepide ſatis Reges ideo non imperfectiores, ſed illuſtriores prædicet, Deo eos comparans, cujus perfectio tanto ſit admirabilior, quia peccare nequit. At liberior Regum circa propria privataque ſua bona diſponendi facultas cernitur, & difficilius illa bona, quam ipſum Regnum, ipſis eripiuntur. Præclarum hujus rei exemplum habemus in Tarquinio Romanorum Rege apud *Dionyſ. Halic.* L. 5. c. 1. Hic a Romanis pulſus cum peteret bona ſua ab avo hereditario jure ad ſe devoluta, alterque Conſulum Brutus ejus bona retinenda cenſeret, tum mulctæ nomine, tum ne Tarquinius belli materiam haberet; Collatinus vero contrarium ſuaderet, ita ut Senatus conſilii inops Bruto utiliora, Collatino juſtiora dicente, utilitatis & æquitatis judicium populo committeret, tandem in eam partem eſt inclinatum, quæ bona reſtitui jubebat.

§. XXXVI.

Simul poſſunt eſ- Circa materiam nihil intereſt, ſive res ſit corporalis, ſive incorporalis, ſive mobilis, ſive immobilis. Utræque in publico pariter ac privato

vato Principis patrimonio esse possunt, & ex publico patrimonio potest fieri privatum e. c. per alienationem, donationem, infeudationem rite factam, & vice versa ex privato publicum e. c. per confiscationem, eamque secutam incorporationem. Imo ulterius progredior, & easdem res eodem tempore diverso tamen respectu posse esse & publicas & privatas assero. Finge Regem Principi cuidam ditionem dare in feudum. Hactenus dubitandum non est, hoc feudum in privato Principis esse patrimonio. Sed fac Principem in illa ditione suos habere subditos, splendoris familiæque conservandæ causa certa ex eadem ditione bona constituta esse domanialia, alia fisco publicos inde sumtus erogandi causa tributa. Hæc sane bona habito respectu ad nexum, qui Principem inter & subditos intercedit, publica erunt, & nihilosecius privata remanebunt intuitu nexus, quo Princeps Regi tenetur, utpote qui mere feudalis est, nec subjectionem præcise involvit. *se privata.*

§. XXXVII.

Sed quid in dubio sentiendum, numque res potius privata Principis, an publica censenda sit, difficultate non caret. Magnus sane publicæ rei est favor, qui & multos in eam perducit sententiam, ac si omnia, quæ penes Principem existunt, tam diu publica sint præsumenda, donec a Principe eorum dominium ad se speciatim pertinere, rite fuerit deductum. At major nihilosecius erit libertatis naturalis favor, qui, rem penes sui possessorem pleno jure existere, tamdiu præsumere jubet, usque dum illud aliqua sui parte probetur imminutum, id quod ipsum etiam *Grotium* movit, ut integra Regna noviter a Rege parta in dubio non ex Regni substantia, sed ejus potius fructibus, privatisque Regni bonis acquisita, nec prioris Regni accessoria, sed Principis patrimonialia esse censeat. L. 1. c. 3. §. 12. Confer dicenda de pactis §. 84. Hinc quoque Ferdinandus Catholicus Hispaniarum Rex alteram Granatensis Regni partem, ut ex Castellæ proventibus quæsitam, sibi vindicavit. Vid. *Marian.* Hist. Hispan. L. 28. Probe tamen notandum, hæc omnia NB. *in dubio* saltem, & ubi indicia in contrarium deficiunt, procedere. Nam si forte perpetua rei destinatio, incorporatio, * accessio, in inventarium publicarum rerum facta relatio probari possit, aut res ex publicæ rei substantia fuisse compa- *In dubio res privata potius Principis quam publica præsumitur.*

ratas, aut denique ſucceſſori relictas, nec ab heredibus e. c. filiabus fuiſſe ablatas, tunc inquam eas publico patrimonio eſſe annumerandas, plane non dubitandum. Pertinent huc Bibliothecæ, Cimeliarchia, Muſea, Raritæten-Cabinette, ſuppellex, vaſa aurea & argentea, gulden und ſilber Servies oder Tafeln, tapetia, Dalmaticæ, aliaque ornamenta, ſi NB. perpetuo publico uſui fuerunt deſtinata, quale quid de domo Brunſuico-Luneburgenſi teſtatur *Stryck.* de jure allodiali Principum Imp. p. 115. in eâdem omnia mobilia, Principe regente decedente, vi pacti non ad heredes allodiales, ſed ſucceſſorem in regimine ſpectare.

* Ferdinandus III. imp. in Capitulatione ſua art. 35. promiſit: Wo wir mit Rath und Hülffe der Churfürſten, Fürſten und andrer Stände ichts gewinnen, bekommen oder zu Handen brächten, das alles ſollen und wollen wir dem Reich zuwenden. In ſequentibus Capitulationibus hæc clauſula omiſſa, quoniam rariores in Imperio extitere acquiſitiones.

§. XXXVIII.

An dentur Regna patrimonialia.

Ex dictis ni fallor conſtabit omnia ea, quæ in privato Principis patrimonio eſſe poſſunt, capacia quoque eſſe dominii publici, ſeu in patrimonio publico exiſtere poſſe. Sed an vice verſa omnia, quæ publica eſſe poſſunt, quoque in privato Principis patrimonio exiſtere poſſint, magis dubium videtur. Spectat huc decantata controverſia, an Majeſtas & integra Regna in privato Principis dominio vel patrimonio exiſtere poſſint? Ubi ante omnia obſervo, dominii vocabulum haud adeo bene hic quadrare. Hoc enim proprie ad res corporales refertur. Majeſtas autem non ſolum in jure circa bona ſubditorum, * ſed ipſo potiſſimum ſubditos regendi jure conſiſtit: Fruſtra itaque quæritur, an ſit in dominio. Sin patrimonii vocem latius accipis, ſub eoque, quicquid in bonis eſſe poteſt, nihil obſtat, quo minus affirmemus, integra Regna ipſamque Majeſtatem æque ac alias res aliave jura in patrimonio & eſſe, & de iis diſponi poſſe, indeque patrimonialia vocari, quæ ex ſola facultate imperantis circa eadem ſine populi conſenſu diſponendi judicanda ſunt, nec præciſe ex ſucceſſionis ordine. Nam & libera regna, quæ a populi voluntate pendent,

dent, ad heredes utriusque ſexus pervenire poſſunt, imo ſucceſſoris nominatio etiam in Regno *libero* Regi poteſt relinqui.

* Hæc ſubditorum bona proprie in dominio publico non ſunt, ſed accuratius loquendo imperio publico ſubſunt, quod licet dominium eminens complectatur, id tamen ab ordinaria dominii natura immane quantum recedit. Dari tamen poteſt caſus, ubi nulla bona, præſertim immobilia, ſubditis ſunt propria, ſed omnia ad imperantem ita ſpectant, ut pro nutu & arbitrio de iis diſponere poſſit. Notum eſt, in Gallia ſuperiore ævo conſilia fuiſſe acta, de terris ſubditorum omnibus hoc modo Regi ſubjiciendis. Hæc quidem conſilia exitum non ceperunt. At dantur re vera talia Regna inter barbaros, eoque vulgo Regnum Concho, & ipſum Imperium Ottomannicum refertur. Antiquitus *Strabo* de Indis Lib. 15. c. 7. ſcripſit: Eſt vero regio tota Regis, ſed quam illi mercedis nomine quartis fructuum colunt. Et Pharaonem Joſephi ſuaſu ſubditorum prædia emtionis aut permutationis jure acquiſiviſſe, ex ſacris literis conſtat. Si tamen cum *Coccejo* Autonom. Jur. Gent. c. 12. §. 12. hæc prædia publico Regni, non privato Regis patrimonio ceſſiſſe, & non ad heredes, ſed ſucceſſores quosvis Pharaones, poſtea Ptolomæos tranſiiſſe ſtatuas, tali caſu imperia herilia cum patrimonialibus non erunt confundenda. De patrimoniali nulla populi diſpoſitio, ſed Regis plerumque eſt. At in herili non ſunt nullæ populi partes. Sic licet Turcia ſit imperium herile, non tamen ab imperantis diſpoſitione pendet, unde Teſtamentum, quo 1640. Amurathes fratrem a ſucceſſione excluſerat, ſpretum fuit. Ceterum in imperio herili imperans quoad terras divitis potius patrisfamilias, quam Regis ſpeciem refert, ejusque poteſtas Regia non tam ex jure territorii, quam jure in perſonas ſubditorum, eorumque actiones metienda venit. Nam & egeni ac plane mendici in civitate veriſſima ejus membra eſſe poſſunt.

§. XXXIX.

Obj. I. Pluribus hæc omnia evicit *Grotius* L. I. c. 3. §. 12. ubi ſimul refellit eorum objectionem, qui ideo, quod homines in commercio non ſint, nec regna in patrimonio eſſe poſſe contendunt. Nam licet ipſi homines in commercio non ſint, jus tamen perpetuum eos regendi in commercio eſſe, alienari, & transferri poteſt, id quod quotidiana etiam experientia confirmat, ut fruſtra ſint *Baldus*, & *Bodinus* de Republ. L. I. c. 10. p. 234. dum Majeſtatis jura cedi, alienari aut præſcribi poſſe negant.

§. XL.

Obj. II. Neque eſt, quod dicas, dari quidem regna patrimonialia, eaque in patrimonio eſſe, at non in privato, ſed publico. Hoc enim foret ſtatum controverſiæ mutare & alienum plane ſenſum vocibus tribuere, quem ſi admitteremus, non citra confuſionem libera regna, quæ tamen patrimonialibus opponuntur, patrimonialia vocaremus. Majeſtas quidem in libero etiam regno penes Regem, non populum, exiſtit, adeoque, licet alienari a Rege nequeat, tamen non in publico, ſed privato potius, utut reſtricto Regis patrimonio exiſtere ſuo ſenſu dici poteſt, eodem plane modo, quo uſusfructus poteſt eſſe in patrimonio. At ipſum regnum liberum in Regis patrimonio eſſe dici nequit. Latius quippe patet Regni notio illâ Majeſtatis.

§. XLI.

Obj. III. Coccejus nulla regna patrimonialia.

Coccejus Autonomiæ Juris Gentium capite XII. quod de monſtro Regni mere patrimonialis inſcripſit, & in quo tale ne concipi poſſe, aut unquam in rerum natura fuiſſe, contendit contra Grotium & Puffendorfium, negat talia dari, eorumque characterem non in facultate alienandi, ſed abutendi ponit, qua in re eum ſequitur *Ludewigius* de Obligatione ſucceſſoris p. 5. Sic autem infert: privato patrimonio abuti licet. Majeſtate abuti non licet. Ergo nec in patrimonio eſt. Utraque præmiſſarum falſa. Major. Nam datur & patrimonium, quo abuti non licet, exemplo jurisdictionis patrimonialis. Sed & minor falſa. Poteſt enim Rex patrimonialis Regno abuti, illud donare, aleæ imponere, ludere &c. At regerit Coccejus, non

poteſt

poteſt abuti Majeſtate ad exercendam injuſtitiam, perimendam civium ſalutem. Reſpondeo, injuſta facere, cives perdere extra ſphæram Majeſtatis ſunt poſita, hoc nunquam licuit Regi, hanc poteſtatem nunquam habuit, ergo nec in patrimonio ipſius eſſe, aut ad abuſum trahi poteſt. At Majeſtas ſeu jus ſubditos juxta juſtitiæ regulas regendi ad Regem patrimonialem ita ſpectat, ut etiam in ſui detrimentum hoc ſuo patrimonio abuti, illudque profundere, dilapidare, ludere, ac donare valeat. Nec video, qua ratione quicquam ſanctitati Majeſtatis decedat eo, quod abdicari & alienari pro lubitu a Rege poteſt. Ita argumentatur Coccejus: ſicut nil quicquam decedit omnipotentiæ divinæ eo, quod abuſus nullus in Deum cadit, ita exadverſo Majeſtatis perfectioni detrahitur eo ipſo, dum abutendi licentia Regi aſſeritur. At diſtinguere debuiſſet Coccejus inter perfectionem poteſtatis divinæ & humanæ. Reges quanti quanti ſunt, homines tamen ſunt, & erroribus ac vitiis obnoxii, quorum Deus eſt expers. Reges ſi pariter vitiorum eſſent expertes, neque in eos abuſus caderet. At dum abuſuum eos eſſe capaces humana eorum conditio & experientia evincit, etiam juxta hominum captum poteſtas Regia erit dijudicanda, & proinde major longe prædicanda poteſtas Regum patrimonialium, utpote ad populi voluntatem non reſtricta, quam aliorum Regum, quorum poteſtas a populo pendet.

§. XLII.

Coccejanæ ſententiæ, qua nulla dari regna patrimonialia aſſeritur, e diametro contraria eſt Hobbeſiana. *Hobbeſius* quippe omnia regna eſſe patrimonialia mavult in ſuis de Cive & Leviathane libris. Omne enim imperium aut abſolutum eſſe debere, aut nomen imperii non mereri, Regem, cujus poteſtas ſit reſtricta, Regem non eſſe, ſed civitatis primarium adminiſtrum. Quas rationes eleganter convellit *Ludewig* de Obligatione ſucceſſoris in Principatus p. 6. ſequentem in modum. Si nullus vere Rex eſt, niſi cum omnimoda poteſtate, Regis juſſu vel obligabitur ſucceſſor vel minus. Si primum, ſucceſſor Rex non erit, quia non ſuo nutu vivit, ſed imperio deceſſoris. Si alterum, neque deceſſor Regis merebitur nomen, utpote qui non omnem, puta ſucceſſorem obligandi habuit poteſtatem. Nos neque omnia Regna eſſe patrimonialia cum Hobbeſio, neque cum Coccejo

Hobbeſius omnia regna eſſe patrimonialia ait.

cejo & Ludewigio, nulla dari Regna patrimonialia ſtatuimus, ſed quædam talia eſſe poſſe aſſerimus. In dubio noviter parta patrimonialibus, antiqua liberis accenſemus. Conf. *Caſp. Achat. Beck* de jure Regni patrimonialis. Jen. 1712. & dicenda a nobis de Teſtamentis Tit. 21.

TITULUS V.

DE

Principum jure in re,

ſpeciatim de

Dominio ejusque origine.

* * *

Dominii origo nec ab illicita quadam cupidine, nec inſtituto mere civili, nec diviſionis quodam pacto, ſed conceſſione divina, res creatas humanis uſibus applicandi, arcenda videtur.

§. XLIII.

Diſtinctio juris in re & ad rem. Cognita ex ſuperioribus rerum ad Principes ſpectantium qualitate & differentia, ſigillatim nunc ad ſingula earum jura deſcendendum erit. Commode illa revocabimus ad vulgata illa duo jurium genera, jus ſcil. in re & jus ad rem. Prius in ipſa re ſine alterius cujusdam perſonæ reſpectu com-

competit, posterius non item, sed personam saltem obligatam reddit ad aliquid dandum, faciendum aut omittendum.

§. XLIV.

Quibusdam hæc distinctio mere civilis * videtur, nec proinde ad Principum jura quadrare. Et fatendum omnino, magis quidem palpabilem & conspicuam eandem esse in privatorum juribus, utpote qui ex legum civilium placitis non statim per obligationem contractam, sed demum per factam traditionem jus in re consequuntur, cum exadverso Principes lege civili soluti ex juris naturæ decretis statim post rem alienatam, adeoque eodem temporis momento, quo jus ad rem, etiam jus in re consequantur. *Non mere civilis.*

* Innuitur illa cap. 17. & 40. de præbend. in 6. cap. 8. de Concess. præbend. in 6. Clement. un. de sequestratione possessionum. §. 1. Inst. de Action.

§. XLV.

Penitius tamen si rem inspiciamus, deprehendimus distinctionem juris in re & ad rem in ipsa negotiorum indole fundamentum habere meritoque ipsis Principum negotiis applicari. Nam etiamsi mentem ab omni lege civili abstrahamus, tamen jura in re & ad rem non solum in idea & mentis conceptu, sed & effectu ac tempore distincta cernimus. Siquidem jus ad rem nonnisi mediante certa persona nobis competit, jus in re ad nullam certam personam est restrictum. Hinc jus in re contra quemvis persequi & vindicare licet, jus ad rem vero contra eum saltem, qui facto suo prius se nobis obligavit. Quoad tempus vero discrimen horum jurium se prodit, quoties objectum determinatum nondum adest, sed sola quantitas promissa, tunc enim obligatio & jus ad rem prius longe cernitur, quam jus in re, quod demum ex intervallo per factam individui assignationem ex ipsius naturalis juris placitis supervenit. *Ad Principes etiam spectat.*

§. XLVI.

Jus in re esse diximus, quod in ipsa re sine alterius cujusdam personæ respectu competit. Potest illud pro circumstantiarum diversitate esse *Species juris in re.*

nunc fortius, ſeu irrevocabile, nunc magis reſtrictum, ſeu revocabile. Sic jus, quo ſolius *poſſeſſionis* favore res ad aliquem pertinet, cedere debet fortiori illi, quando alius quidam præter poſſeſſionem, quam aliquando in eadem re habuit, juſtum etiam allegat titulum, nulla contraria præſumtione aut probatione elidendum, & vi cujus *dominium* rei ipſi competit h. e. jus re pro lubitu utendi fruendi de eaque diſponendi, id quod ſi poſt mortem ab alio quodam continuatur, *hereditatis* nomine venit. Sin plenaria de re diſponendi facultas deficit, ac nonniſi jus commoditatem certam in re percipiendi competit, *ſervitus* vocari conſuevit; ſi denique ne commoditatis quidem percipiendæ, ſed ſecuritatis ſaltem cauſa jus quoddam in re conſtituitur, *pignoris* nomine venire ſolet. Unde notæ illæ quinque ſpecies juris in re oriuntur, dominium, ſervitus, hereditas, pignus & poſſeſſio, * quas alii revocant ad tres, dominium, pignus & poſſeſſionem, ſubdividendo ſcil. dominium, in univerſale, quo nomine hereditatem innuunt, ** & ſingulare, hocque iterum diſpeſcendo in dominium rerum corporalium & incorporalium, quo ſervitutes pertinent. Alii plane unicam ſaltem ſpeciem juris in re conſtituunt, dominium ſcil. latius acceptum. Lis eſt de methodo, ubi quemlibet ſuo ſenſu abundare facile patimur. Nobis methodum vulgarem, quam *Hahnio* JCto Helmſtadienſi debemus, ſervare placet, & quinque memoratas ſpecies juris in re ſuo ordine perſequi, Principibus applicare, *dotiumque* jura tanquam ex dominio, uſusfructus, ſervitute, & pignore mixta ſubjicere.

* Qui poſſeſſionem non juris ſed facti meri eſſe contendunt, ac proinde negant, poſſeſſionem eſſe jus in re, meminiſſe debebant, quod poſſeſſio ad minimum pariat præſumtionem juris, nec proinde omni jure deſtituatur, ſed potius illud exerat, tum contra tertium, tum contra ipſum dominum, tam diu ſaltem, donec fortioris juris deductione elidatur. Quod interſeritur diſtinctionem juris in re & ad rem ſaltem ad petitorium, non autem ad poſſeſſorium pertinere, eatenus ſaltem procedit, quoniam jus ad rem poſſeſſorio accommodari nequit. Inde tamen non ſequitur, quod jus in re pariter a poſſeſſorio exulet, cum poſſeſſio, quamdiu nullum ejus vitium oſtenditur, ſine jure in re concipi nequeat.

** Qui-

** Quibus non ſine ſpecie objicitur, quod legatum & fideicommiſſum particulare dominium ſingulare involvat, & nihiloſecius ad hereditatem referatur.

§. XLVII.

Dominium nonnulli deſcribunt per facultatem in re propria, quæ tamen definitio lata & ambigua nimis videtur, quia nihilominus dubium remanet, quid ſit res propria, qualis ſit facultas illa competens? Alii deſcribunt, quod ſit jus alios a re excludendi, quæ definitio tam late patet, ut non modo omnes ſpecies juris in re, ſed ipſum etiam jus ad rem quodammodo ſub ſe comprehendat, & niſi operoſe explicetur, mero uſufructuario ipſum dominium tribuere videatur. Quare nos in ſtrictiori ſenſu dominium hic accipimus pro jure de re corporali diſponendi, eademque utendi fruendi. Conf. Tit. 16. §. 193. *Ariſtoteles* Rhetor. L. 1. c. 5. definit dominium, quod ſit cum penes nos eſt jus alienandi. *Bartolus* in L. Si quis 17. §. 1. Dig. de acquir. poſſeſſ. quod ſit jus de re corporali perfecte diſponendi. *Baldus* in L. fœminæ §. illud C. de ſecund. nupt. quod ſit proprietas cum plena alienandi potentia. *Dominii definitio.*

§. XLVIII.

Quæ vera dominii ſit origo, ante omnia inquirere operæ pretium erit, cum inde omnis tum inter vivos tum mortis cauſa de rebus diſponendi facultas pendeat, præſertim ubi de ſummis imperantibus aliisve perſonis illuſtribus, quas nulla legum civilium communio tenet, quæſtio incidit. Mihi prima dominii initia in primæva hominum paucitate (ubi dominii effectus, aliorum ſcil. a re excluſio, dominii ab uſufructu & poſſeſſione differentia &c. in oculos non incidebant) tam fuiſſe tenuia videntur, ut primitus ne animadverſa quidem, nedum memoriæ mandata aut ad nos per traditionem aut ſcripturam propagata fuerint. Quare omne hic punctum fert conjectura, quæ tamen adeo probabilis ſuppetit, ut vix fallere, aut res aliter ſe habere poſſit. *Origo.*

§. XLIX.

Scilicet & homines & res omnes in hoc univerſo Deum creatorem agnoſcunt. Homines quidem ita creavit Deus, ut iis ſimul ſe ipſos con- *In conceſſione di-*

vina rebus utendi quaerenda. ſervandi obligationem impoſuerit. Hæc vero conſervatio, cum ſine rebus in hoc univerſo paſſim obviis obtineri nequeat, eo ipſo Deum etiam tantum juris in res hominibus conceſſiſſe apparet, quantum ad eorum conſervationem eſt neceſſarium. * Hic ergo res in medio a Deo poſitas videmus, hominibusque ita permiſſas, ut cuique illæ cederent, quas occupando ſuas fecerit. En primum proprietatis ſeu dominii exordium, cujus explicatio quo ſimplicior, eo eſt probabilior, nec ullis communionis primævæ, factæ diviſionis, aut pactorum deſuper vel inter univerſum genus humanum, vel ſaltem inter ſingulos initorum figmentis premitur, ſed ea ſaltem aſſerit, quæ ipſa ſana ſibique ſoli relicta ratio certo novit, quæque haud parum roboris ac præſidii accipiunt ab accedente divinitus revelato oraculo Geneſ. I. 28. dum Deus hominibus ita benedixit: Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & *ſubjicite* eam.

* Quid igitur, ſiccine cuivis tantum ſaltem occupare licuit, quantum ipſi ad ſuam ſuorumve conſervationem erat neceſſarium? Reſp. Verendum non erat, ne primævis temporibus homines, qui numero admodum pauci exiſtebant, in tanta rerum abundantia plus occuparent, cum majori longe moleſtia ſuperflui cuſtodia ſuſcipi debuerit, quam neceſſaria quævis, utpote ubivis obvia, de novo occupari iterum potuerint. Quodſi vero forſan temporis ſucceſſu, cum multiplicatis hominibus terra ſine accedente cultura iisdem alendis non ſufficeret, nonnulli ex iis futuræ tum ſuæ, tum ſuorum indigentiæ proſpiciendum duxerunt, resque, agrosque, quos ignavi magis ac ſocordes ſpernebant, repoſuerunt ac coluerunt, æquum ſane erat, eos hunc diligentiæ ferre fructum, ut ipſis talium rerum uſus præ reliquis pateret, & reliqui hi tum demum in ejus ſocietatem admitterentur, ſi tantundem operarum vel aliarum rerum, quibus forte pollent, rependeant, aut aliter conſervari plane non poſſint. Sibi enim imputent, quod non æque ac alii ſuis tempeſtive invigilaverint commodis.

§. L.

Non in illicita cupidine. Judicari hinc poterit, in quantum variæ variorum Doctorum de Dominii origine ſententiæ ferri, limitari, aut repudiari debeant. Sunt, qui

qui primam dominii originem in perversa hominum cupiditate quærunt, eamque in se spectatam non prorsus innoxiam, sed demum superveniente hominum pacto convaluisse existimant. In iis est *Grotius* de J. B. & P. L. 2. Cap. 2. §. 2. *Thomas.* Jurispr. divin. L. 1. c. 2. §. 44. *Ludolph.* de jure primog. Aphor. I *Glafeu* in seinen Vernunfft-und Völcker-R. p. 613. 651. nec multum abludit *Gribner.* Princip. Jurispr. Natur. L. 1. c. 6. th. 4. & L. 4. c. 5. th. I. At enim vero pertinent hæc ad dominii abusum, a quo illud non diu mansisse immune facile concesserim, ipsam vero ejus originem non modo innoxiam, sed plane a Deo præceptam quodammodo vidimus. Imo ne ipse quidem status innocentiæ dominii penitus fuit expers. Quis enim dubitabit pomum, quod comedendum decerpserat Adamus, in ipsius extitisse dominio.

§. LI.

Nec lege mere civili.

Alii in iisque Celeberrimus Belgarum JCtus, *Cornelius van Bynckershœck* de domin. mar. p. 3. dominium non quidem illicitum, sed primævo statui naturali saltem incognitum esse, atque ex lege civili demum descendere contendunt. Horum sententia in tantum saltem in quantum de civilibus dominii effectibus agitur, ulterius autem plane non est admittenda. Alias enim summi imperantes, Principes, omnesque, quos civilis juris communio non tenet, de dominio suo nunquam forent tuti, sed illo penitus privarentur. Accedit, quod tunc imperia & jura civilia dominio antiquiora constituerentur, quod tamen superioribus dictis ipsique sacræ paginæ prorsus repugnat, utpote quæ Abelem oves, alios alias possessiones, diu antequam ullum imperii vestigium compareret, habuisse testatur.

§. LII.

Nec communione.

Plerique vero dominii originem a divina arcent concessione, quod tamen cum faciunt diversi, diversam ingrediuntur viam. *Zieglerus* de Jurib. Majest. L. 2 c. 7. §. 9. & ad Grotium L. 2. c. 2. *Becmannus* Meditat. Polit. c. 6. §. 10. & *Hornius* Jurisprud. feud. c. 9. §. 1. a Deo universi Orbis dominium Adamo & Evæ ita concessum existimat, ut si alius præter Adamum extitisset, hic Adamo invito nihil occupare potuisset, Adamo mortuo totius mundi dominium ad ejus posteros ita esse devolutum, ut talis communio inter eos obtinuerit, qualis inter

ter coheredes esse solet, donec ea familiæ ercíscundæ ratio pacto fuerit inita, ut quilibet ea, quæ haberet, retineret, reliqua in medio relinquerentur, & cujuslibet occupationi paterent.

§. LIII.

positiva. *Grotius* econtra de J. B. & P. L. 2. c. 2. §. 2. ejusque asseclæ in ea sunt opinione, ac si Deus humano generi generaliter jus in res creatas contulerit, talemque introduxerit communionem, qualis inter primævos Christianos extitit, a qua tandem, atque in proprietatem itum fuerit pacto quodam aut expresso, ut per divisionem, aut tacito, ut per occupationem. Utrique sententiæ graviter obstat, tum quod divisionem pactave inita præter necessitatem fingat, tum etiam quod doceri idoneis testimoniis, firmisve argumentis nequeat, ipsum rerum dominium a Deo vel Adamo vel universo humano generi fuisse concessum. Contrarium potius excitatus supra locus Genes. I. 28. innuit, nimirum non ipsas res ipsumve dominium, sed jus saltem ad illud acquirendum, ad res sibi *subjiciendas*, protoplastis fuisse concessum.

§. LIV.

vel negativa. Animadvertit hoc jam dum *Puffendorfius* de off. hom. & Civ. L. 1. 6. 12. dum *positivam* talem communionem a Deo inter homines introductam negans, *negativam* eam fuisse mavult, ubi tamen observo, hanc communionis negativæ notionem valde esse incongruam & incommodam, cum omnis communio aliquid positivi innuat. Ipse Puffendorfius hoc largitur eo ipso, dum ab hac communione genus humanum per pactum quoddam universale recessisse asserit, quale tamen unquam fuisse initum, ne probabile quidem, nedum temere fingendum.

§. LV.

Nec divisionis pacto. Quare recentiores quidam, in iisque *Gribnerus* l. c. th. 6. licet Puffendorfium quoad reliqua hujus dogmatis capita sequantur, in eo tamen illud emendatum cupiunt, quod non universali, sed particularibus pactis cum proximis quibusvis initis in communionis locum proprietatem substitutam fuisse docent, quo ipso tamen causam suam haud reddunt meliorem,

rem. Namque & hæc pacta, cum facti ſint, non præſumenda ſed probanda erunt, quod tamen a nemine factum eſt, & ſi forte fieri poſſet, ſolos tamen paciſcentes talia pacta ſtringerent, reliquis autem, quorum maximus ſane foret numerus, horum proprietates ac dominia invadendi impunitatem haud obſcure relinquerent.

§. LVI.

Quæ cum ita ſint, hæc de primæva quadam negativa communione hypotheſis aliter ferri non poterit, quam ſi ita emendetur, ut dicamus per *Prima dominii* illam id innui, res ab initio a Deo in medio fuiſſe poſitas ſive nullius. Si *facies.* magna licet componere parvis, comparaverim divinam hanc conceſſionem miſſilibus, quæ ſpargere quandoque in vulgus ſolent Principes. Illa a Principe projiciuntur, dantur, traduntur incerto, primo ſcil. occupanti, qui antequam reperiatur, omnino ſunt nullius. Sic pariter res omnes in hoc mundo a Deo ita fuerunt poſitæ in medio, ut tamdiu eſſent nullius, donec primo cederent occupanti, ejusque tamdiu remanerent, donec eas dereliquerit iterum. Idem ſenſiſſe videtur *Titius* ad Puffendorfium de Officio Hom. & Civ. Obſ. 277. n. 2. ubi ita ſcribit: Ab initio omnes res fuerunt nullius i. e. earum dominium hominibus a Deo quidem donatum (quam vocem poſtea commodius explicat per deſtinatum) ſed ab his nondum acceptatum fuit.

§. LVII.

Colligi hinc poterit, in quo primitus rerum proprietas ſeu domini- *Et effe-* um conſtiterit, aut ſeſe exererit, uno verbo in ſolo uſu. Quo minus *ctus.* enim in commercium deducerentur, obſtabat earum abundantia, cum nemo ab altero vel precibus vel plane oneroſo titulo acquirere voluerit id, quod ubivis erat obvium, quodque ſola occupatione ſuum facere poterat. Sed nec vindicationi rerum facile locus eandem ob cauſam eſſe potuit. Nemo enim alteri ſurripiet id, quod eadem opera juſto titulo acquirere poteſt, & ſi forte ſurripuerit, alter tamen operoſe non vindicabit, cum ejusdem bonitatis ſpeciem faciliori longe negotio de novo ſibi poteſt occupare. Unde inter poſſeſſionem ac dominium primitus differentia nulla animadverſa. Cave tamen inde concludas, quia ipſo actu primitus inter

domi-

dominium, usumfructum & possessionem differentia fuit nulla, ergo plane non differunt. Primitus enim differentia saltem non animadversa ob deficientem occasionem, distincta hæc jura in actum deducendi, adfuit tamen in potentia, & omnino homines diversis his juribus data occasione uti potuissent, temporisque lapsu re apse usi sunt, ac quotidie adhuc recte meritoque utuntur.

§. LVIII.

Vestigia ap. Germanos.

In specie apud Germanos & Franco-Gallos certa terrarum dominia diu satis ignorata *Cæsar* de Bell. Gall. L. 6. c. 22. scribit: neque quisquam agri modum certum aut fines proprios habet, sed magistratus ac Principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierunt, quantum eis, & quo loco visum est, attribuunt agri, atque anno post alio transire cogunt. Et *Tacitus* de Morib. Germ. c. 26. Agri pro numero cultorum ad universis per vices occupantur, mox inter se juxta dignationem partiuntur. Facilitatem partiendi camporum spatia præstant. Arva per annos mutant, & superest ager. *Gundlingius* in Gundlingianis Part. 3. n. 2. T. 1. p. 235. & Part. 9. num. 1. Tom. 2. p. 295. dominiorum certitudinem demum ad Clodovæi M. tempora refert. At altius ascendendum esse retur *Leibnitius* de Orig. Francorum. His ita de dominii origine & indole præmissis, facile nunc erit, de ejus objecto, tum de modis acquirendi, tum reliquis dominii juribus ferre judicium.

TITU.

TITULUS VI.

DE

Objecto dominii, inprimis de Maris Dominio.

* * *

Omnes res homini utiles, ipsumque mare in dominio esse possunt.

§. LIX.

Quandoquidem dominium in hominum utilitatem introductum est, ipsum quoque dominii objectum constituunt res omnes, quæ homini usui esse & apprehendi possunt. *Objectum dominii sunt res utiles.*

§. LX.

Unde & aër quatenus apprehendi potest, suo modo huc refertur. Universim si aër consideretur, verum est, quod de eo canit *Ovidius* L. 6. Metamorph. *Aër.*

Nec solem proprium natura nec aëra fecit.

Unde & aër communis omnium & liber esse dicitur §. 1. Inst. de Rer. divis. L. 2. §. 1. Dig. eod. L. 13. §. ult. Dig. de injur. & famos. libell. L. 11. C. de ædif. priv. At mirum in modum restringitur hæc libertas, habito respectu ad certum territorium. Notum est vulgatum illud Doctorum: aërem supra fundum ad extremum usque cœlum esse domini perinde, ut id, quod sub fundo est in imis terræ cavernis ad ultimum usque centrum. Et in L. ult. §. 4. Dig. quod vi aut clam dicitur: quod sepulchri non solum is sit locus, qui recipit humationem, sed omne etiam supra id cœlum. Adde, quæ habet *Zieglerus* ad Grot. p. 226. Possum, scribit, jure servitutis mihi

constitutæ prohibere, ne ædes altius tollas, ne luminibus officias, quod quid aliud est, quam quod aërem ædibus meis conterminum liberum mihi esse etiam extra terræ usum velim.

§. LXI.

Plane *Samuel Stryckius* de jure Principis aëreo ad aëris dominium designandum refert morem Regum Hungariæ, quando in coronationis actu stricto S. Vladislai ense quater aërem versus omnes mundi plagas verberant. Utut ego crediderim, tali vibratione Reges saltem indicare, potestatem, qua pollent, sese exerere in omnibus Regni & regionis plagis. Neque arridet philosophia *Baldi* Consil. 445. & *Knichen.* de jur. territ. c. 3. n. 398. quasi furcæ sint signum, quod denotet dominium aëris. Quod vero *Cedrenus* de Michaële Paphlagone memoriæ prodidit, eum tributum pro cœlo & spiritu aëris exegisse merito ad abusus tyrannicos dominii aërei refertur. Sed cum frequens de aëris dominio controversia vix metuenda sit, huic rei immorari, supervacaneum putamus.

§. LXII.

Mare Mare autem an dominii capax sit, priscis pariter ac recentioribus temporibus acriter fuit disceptatum, cum gentes nonnullæ in maria imperium sibi vindicarent, quæ quidem disceptatio juris Gentium, neque tamen ab hoc etiam loco aliena esse videtur. Non enim tantum gentium imperio, sed ipsi etiam privato Principum dominio maria subesse posse asserimus. Ratio hujus rei exinde patet, quod superius ex naturali jure, nec non revelata DEI voluntate ostendimus, earum rerum, quibus humana indigentia sublevatur, occupationem omnino esse licitam. Quantum autem tum ipsum mare, tum reconditi in ejus visceribus thesauri humanæ indigentiæ præsidium afferant, nemo credo inficiabitur, qui navigationum, piscium marinorum & lapillorum pretiosorum inde extractorum, ipsum denique defensionis, quam mare regionibus, quas alluit, usum penitius pensitaverit. Quæ omnia meo quidem judicio abunde satis evincunt, mare dominii haud esse incapax, sed tum a liberis populis publici usus causa, tum etiam a Principe privatæ commoditatis ac utilitatis causa licite occupari. Num autem ex

ex tali maris dominio jus ſit domino alios a navigatione prohibendi, aut ſub vectigalium onere illam permittendi, infra dicetur L. 2. T. 2. §. 269.

§. LXIII.

Diſſentientium ſive eorum, qui mare dominii incapax interſerunt, argumenta ad duo capita commode revocantur, quod ſcil. mare nec phyſice nec moraliter occupari poſſit. Phyſice mare occupari poſſe negat inprimis *Grotius* L. 2. c. 2. §. 3. quia occupatio non procedit, niſi in re terminata, liquida autem per ſe non terminantur, niſi ut contenta in re alia, mare vero terra non contineri par terræ, aut terra majus. Sed demus Grotio, occupationem non procedere niſi in re terminata, liquida autem, quale eſt mare, per ſe non terminari, falſum tamen eſt, quod addit, mare aliunde non poſſe terminari, falſum, quod terra non contineatur, falſum denique quod terra par imo majus ſit. Demonſtrant Mathematici, ſpeciatimque *Ricciolus* in Almageſto L. 2. c. 14. n. 14. calculo ſatis ingenioſo, molem aquæ ab illa terræ 3453. vicibus ſuperari. Ex quo ſequitur, terram non oceano veluti inſulam innatare, quæ *Thaletis* quondam fuit opinio, ſed oceanum potius terra contineri, quod & divina confirmant oracula Job. XXXVIII. verſ. 8-11. Proverb. VIII. v. 29. adeo ut meliori jure oceanus pro terræ, quam terra pro oceani acceſſorio habeatur. Addit *Ziegler.* de Jur. Maj. L. 2. c. 7. §. 10. in fin. etiamſi major maris, quam terræ quantitas concedatur, eam tamen non impedire, quo minus mare termino alieno contineatur, cum & major poſſit eſſe quantitas vini quam vitri, in quo illud continetur. *Obj. I. terminari nequit mare*

§. LXIV.

Poſito itaque, quod mare terra contineatur, ſequitur etiam, quod in dubio mare ad terræ, qua continetur & circumſcribitur, dominum pertineat, qua ratione Turca ſibi Helleſpontum, Danus mare Balticum, Veneti Adriaticum, Genuenſes Liguſticum mare ſibi vindicant. Neque hoc negat ipſe Grotius, qui in cit. §. 3. ſaltem de mari ſub ratione *integri*, aut ſub ratione *præcipuarum* partium loquitur, & mare occupari poſſe ab eo, qui terras ad latus utrumque poſſidet, utut privatus ſit, diſerte fatetur L. 2. *Reſp. & terra & navibus terminatur.*

c. 3. §. 8. 10. Sed ulterius progredior, ac mare certasque ejus particulas non terra sola, scopulis ac promontoriis, sed & in altissimo ac a terra remotissimo oceano navibus & classe terminari ac occupari posse, contendo, adeo ut Princeps in illa maris parte, ubi classem habet, pro illius domino tam diu habendus videatur, donec eam revocat, eoque ipso mare deserit, ac derelinquit. Conf. *Grotius* L. 2. c. 3. §. 11.

§. LXV.

an & per gradus long. & latit?

Quos vero nonnulli inter maris terminos ponunt gradus longitudinis, latitudinis, Aequatorem, Tropicos &c. cum sola imaginatione non ipso actu constituantur, ad designationem capiendæ in Oceano possessionis minus idoneos, sed inhabiles prorsus agnosco, cum possessionis apprehensio non sola voluntatis declaratione sed actu corporali peragatur vid. Tit. sq. §. 74. Alias enim sola declarata occupandi voluntate Geometra, aut Astronomus, qui hæc signa, has lineas, hos gradus primus excogitavit, terræ cœlique dominium reliquis totius orbis incolis præripere potuisset, quod dudum sagaciter jam monuit *Grotius* de mari libero c. 5. p. 37. Ubi vero maris cujusdam occupatio ipso actu jam facta, & super portione occupata postmodum paciscendum, aut divisio suscipienda, tunc ad possessionem & dominium transferendum nudus consensus, nuda voluntatis declaratio sufficiet, adeoque & valide gradus illi longitudinis & latitudinis terminorum loco poni poterunt, prouti reapse factum fuit in fœdere inter Ordines Belgii fœderati & Austriacos anno 1608. & in fœdere Hispano-Britannico, ubi æquator in mari terminus est positus. Sic & Alexander VI. Papa divisit inter Lusitanos & Castellanos insulas noviter repertas per lineam ex polo Arctico ad Antarcticum ductam.

§. LXVI.

Obj. II. inexhausti usus est mare

Aliud argumentum, quo illi, qui mare occupari posse negant, se tueri satagunt, inde repetunt, quia mare inexhausti sit usus, quibus tamen facillime occurritur per instantiam a terra petitam, quæ itidem inexhausti usus & tamen per partes occupata, ac inter plurimos divisa existit. Pari ratione totus oceanus inexhausti usus est, at singulæ ejus particulæ non omnibus

bus ſufficiunt, nec ſine opera & induſtria ſuos præbent proventus, quare a quibusdam recte occupantur.

§. LXVII.

Inſtant, cuſtodiam maris uni populo moraliter eſſe impoſſibilem. Vid. *Puffendorf.* de Off. L. 1. c. 12. §. 4. At largimur, uni non omnia eſſe tribuenda, nec terra ad unicum populum pertinet, ac ſi forte pertineret, cuſtodiri ab eodem non poſſet, inde tamen non ſequitur, ergo nec per partes occupari, aut inter plures dividi potuit. Pari ratione licet oceanus ab uno nec occupari nec cuſtodiri poſſit (nam inanes fuere Hiſpanorum, Anglorum aliorumque populorum, qui tale quid quandoque moliti ſunt, conatus) poteſt tamen a pluribus. Hinc quemlibet illam maris partem, quæ ſibi erat proxima, occupaſſe animadvertimus. Et quidem illæ maris particulæ, quæ aliquo territorio quoad maximam partem includuntur, & Sinuum nomine veniunt, per territorii occupationem tanquam acceſſorium occupatæ videntur. At de mari, quod ditionem ſaltem alluit, idem aſſerere non audeo, quin potius ſigillatim illud occupandum eſſe exiſtimem, quia alias de termino ditionis quousque occupata ſit, haud conſtaret, quod vel ſatis arguit diſſenſus eorum, qui mare territorio contiguum ipſo jure ad hujus dominum, tanquam limites, munimenta, & acceſſorium quid pertinere contendunt. Nonnulli enim centum milliariis in mare adjacens imperium territoriale ex vicina terra extendunt, alii ſexaginta * tantum, alii tantum ſpatium, unde vox clamantis exaudiri poſſit, alii in quantum telum ab arcu, aut globus ex tormento mitti queat, largiuntur. Vid. *Ziegler* de Jurib. Maj. L. 2. c. 7. §. 8. Rectius autem ob rationes modo allatas territorii domino in tantum ſaltem maris vicini dominium tribuitur, quousque cuſtodes aut naves eidem appoſuit. Add. Grotius L. 2. c. 3. §. 11.

Obj. III. cuſtodiri nequit.

* Ita inter alios *Bodinus* de Republ. L. 1. c. 10. p. 267. jure, inquiens, quodammodo Principum omnium maris accolarum communi receptum eſt, ut ſexaginta milliaribus a littore Princeps legem ad littus accedentibus dicere poſſit. Atque ita judicatum in cauſa Ducis Allobrogum.

§. LXVIII.

Obj. IV. a communione primæva qua mare haud recessum.

Denique contra maris dominium urgent nonnulli communionem primævam, a qua, quantum ad terram attinet, pacto vel expresso vel tacito quidem fuerit recessum, neutiquam vero quoad mare, quod simulac Princeps vel populus aliquis occupare voluerit, reliquos semper dissensisse & contradixisse. Quare his invitis a communione recedi non posse, sed in eadem hodienum permanendum esse. Vide hanc in sententiam differentem *Glafeyum* im Vernunfft- und Völcker-Recht p. 604. Sed innititur totum hoc argumentum vanæ de primæva quadam communione hypothesi, quæ cum supra destructa sit, tota hujus vis concidit. Taceo, quod, eâdem admissa, difficulter admodum marium particularium dominium asseri & vindicari possit. Imo sequeretur ex eadem hypothesi, pacta inter quasdam gentes de magno oceano insulisque in eodem detectis inita a tertio quovis posse infirmari, utpote qui communionem primævam urgere posset, & asserere, insulas tales, tanquam maris accessorium ad se quoque, qui communioni nunquam renunciaverit, pro parte spectare.

TITU-

TITULUS VII.
DE
Modis dominium acquirendi
& sigillatim de
Occupatione Originaria.

* * *

Nobilissimus isque originarius acquirendi modus est occupatio, seu apprehensio rei, quæ nusquam antea ullius fuerat.

§. LXIX.

Modi acquirendi dominium ad quatuor reduci * possunt omnes, originarios duos, & duos derivativos. Originarii sunt occupatio de qua hoc & sq. Tit. & accessio naturalis Tit. 9. & 10. Derivativi cessio ** cum alterius acceptatione conjuncta, & ablatio ob delictum. Cessio fit vel inter vivos, vel mortis causa. Hæc ad hereditatum materiam pertinet. Cessio inter vivos autem alia est præsumta, quorsum spectat accessio industrialis Tit. 11. & 12. & præscriptio, alia tacita, quæ cernitur in derelicti occupatione, Tit. 13. alia denique expressa seu per consensum expressum declarata Tit. 14. & fit vel gratis, ut in donatione, vel titulo oneroso per pacta & contractus. Ablatio ob delictum cernitur in occupatione bellica, & confiscatione bonorum ob delicta in Republica commissa Tit. 15. *Modi acquirendi.*

* Aditionem huc non pertinere observavimus §. 26.

** Per

** Per Cessionem non solum dominium, sed & alia jura tam realia, quam personalia possunt acquiri. Quare ea quæ de dominii acquisitione per cessionem dicturi sumus, etiam ad alia jura recte applicantur.

§. LXX.

in iis non est divisio.

Divisio aut plane non est modus acquirendi, præsupponit enim dominium commune, aut si eam inter acquirendi modos propterea reponere velis, quod per eam a communione recedatur, & cuique res propria assignetur, ad cessionem revocari poterit. Distinctionem quoque inter modos acquirendi dominium naturales & civiles ideo omisimus, quia non specie, sed requisitis differunt. Illi enim modi, qui vulgo civiles vocantur, ne naturali quidem juri sunt incogniti, econtra naturales a civili etiam jure formam certam accipere possunt. Sic donatio & usucapio vulgo inter civiles acquirendi modos reponuntur. At manifestum est, utramque ad naturale etiam jus spectare, atque a civili saltem requisita certa eidem superaddi. Exadverso occupatio, accessio, traditio modis acquirendi naturalibus seu juris gentium annumerantur, & nihilosecius civiles etiam legislatores de iis statuere solent. Nos singulos modo memoratos acquirendi modos breviter percurremus, ita ut non quidem omnia, quæ eo referri possent, sed ea saltem quæ in illustri præsertim, seu Principum dominio usum habent, in medium proferamus.

§. LXXI.

Modus originarius quid?

Originarios acquirendi modos cum *Puffendorfio* dicimus eos, per quos in rem aliquam ab initio proprietas inducitur. Alii ut *Grotius* sub originario acquirendi modo intelligunt omnem illum, puo dominium antea penes neminem existens noviter acquiritur, atque hoc sensu ad eum quoque rei derelictæ occupatio, nec non occupatio bellica pertineret, quas tamen ex nostra hypothesi modis acquirendi derivativis annumerabimus. Huc vero illam saltem rerum occupationem referimus, quæ hactenus nunquam ullius * fuerunt. Atque hanc jure meritoque dicimus originarium acquirendi modum, propterea quod per superius deducta rerum dominium non

a com-

a communione, eamque ſecuta, ut nonnulli volunt, diviſione ſed ab ipſa occupatione & poſſeſſione cœpit. **

* Ea enim, quæ alicujus fuere, at derelicta ſunt, juſte quidem occupantur, ſed NB. non modo acquirendi originario, ſed derivativo. Quæ vero adhuc ipſo actu ab alio poſſidentur, eidem invito citra cauſam eripi nequeunt, adeo ut ne quidem Princeps ſedibus pulſus in alterius territorio, eodem invito, vi conſidere aliter poſſit, quam ſi nullum aliud ſe conſervandi medium ſuppetit.

** Ii, qui occupationem non modum acquirendi dominium, ſed ſaltem apprehendendi poſſeſſionem interſerunt, ita ut ad dominium acquirendum prævio alio juſto titulo opus ſit, ſecum reputent, quam difficile ſit, talem titulum ſemper edere, quodque tunc terræ & inſulæ vacuæ nunquam juſte occupari poſſint.

§. LXXII.

In ſenſu generaliori occupatio quamvis rei apprehenſionem denotat. *Occupatio quid?* Fit hæc vel animo ſibi habendi, vel non. Illa iterum fit vel in rebus, quæ antea ad neminem ſpectarunt, vel ab alio jam occupatis. Prior ſaltem hujus eſt loci, & deſcribitur per apprehenſionem rei antea a nemine occupatæ animo ſibi habendi factam. Negant nonnulli ſufficere apprehenſionem ad occupationem, hancque deſcribere ſatagunt per redactionem in poteſtatem. Vid. *Auguſtin. Leyſer* de jure privatorum circa occupationem th. 1. At enim vero per ipſam apprehenſionem additaque ſigna, quibus dominii animum declaramus, res, quæ antea nullius erat, ſatis omnino in poteſtatem redigitur. Politicæ conſiderationis eſt quæſtio, num contra aliorum vim res a nobis apprehenſas tueri valeamus. In puncto autem juris id quæritur, num potentior jus habeat eripiendi alteri res, quas apprehenſas ſuas eſſe declarat, quod merito negatur, quia per apprehenſionem talis res nullius eſſe deſiit, atque in dominio permanet, donec deſeratur. Nec obſtat, quod fera vulnerata non ſtatim fiat vulnerantis. Vulneratio enim apprehenſionem nondum involvit. Quod autem in bellica occupatione præda non prius occupantium fit, quam intra præſidia fuerit perducta, a ſocietate civili,

vel bellica potius arcendum, vi cujus cives, quorum nomine bellum geritur, causam communem faciunt, unamque personam repræsentant, atque hæc societas peculiaribus gentium institutis determinata passim cernitur, vid. Tit. 15. §. 189. Ei vero, qui terram incognitam vacuam ingreditur, signisque voluntatem, apprehendendi certam ejus portionem, sufficienter declarat, illius dominium a potentiore superveniente juste denegari, vix crediderim.

§. LXXIII.

quomodo peragatur?

Existimo igitur, absolvi occupationem possessionis apprehensione animo sibi habendi facta. vid. Tit. 8. §. 102. Fit apprehensio corporis ad corpus adjunctione, aliter tamen in mobilibus, aliter in immobilibus. In mobilibus requiritur apprehensio vel manibus vel instrumentis facta, unde feras retibus, laqueis, decipulis, vivariis imo sylvis ita circumseptis, ut aufugere nequeant, inclusas nostras esse, recte docet *Grotius* L. 2. c. 8. §. 2. & 4. Quoad immobilia autem differentia se prodit rerum derelictarum & earum, quæ nullius unquam dominio subfuere. Illæ e. c. domus, civitates, horti &c. determinatos suos habent fines, quare pro earum apprehensione solus ingressus * cum declarato sibi habendi animo sufficit. Hæ vero determinatæ ita non sunt, quare ut constet, quidnam occupatum præcise sit, finium determinatio accedat, nisi forte insula parva, quæ determinatos a natura fines habet, occupetur. **

* Hinc decidenda quæstio: an urbs vacua cedat ei, qui primus jaculum immittit, an qui intrat? Vid. *Grot.* L. 2. c. 8. §. 6. Conf. dicenda Tit. 13. §. 155.

** De cetero utrobique nihil refert, utrum occupatio fiat per universitatem, prout *Tacitus* de Morib. German. de Germanis refert, apud eos occupari agros pro numero cultorum ab universis per vicos, quos mox inter se secundum dignationem partiantur, facilitatem partiendi camporum spatia præstare: an singuli singulas suas in vacuo occupent possessiones, quod Romanos fecisse testatur *Livius* L. 5. Romanæ urbis formam ideo urbis occupatæ magis, quam divisæ similem judicans.

§. LXXIV.

§. LXXIV.

Equidem recentiores nonnulli in iisque *Titius* ad Lauterbach. Obſ. 1010. & ad Puffendorf. de Off. hom. & civ. Obſ. 292. occupationem ad acquiſitionem originariam neceſſariam præciſe eſſe negant, ſed eam requiri ſaltem ut medium voluntatem acquiſituri aliis indicans, qui ſi voluntatem habendi alio actu declaret, tunc etiam ſine occupatione dominium acquiri. Allegat Titius l. c. pro ſua ſententia *Grotium* L. 2. c. 8. §. 2. qui tamen tantum abeſt, ut ſententiæ ipſius faveat, ut potius ſq. §. 6. diſſerte aſſerat, poſſeſſionis *initium* NB. eſſe corporis ad corpus adjunctionem. Ergo non ſola voluntatis declaratio. Et recte omnino. Conf. Tit. 8. §. 82. Alias enim, & ſi Titii ſententiam admitteremus ſequeretur, quod per ſolam declarationem, qua quis profitetur, ſe habere voluntatem ſibi acquirendi terras omnes hactenus incognitas, talium inventores a dominio eorum occupando juſte excluderentur, quod nemo ſanus ſibi perſuaderi patietur. *an ad acquiſitionem neceſſaria?*

§. LXXV.

Sicut & id ſponte corruit, quod *Titius* Obſ. ſq. 1011. ſtatuit, ſi duo circa rem acquirendam concurrant, nec viſum nec occupationem rem uni addicere, ſed illam eſſe communem. Erit potius tota occupantis. Ubi tamen illud facile conceditur, eum, qui in occupatione plurimum laboris jam impendit, a tertio, qui forte intervenit, non impediendum eſſe, aut rem in qua occupanda verſatur, ipſi præripiendam, juxta regulam communem: quod Tibi non vis fieri &c. Quare tertio intervenienti tamdiu expectandum, usque dum penes alterum ulterior occupandi ſpes evanuerit. Conf. Tit. 15. §. 189. *de plurium circa acquiſitionem concurſu.*

§. LXXVI.

Hinc moribus receptum, ut quamvis in alieno ſolo venari non liceat, liceat tamen feram in ſuo fundo vulneratam (quod ex ſanguinis veſtigiis probari poteſt) in vicini fundum perſequi. Vid. Land-R. L. 2. art. 61. & quidem quod addit *Beierus* Jur. Germ. L. 2. c. 2. pos. 74. per 24. horas. In Saxonia tamen per Landes-Ordnung Chur-Fürſt Auguſti

 de

de 1573. ſimpliciter in alterius ſolo venari prohibitum. Imo & extra Saxoniam Electoralem & iis in locis, ubi jus ſequelæ, ſeu perſequendi feram vulneratam in fundo alieno hodienum obtinet, nihiloſecius fundi dominis facultas præoccupandi feram, quam alter perſequitur, indulgetur ob L. 5. §. 1. Dig. de acquir. rer. domin. & §. 13. Inſt. de rer. diviſ. Jure Provinciali Suevico c. 352. fera in alienum fundum fugiens tum demum perſequenti tribuitur, ſi præ laſſitudine aut vulnere concidit, aut ſubſiſtit.

TITULUS VIII.

DE

Venatione.

* *
*

Ferarum dominium ante earum apprehenſionem perperam Principibus tribuitur. Jus autem, quod Principi competit, excludendi ſubditos a venationibus commodius ex poteſtate legislatoria, quam ferarum dominio, deducitur.

§. LXXVII.

Venatio quid?

Rerum mobilium occupatio pro objecti diverſitate diſpeſcitur in occupationem rerum animatarum, quæ Venatio dicitur, & inanimatarum, quæ Inventionis nomine venit. Voci *venatio* Germanica die Jagd non omnino æquipollet. Latini enim ſub venatione Aucupium pariter ac Piſcationem comprehendunt, Sic piſces venari legitur apud *Plinium* L. 18. c. 8. & *Plau-*

& *Plautum* in Rudente Act. 4. Scen. 3. v. 31. At Germanicum Jagd, jagen de piscibus nunquam usurpatur. Unde is cui prædium mit denen Jagden concessum, piscationem sibi arrogare non poterit. Magis dubia res erit, si concessio facta mit allem Waidwerck. Piscationem tunc comprehendi censent *Hunnius* de jure venandi th. 17. & *Harprechtus,* quoniam vox Waid ad intestina respicit, piscibus cum aliis animantibus communia. In contrarium pronus videtur *Ludewigius* de Venatu p. 3.

§. LXXVIII.

In sensu Latino venatio triplex constituitur, nimirum Venatio in specie sic dicta, ferarum * scilicet terrestrium, Aucupium seu volucrum captura & Piscatio. Atque hæc venationum jura hodie plerumque penes solos Principes existere animadvertimus, subditis ita exclusis, ut nonnisi ex Principis concessione iisdem gaudeant, cujus quidem rei causam & fundamentum diversi diversum interserunt. *quotuplex?*

* Ferarum character non in ipsarum *natura* est quærendus, quod faciunt plerique in iisque *Puffendorfius* de I. N. & G. L. 4. c. 6. §. 5. Animalium enim naturam si inspiciamus, omnia, ne homine excepto, feris annumeranda deprehendes. *Grotius* Annal. Belg. L. 5. p. 386. feritatis characterem in *fuga* ponere, omniaque animalia mansuetis accensere videtur, dum scribit: quod ab animantibus fugimur, argumento est, non illis deesse, sed nobis mansuetudinem, volucres quippe faciles esse capi, quamdiu morem humanæ aviditatis ignorant. At perperam in fuga naturam feritatis poni, recte notat *Leyser* de jure privatorum circa occupationem c. 2. §. 1. alias enim infantes nostri, qui ad aliorum adspectum fugiunt, feræ erunt bestiæ, leones econtra, qui hominem non fugiunt, sed fugant, mansueti. Leyserus igitur ferum esse ait, *libertatem* & facultatem pro lubitu vagandi *amare.* Sed vereor, ne sic quoque animalia multa, quæ mansuetis accensemus, feris aggregentur. Mihi feritatis character potius in *consuetudine* hominum animalia vel *cicurandi* vel in naturali sua feritate relinquendi quærendus videtur, adeo ut illa

in mansuetorum sint numero, quæ cicurare solemus, in ferarum quæ non item. Hinc pro locorum & temporum diversitate eadem animalia nunc feris nunc mansuetis erunt accensenda. Certa ovium, equorum, gallinarum, columbarum, anserum, anatum genera cicurare solemus, alia non æque. Apibus, si apiariis includuntur, vix ferarum jura inprimis circa occupationem sunt applicanda, secus ubi in sylvis citra ullam hominum curam mellificant. Conf. Commentatores ad L. 5. Dig. de acquir. rer. domin.

§. LXXIX.

Cur ad solum Principem spectat?

Antiquiores plerique hanc Principum prærogativam inde arcent, quod Princeps, continuos pro Republica labores sustinens, hac voluptate quodammodo sit solandus, præcavendas esse hac ratione lites inter venatores, alias rem prope a seditione & latrociniis abfuturam, si promiscua venatio & usus armorum esset vulgo. Verendum, ne agricultura & opificia negligantur, aut species ferarum perpetuo venatu extinguantur. Docent hi, quid expediat in Republica, quidque prudenter statui, Principique concedi possit, ipsum autem juris venandi fontem, ac unde præcise constet, illud Principi reapse concessum esse, non satis aperiunt. Quare recte omnino graviterque contra eos disserit *Jo. Frid. Hornius* de Civitate L. 2. c. 3. §. 5. felicior ceteroquin in his suis adversariis confutandis, quam vera hujus rei causa indaganda ac commonstranda.

§. LXXX.

Non vi dominii.

Quærit scilicet illam in *dominio* Majestatis & territorii, specialiter in sylvam & nascentia in sylvis. Vestigia ejus legisse videtur *Titius* Obs. ad Lauterb. 1010. dum ferarum dominium etiam *ante occupationem* Reipublicæ ac imperanti tribuit. Sed & in horum opinione desidero, quod hactenus Principum dominium in feras rite probatum aut deductum non sit. Namque per universi quidem territorii occupationem occupantur quidem simul omnes ejusdem accessiones, pertinentiæ e. c. res perpetuo ejusdem usui destinatæ, omniaque quæ eidem cohærent, quo tamen feræ

plane

plane referri nequeunt. Quamquam feræ naſcuntur in ſylvis, non tamen naſcuntur ex ſylvis, nec proinde pro territorii acceſſorio aut parte venditari poſſunt. Nec juvat, quod ex ſylvis alantur. Quis enim animal pro pabuli acceſſorio venditabit? Recte itaque *Grotius* L. 2. c. 8. § 2. & 4. illas ſaltem feras, quæ in vivario aut ſylvis circumſeptis vel alias ita incluſæ ſunt, ut exire inde nequeant, in dominio eſſe aſſerit, unde reliquas nullius eſſe, ac regulariter tam a civibus quam extraneis capi, occupari poſſe, ſponte fluit. Non enim ſoli & loci, ſed capionis jure fera animalia acquiruntur.

§. LXXXI.

Aliunde igitur id, quod Principi ſoli venatio in civitate competit, ſubditique ab eadem arcentur, derivandum, ex imperio ſcilicet Principis in ſubditos eorumque actiones, vi cujus ex ipſa imperii indole ea, quæ civitati expedire videntur, pro lubitu ſtatuere, adeoque & prohibere poteſt, ne ſubditi feras capiant, de cujus prohibitionis æquitate non eſt ut diu multumque ſimus ſolliciti. Sufficit nobis, venationem rem eſſe meræ voluntatis ſeu juris naturalis permiſſivi, quod circa Princeps in Republ. pro arbitrio leges ferre poteſt. *Sed poteſtatis legislatoria.*

§. LXXXII.

Hoc poſito cognitu facile erit, quale ſit illud jus, quod Princeps in feras nondum captas aut incluſas habet. Nimirum tribuit illud non ipſum ferarum dominium. Hoc enim cum nemo habuerit, nec transferri in Principem potuit, ſed excludit ſaltem ſubditorum facultatem feras capiendi, qua ante prohibitionem gaudebant. Cenſuram hinc meretur *Grotius*, dum L. 2. c. 8. §. 5. aſſerit, poſſe legem etiam ante occupationem rerum (ferarum) dominium transferre, cum ad dominium producendum lex ſola ſufficiat. Etenim ad res, quæ nullius hactenus fuere, omnes homines æquale jus habent. Quivis igitur ſuo quidem illam occupandi juri pacto vel lege (quæ in Republ. vim pacti habet) poteſt renunciare, nemo autem tertii jus pacto ſuo intervertere. Quare ut res ita fiat noſtra, ut omnes reliqui ab eadem arceri poſſint, requiritur apprehenſio poſſeſſionis. Ipſe autem Grotius §. ſq. 6. fatetur, poſſeſſionis initium eſſe corporis

ris ad corpus adjunctionem, quæ ſane ſola lege fieri nequit, ſed actum quendam corporalem requirit. Quamvis igitur dominium rei jam occupatæ, utpote in qua tertio jus nullum eſt, naturaliter ſolo pacto, adeoque in Republ. etiam ſola lege in alium transferri, ab eoque citra apprehenſionem continuari poſſit, idem tamen in rebus nunquam antea occupatis non procedit, nec ad dominium in iis producendis ſola lex ſufficit.

§. LXXXIII.

Unde legislatori præ territorii domino jus excludendi a venando competit.

Quæ cum ita ſint, cumque Principi non ipſum ferarum dominium, ſed jus ſaltem ab earum captura ſubditos excludendi competat, ſequitur, in caſu quo territorii dominium penes unum, poteſtas legislatoria autem penes alium exiſtit, in dubio jus a venationibus alios excludendi potius legum, quam territorii domino eſſe tribuendum. Ubi vero uni territorii dominium, alteri poteſtas legislatoria, tertio autem jus venandi cum aliorum excluſione competit, videmus id omne pactis ſpecialibus, ac ſervitutis cujusdam conſtitutioni tribuendum eſſe.

§. LXXXIV.

Idque contra exteros urgeri nequit.

Porro Princeps ſuum circa feras jus contra alios quosvis, qui ſubditorum numero non ſunt, urgere ex dictis principiis nequit, ſed illud tunc vim amittit. Quodſi itaque extraneus quidam prævia Principis venia hujus territorium intrat, & manifeſte non tanquam ſubditus ſed hoſpes tractatur, is jure ſuo uti, feras nondum captas occupare, nec earum furtum committere dici poterit. Imo ipſi ſubditi, etiamſi ipſis ferarum captura a Principe prohiberi poſſit, reapſe tamen eâdem prohibiti haud ſunt præſumendi. Prohibitio enim eſt facti, nec præſumitur, ſed tamdiu Princeps cuilibet, ſicut circa alias res indifferentes, ita in ſpecie circa ferarum capturam liberam facultatem reliquiſſe cenſetur, donec contraria ejus voluntas apparet.

§. LXXXV.

In Germania pro

Neque aliter ſe res habet in Germania noſtra. *Titius* quidem ad Lauterbach. Obſ. 112. ad neſcio quam *conſtantem* provocat *obſervantiam*, vi cujus

cujus in Germania ferarum dominium penes imperantem existere, & sine hujus concessione illas a nemine posse occupari, constanter existimatum fuerit. At miror, hæc talia Viro doctissimo excidisse, qui certe ignorare non potuit, jam suo tempore *Cæsarem* de Bell. Gall. L. 6. c. 21. scripsisse, Germanorum vitam omnem in *venationibus* atque in studiis rei militaris consistere, & sequioribus temporibus in jure provinciali saxonico L. 2. art. 61. ferarum potestatem cuilibet adeo liberam pronunciari, ut tria saltem Saxoniæ nemora excipiantur, in quibus feras capere prohibetur. Adde jus Provinciale Suevicum cap. 237. 352. Quidquod hodienum in Germania passim libera viget venatio die freye Pürsch-Gerechtigkeit. Vid. *Ottonis* Tractat von der freyen Pürsch ex eoque *Beyer*. Jur. Germ. L. 2. c. 2. pos. 6. 8. Et quamvis in plerisque Germaniæ territoriis hodie jus venandi subditis sit interdictum, hæc tamen prohibitio, cum facti sit, nec præsumenda, nec generalis exinde poterit exsculpi consuetudo, sed hodienum potius pro libertate militat præsumtio; quod quidem post alios multos negat Beyer. l.c. pos. 11. quoniam hæc præsumtio toties cesset, quoties libertas in genere sublata est. At vellem probasset simul Vir Celeberrimus libertatem in genere sublatam. Invertenda potius res videtur, & dicendum, naturalem subditorum circa res indifferentes libertatem particulatim per particulares imperantium leges restringi, neque ulterius sublatam esse, quam doceri idem ac probari potest.

libera venatione præsumendum.

§. LXXXVI.

Utut autem libera in dubio venatio præsumi debeat, nec ante factam a Principe prohibitionem is, qui feram privato ausu capit, deliquisse dici possit, liberum tamen semper erit Principi, cujus hoc in passu potestas pactis, Capitulationibus & legibus fundamentalibus circumscripta non est, pro lubitu & quandocunque voluerit, hanc libertatem tollere, subditosque a venationibus arcere, quia in dubio in imperantem collata a subditis censetur potestas circa res indifferentes statuendi ea, quæ publicæ rei expedire videbuntur, & in contravenientes animadvertendi. *

Quæ tamen prohiberi a Principe potest.

* Sed an & pœna furti & capitali? Dubitari posset propterea, quod supra feras ante capturam in Principis dominio esse ne-

gavimus, unde nec furtum earum concipi poterit. Sed ſalva res eſt. Feras enim in dominio Principis eſſe negamus, antequam fuerint captæ, ob apprehenſionis ſeu occupationis defectum. Simul autem ac captæ ſunt, in dominio eſſe incipiunt, non quidem furis, qui cepit. Is enim licet voluntatem acquirendi habeat, deſtituitur tamen facultate, palmario illo acquirendi requiſito. Quare non ſibi, ſed ei in cujus favorem mediante lege ferarum capturæ renuntiarat, h. e. Principi, adeoque feras a ſe captas auferendo verum omnino furtum committit.

Capitalem pœnam ob ferarum capturam contra prohibitionem factam infligi poſſe, poſt alios multos negant magni nominis Viri *Gailius*, *Weſenbecius*, *Pruckmannus*, *Tiraquellus*, *Arniſæus*, *Heigius*, *Bocerus*, *Speckhanius*, *Schneidewinus* aliique, quos ſigillatim citat *Carpzovius* Prax. Crim. part. 2. Qu. 84. num. 26. 36. quod proportio nulla adſit inter feram captam & hominis vitam. Sed enim vero non tam ad feram captam, quam ſpretam Principis autoritatem reſpiciendum, cumque levioribus pœnis furum, qui feras ſuffurantur, temeritas reprimi nequeat, aucto delinquentium numero & conatu, pœna etiam recte exaſperatur, quod & exemplo aliorum furtorum patet, ubi pariter inter rem ablatam hominisque vitam non adeſt proportio.

§. LXXXVII.

Iterumque concedi.

Simulac Principis adeſt de feris non capiendis prohibitio, ſubditis eas capere integrum aliter non erit, quam impetrata a Principe conceſſione, quæ concedi ſolet vel revocabiliter, quo ſpectat venatio precaria **die Gnaden-Jagd**, ad ſingula momenta revocabilis, vel irrevocabiliter, quod præſumitur in dubio, ſive donationis, ſive oneroſo titulo, per pactum, nunc expreſſum e c. contractum, nunc tacitum aut præſumtum per præſcriptionem venatio a Principe impetratur. Conf. §. 97.

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII.

Sed nec uniformiter jus venandi conceditur. Aliquando minor saltem venatio indulgetur, die niedere Jagd, quæ tribuit jus capiendi lepores, vulpes, perdices, turdos, alaudas, item Feld- und Wasser-Hühner, Schnepffen, Enten rc. aliquando media die mittlere Jagd, quorsum pertinent capreoli die Rehe, & apri minores, aliquando denique major die hohe Jagd, quo pertinent feræ majores, hoch, roth und schwartz Wild item Trappen, Aurhahnen, Haselhühner, Berghühner, Schwäne, Kraniche, Fasanen rc. * *Diversimode.*

* Verbis ludunt, qui voculis proprie nimis acceptis Aucupia ad Venationem supremam die Ober-Jagd, capturam quadrupedum ad intermediam Mittel-Jagd, piscationem ad infimam die niedere Jagd referunt.

§. LXXXIX.

In dubio concessa venatione major quoque concessa censetur, tam ob vocis generalitatem, tum latissimam beneficiorum a Principe indultorum interpretationem præsertim in Tabulis antiquis. Nam ante duo adhuc secula incognita fuit Germanis distinctio in venationem majorem & minorem. Idem & procedit, etiamsi venationis nulla mentio expressa facta, sed aliquis saltem de Sylva investitus mit allen gesuchten und ungesuchten Nutzungen und Gerechtigkeiten. *Beyer* l. c. pos. 50. Imo jurisdictione superiori & inferiori concessa etiam jus venandi saltem inferius concessum intelligi, vel minimum præsumtionem pro jure venandi inde oriri post *Schilterum* Exerc. 4. §. 18. & *Berger.* Oecon. Jur. L. 2. T. 2. §. 8. tradit *Hornius* in Accesf. ad Jus feud. p. 53. At si superior venatio expresse concessa, inferior eo ipso exclusa censetur ob strictam pactorum interpretationem, adeo ut regula: cui plus licet, ei etiam minus, suum hic officium perdat. *Ratione objecti.*

§. XC.

Etiam modus venandi in concessionum formulis determinari solet. Simpliciter concessa venatione etiam majorum ferarum, non tamen con- *Instrumentorum.*

cessum videri das Pürschen und Schiessen ex *Carpzovio* docet *Beyer* l. c. pos. 60. nec cum concessione des Pürschen und Schiessens concessam censeri venationem mit Netzen und Hunden. Quemadmodum das Pürschen und Hetzen non comprehendit jus pandendi Jonas Netze und Tücher aufzustellen, neque hae species omnes venationem cum clamore das Klapper-Jagen, nec denique jus venandi comprehendit jus sylvam cingendi das hagen, utpote quod ad jus foresti das Forst-Recht pertinet, non ad jus venandi, seu bannum ferinum vulgo die Wildbahn, quæ ita differunt, ut bannum ferinum venationem, jus foresti ligna & pascua præcipue respiciat. Nihil tamen in alterius fraudem faciendum. Sic qui jus foresti habet, non potest ligna catervatim excidere, ausstöcken, in fraudem venationis. Conf. §. 101.

§. XCI.

Temporis

Nonnunquam Princeps venationem concedens sibi reservat venationem simultaneam, aliquando die Vor-Jagden, ita ut impetrans eo demum anni tempore venari incipiat, quo Princeps desinit, quæ tamen reservationes in dubio non præsumuntur, sed liberum potius jus venandi iis, qui eodem gaudent, relinquitur, nisi quod eodem abstinere debeant in der Setz-Zeit von Fastnacht bis Bartholomæi, ubi tamen pariter pro mensa instruenda ein Fest-Wildpret feriarum solennium aut obveniente festivitate nuptiali, baptismali venari licet *Beyer*. l. c. pos. 21.

§. XCII.

Clerici venari prohibentur.

Circa personas quibus venatio a Principe, qui eam alias exercere prohibuit, indulgenda res a Principis arbitrio pendet, qui plerumque nobilibus solis majorem præsertim venationem, aliquando & indistincte prædii cujusdam possessoribus sive nobiles, sive ignobiles sint, eandem concedit. An Clericus venandi jus acquirere & exercere possit? dubitandi rationem præbet, quod jure Canonico speciatimque cap. 1. & 2. X. de Clerico Venatore omnibus servis Dei venationes, & sylvaticas vagationes cum canibus & accipitres aut falcones habere interdicitur, addita pœna, ut si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit, si

Episco-

Episcopus est, tribus mensibus a communione, si Presbyter duobus, si Diaconus ab omni officio suspendatur.

§. XCIII.

Ratio hujus prohibitionis in eo sita videtur, quod Clerici morum gravitati studere debeant, quacum venationis studium vix consistere posse putabatur. Male enim apud Patres antiquos tum venationis studium, tum ipsi venatores audiunt, præsertim cum notante *Hieronymo* in scripturis sanctis sanctus non inveniatur venator. Imo sequioribus temporibus velut in parœmiam abiit odiosa illa venatoris definitio, quod sit bestia, sedens super bestiam, secum ducens bestiam, insequens bestiam. Forte etiam nonnulli Clerici bona Ecclesiastica piis usibus destinata canibus, falconibus &c. alendis consumserunt, ut hinc concilium Aurelianense, ex quo citata duo capita desumta sunt, ansam arripuerit, prorsus interdicendi Clericos venationibus. *Cur?*

§. XCIV.

Quæcunque tandem causa hujus prohibitionis extiterit, sufficit legem adesse, quæ sperni temere non debet. Equidem Canonistæ nonnulli in ea restringenda & mitiganda admodum laborant. Nonnulli eam de sola venatione clamorosa & periculosa accipiunt. Alii Episcopis solis semper illicitam esse venationem contendunt, aliis Clericis autem recreationis causa sine clamore cum retibus canibus & laqueis, cum silentio & modestia licitam esse. Vid. *Ziegler.* de Jur. Maj. L. 2. c. 14. §. 38. qui tamen recte monet, generalia prohibitionis verba has restrictiones penitus respuere, idque clarius patere ex verbis Nicol. I. Papæ Canon. 3. distinct. 34. ubi Episcopus ab omnium bestiarum vel volucrum venatione penitus alienus existere jubetur. Sed nec Episcopos solos hac lege teneri, sed & reliquos Clericos, tum inscriptio citati Decretalium Tituli, quæ de *Clerico* Venatore sonat, tum capitulum ipsius primum, quod diserte Presbyterorum & Diaconorum meminit, tum denique cap. 2. quod de omnibus Dei servis conceptum, satis superque evincit. Quare cum de mente legis clare satis constet, & Decretales universim in Germania receptæ sint, quin *Etiam in Germania.*

in dubio huic diſpoſitioni Clericis apud nos quoque ſtandum ſit, vix ambigendum.

§. XCV.

Exc. inveſtiti de venationibus.

Dico in dubio. Secus enim ſe res habet, ſi de contrariis patriæ moribus conſtat. Sic in Germania Archi-Epiſcopos, Epiſcopos & Abbates de Venationibus paſſim inveſtiri plane videmus, cujus rei originem ex Seculo XI. repetit Ziegler l. c. §. 42. quo in maximam licentiam diſciplina Eccleſiaſtica degeneravit, antea Seculis omnibus inauditum fuiſſe, Epiſcopos privilegia de venationibus ferarum ab Imperatoribus petere, ſcribit Georg. *Fabricius* Orig. Saxon. L. 2. p. 215. Alicubi etiam Canonici Capitulorum Superiorum contraria quadam conſuedine ab hac de non venando prohibitione ſe immunes ſatis oſtendunt.

§. XCVI.

Præſcribitur venatio contra Principem.

An & præſcriptione jus venandi contra Principem acquiri poſſit? disquiritur. Ordinariam præſcriptionem hic non ſufficere, largiuntur omnes. At immemoriali tempore quæcunque venationum jura contra ipſum etiam Principem præſcribi, communis plerorumque eſt ſententia *Struvii* puta, *Carpzovii*, *Berlichii*, *Mevii*, *Zangeri*, *Schneidewini*, *Pruckmanni*, *Finckelthuſii*, *Ziegleri*, *Bechmanni*, *Heroldi*, quos citat *Beyer.* Jur. Germ. L. 2. c. 2. pos. 39. Alii econtra ut *Sutholtus*, *Paurmeiſterus*, *Thomaſius* & ipſe *Beyerus* l. c. adverſus Principem ſeu dominum territorialem præſcriptionem hic prorſus allegari non poſſe exiſtimant, quorum tamen argumenta tanti ponderis non ſunt, ut a communi recedamus ſententia, dummodo termini ad præſcriptionem habiles ponantur.

§. XCVII.

Poſitis terminis habilibus.

Scilicet poteſt Princeps regulariter naturalem ſubditis, qua alias gaudent, feras capiendi libertatem, mediante prohibitione pro lubitu auferre, propterea quod in dubio illimitata circa res indifferentes ſtatuendi poteſtas in eum collata cenſetur. Hæc poteſtas prohibendi res eſt meræ facultа-

cultatis, quæ nullo unquam tempore, nullis ſeculis poteſt præſcribi, niſi accedat alius actus, quo ſubditi Principi ſe a venationibus arcere volenti hanc prohibendi facultatem denegant. In hac denegatione ſi Princeps acquieſcit, jus inde eſt ſubditis quæſitum, jam currere incipit præſcriptio. Eliſa enim eſt præſumtio, quæ antea pro Principe ejusque prohibendi jure militabat, & nunc potius præſumtio eſt pro ſubditis, eos venandi jura ſibi reſervaſſe, nec circa ejus prohibitionem Principi quicquam juris eſſe. Quæ præſumtio niſi iterum per Principis contradictionem elidatur, ex tacito Principis conſenſu ejusque ſilentio robur capit, atque accedens temporis lapſus id operatur, ut ſubditi ab omni clandeſtinitatis aut violentiæ adhibitæ ſuſpicione liberentur (quomodo enim quæſo tempore immemoriali præterlapſo Princeps talia poſſeſſionis vitia probabit?) quo facto ſubditi in jure ſuo ita firmantur, ut illud ipſis juſte eripi amplius non poſſit.

§. XCVIII.

His poſitis ſponte corruunt adverſariorum argumenta. Primo dicunt, ſubditorum qua talium, adverſus imperantem jus perfectum eſſe nullum. Limitationibus hæc theſis eſt obnoxia. Sed admittamus eam tantisper. Sufficit in caſu propoſito, quod ſubditi quoad venandi prohibitionem ſe tales eſſe negant, ſibique venationem reſervaſſe aſſerunt. Pergunt, privatum contra publicam utilitatem nil ſuſcipere debere. Quid vero expediat, eſſe Principis judicare, non ſubditi. Reſpondeo: Poteſt conſiſtere publica utilitas etiamſi ſubditis venatio reſervetur vel relinquatur. Atque tunc venationis intuitu reſtringi poteſt Principis judicium de eo, quid circa venationem ſit utile. Quo ipſo & corruit id, quod addunt Principem facere debere id, quod Reipubl. expedit, licet per mille annos neglectum. Imo major eſt utilitas ſubditis jura ſibi reſervata relinquere illibata, quam ſub utilitatis publicæ prætextu in aliena jura involare, quod ſicut injuſtum, ita rite ſi rem ponderes, ſemper etiam inutile. Inſtant diſſentientes, præſcriptionis majorem vim non eſſe, quam privilegii aut legis publicæ, at hanc a Principe pro lubitu revocari. Sed diſtant omnino inter ſe hoc in paſſu præſcriptio, privilegium, & lex publica. Præſcriptio conſenſum præſumtum involvit producentem jus, quod altero invito

Objectiones diluuntur.

vito

vito infringi nequit. Similis est natura privilegii jus quoddam conferentis. Lex vero publica a solo Principis arbitrio pendet, exinde nemini jus est quæsitum, adeoque & pro lubitu a Principe revocatur.

§. XCIX.

De Venat in alieno territor.

Ubi alicui in alieno territorio jus venandi competit, æquitas postulat, ut uterque suo jure citra alterius damnum utatur: nec proinde per venationem incolis damnum, quod vitari potest, inferendum: nec in venationis præjudicium arbores cumulatim cædendæ, aut tempore fœturæ in der Setz-Zeit; multo minus sylva radicitus evertenda. Frustra distinguit *Besold.* P. 1. Cons. 15. sitne venandi jus pacto an præscriptione acquisitum: hoc casu sylvam extirpari posse, illo non item censet. Utroque casu jus adest quæsitum, quod auferri non debet.

§. C.

De glande legenda.

Jus glandis legendæ rectius ad territorii ac foresti, quam venationis jura refertur, cum glandes sint pars & fructus arborum. *Pruckmannus* quidem glandes feris in alimenta privative cedere censet. *Noa Meurerus* foresti domino saltem permittendum putat, certum porcorum numerum ad pastum sylvæ glandiferæ immittere, die Schweine in die Eichel-Mast zu schlagen. *Harprechtus* glandes saltem a pastu reliquas foresti domino vindicat. At cum feris in pastum cedant gramina & frutices, sufficiet omnino illas glandes ipsis relinqui, quæ ab incolis eorumque porcis haud leguntur.

§. CI.

Crescente ferarum numero superfluæ, quibus alendis sylva haud sufficit, capiendæ aut occidendæ, ne fame coactæ in agros & prata erumpant. Judicium Imperii Aulicum in causa Späth von Zwifalten contra Hohen-Zollern Hechingen decrevit, daß der Herr Fürst von Hohen-Zollern seinen ihn zu Neufra zuständigen Wildban wieder in seine alte Schrancken setzen, die hierin eingeklagte Späthische Beschwerden und Extensionen gäntzlich abstellen: Hingegen eine beständige Milderung haupt-

hauptsächlich durch gnugsame Wegschiessung des vielen Gewildes, und Abhaltung von denen so wohl Späthisch Herrschafftlich als Unterthanen Güthern und Gründen veranstalten, darüber auch die gebethene cautionem sufficientem de parendo præstiren solle, damit nicht nöthig sey, die ebenfalls gebethene oder andere zulängliche Gegen-Mittel zu verordnen. Vid. *Bonhœffer* de jure venandi per modum servitutis Juris publici in territorio alieno. §. 21.

§. CII.

Quæ de ferarum venatione hactenus disseruimus, pari ratione ad aucupium & piscationem * sunt applicanda. Pergimus itaque ad occupationem rerum inanimatarum, seu inventionem, ubi iterum lectorem meminisse velim, versari nos in modis acquirendi originariis, & proinde excludere inventionem rerum derelictarum, mercium naufragio ejectarum, ac thesaurorum absconditorum. Hæc enim ad derivativos acquirendi modos spectat. Hujus vero loci est inventio rerum antehac nunquam occupatarum e. c. lapillorum pretiosorum, aliarumque ullius pretii rerum in aquis aut terra reperiundarum. Quamvis enim harum alia ac ferarum sit ratio, meritoque pro fundi, ubi jacent, accessorio habeantur, non tamen simul cum ipso fundo aut territorio ab ejus domino occupatæ censentur, propterea quod de iis ne cogitasse quidem, nedum eas occupandi voluntatem, quæ tamen præcipuum occupationis requisitum constituit, habuisse dici potest. Unde primo occupanti illæ cedere debent, nisi ipse dominus hæc talia sibi habendi animum declaret, utpote qui mediante tali declaratione vi dominii, quod per illam in res tales acquirit, ab earum occupatione tum proprios suos subditos, tum extraneos quoque recte arcet. *De inventione*

* Ad quam etiam in dubio pertinet der Otter oder Biberfang, ceu pronuntiatum 1692. in causa nobilis cujusdam immediati contra Comitem quendam Imperii, qui sub prætextu juris venandi, quo gaudebat, hanc castorum capturam sibi vindicare cupiebat. Vid. *Engelbrecht.* de servitutib. Juris publ. p. 295.

§. CIII.

non temere

Humana tamen conditio, quam cum reliquis mortalibus communem habent Principes, admonere eos debet, ne ſine gravi ac ſufficienti cauſa, ex ſola forſan ambitione, avaritia, aut voluptate, ab earum rerum uſu alios arceant, quas ipſa natura communi omnium uſui inſtar generalis beneficii produxiſſe videtur, præſertim cum experientia, ipſeque eventus ſæpe docuerit, inanes ab ipſa natura, eamve dirigente providentia divina redditas fuiſſe ejusmodi Principum prohibitiones. Noſtra memoria Fridericus III. Elector Brandeburgicus, cum magnopere luſciniarum cantu delectaretur, veritus, ne earum captura infrequentior harum avium cantus redderetur, prohibuit earum capturam. At cum omnium ſtupore animadvertebatur, pluribus ab hac prohibitione annis nullam in ditionibus Brandeburgicis auditam fuiſſe luſciniam.

§. CIV.

prohibenda.

Antiqua hiſtoria plura ſiſtit naturæ beneficia, quæ ſponte ſua ceſſarunt, ſimulac Principum invidia ac prohibitio eadem ſubditis voluit difficiliora. Cum antea & nunquam & nusquam Ægyptia faba ſereretur, aut ſata creſceret, præterquam in Ægypto, Alexandro tamen, Pyrrhi filio regnante, in quadam Epiri palude enatam caſu fuiſſe, ac toto biennio poſt abunde fructus peperiſſe, qui adoleverint: cum vero præſidium Alexander ibi collocaſſet, quo arcerentur non ii tantum, qui decerpere vellent, ſed illi etiam, qui commearent videndi gratia, exſiccatum paludem, & in poſterum non ſolum ejus fabæ non genuiſſe plantas, ſed nec jam inde aquam in ea fuiſſe conſpectam, memoriæ prodidit *Athenæus* L. 3.

§. CV.

Aliisque naturæ beneficiis,

In Edepſo rivulus mari vicinus gelidam aquam fundens emicuit, cujus potus ægris plurimum auxiliabatur, ideo confluentibus illuc multis e locis remotioribus, ut aquam biberent: Antigoni vero Duces cum res Principis adminiſtrare diligentius cuperent, & bibituros vectigalis nomine pendere quippiam juſſiſſent, evanuit illa ſcatebra. In Troade cum antea

cuivis

cuivis permitteretur, falem Tragafæum auferre gratis, falarium tributum fimulac Lyfimachus exigi mandavit, illic poftea nil falis vifum eft. Admiratus id Lyfimachus tributum remifit, continuoque falis rurfus adfuit abundantia. Collegit hæc exempla *Juftus Zinzerlinus* de thefauris inter difputationes Bafileenfes Vol. 6. num. 6.

* *

TITULUS IX.

DE

Acceffione Naturali, & primo de Fructibus Naturalibus fpeciatimque Metallicis.

* * *

Per acceffionem fructus naturales regulariter domino rei, tanquam pars ejus, acquiruntur. Circa proventus metallicos tamen confuetudines & leges peculiaria paffim difponunt.

§. CVI.

Acceffionem naturalem originariis acquirendi modis eatenus annumero, quatenus per illam id, quod rei principali citra humanam induftriam a natura accedit, illius dominus eo ipfo occupat & acquirit. Recte enim notat *Puffendorfius* de Off. hom. & civ. L. 1. c. 12. §. 5. modos acquirendi originarios effe vel fimpliciter tales, quibus dominium in corpus alicujus rei acquiritur, vel fecundum quid, quibus incrementum aliquod ad rem *Acceffio naturalis.*

rem nostram adjungitur. Quod vero *Titius* ad hunc locum Obs. 299. hanc in modos acquirendi principales & accessorios distinctionem non ad solos originarios sed pariter & ad derivativos pertinere contendit, quoad naturalem certe accessionem est limitandum. Hæc enim semper est originarius acquirendi modus. At licet quandoque rei, quæ per modum derivativum nobis est acquisita, naturalis fiat accessio, tantum tamen abest, ut hæc ideo fiat modus acquirendi derivativus, ut potius dicendum videatur, illam ipsam rem, quæ alii a natura accedit, originarie nobis acquiri, propterea quod tale incrementum antea in nullius dominio fuit. Contingit accessio naturalis vel per fructus naturales, vel per alluvionem, vel per insulam natam, vel denique per alvei derelictionem. Singulis his casibus res acquiritur, quæ antea ad neminem pertinuit, & proinde originarie acquiritur. Et quamvis stamina & ipsa materia, unde tales accessiones oriuntur, in dominio antea fuerint, formatæ tamen exinde a natura species fuere nullius, & quia insensibiliter a natura formatæ sunt, rectius rei principali, cui accedunt, quam domino materiæ, ex qua vel coaluere, vel nutritæ sunt, quique incertus esse solet, addicuntur.

§. CVII.

Cernitur in fructibus naturalibus.

Fructus naturales sunt, qui ab ipsa natura sine principali * hominum industria proveniunt, quales sunt fœnum, poma, quæ soli vel arboris domino tanquam accessio cedunt, item animalium fœtus, qui tanquam ventris accessio itidem hujus domino acquiruntur, ita ut animalis imprægnantis aliter nulla habeatur ratio, quam si super mercede convenerit, id quod non modo naturali nititur æquitate, cum fœtus sit pars viscerum maternorum, ab iisque nutrimentum capiat, sed civili etiam lege firmatur. L. 5. §. 2. Dig. de rei Vindic.

* Vix dantur fructus sine omni humana industria. *Aristoteles* Oecon. L. 1. c. 2. ipsam agriculturam modum acquirendi naturalem vocat.

§. CVIII.

e. c. metallis.

Naturalibus adhuc fructibus merito annumerantur metalla ac mineræ, quæ ex terris extrahuntur. Nam quia solo cohærent, merito pro ejus parte

parte & accessione habentur, ac proinde regulariter ad soli dominum pertinent, quod JCtorum nonnulli sic efferunt: quicquid sub fundo meo est in imis terræ cavernis ad ultimum usque centrum, id meum est, perinde ut aër supra fundum ad extremum usque cœlum. Idemque jus Romanum probat, dum in privatorum quoque dominio ac usu fodinas fuisse docet L. 7. §. 13. Dig. solut. matrim. utut quasdam apud Romanos quoque mineras publicas fuisse constet ex L. 15. Dig. de publican. *Plinio* L. 33. c. 4. & præsertim *Polybio* Lib. 6. Mox vero ulterius processit legumlatio Romana, ac metalla inventa addixit inventori, ita ut decimam partem fundi domino & præterea fisco partem certam exhibeat. L. 1. & 3. C. de Metallar. Jus feudale Longobardicum ad Regalia refert Argentarias h. e. metallifodinas 2. feud. 56. Sicut & in aliis regnis passim Regi aut Principi ad publica onera facilius sustinenda sapienti quodam instituto metalli fodinæ sunt relictæ, cum facilius longe ac lubentius a subditis detur id, quod nondum apparet, atque incertum est, quam tributa certa exiguntur.

§. CIX.

In Germania antiquissimis temporibus Metallifodinas ad Regem seu Imperatorem spectasse ex charta divisionis Ludovici Pii a *Stephano Baluzio*, Capitul. Reg. Franc. c. 12. p. 577. edita aliisque Diplomatibus probat *Hornius* Jurisprud. feud. c. 9. §. 10. Trahunt etiam huc plerique textum Land-R. L. 1. art. 35. Alle Schätze unter der Erde begraben tieffer, denn ein Pflug gehet, gehöret zu der Königl. Gewalt. *Metalli fodinæ olim erant Regis.*

§. CX.

Olim quidem non sine fundamento existimabatur, hoc textu non metalla, sed thesauros reconditos intelligi, tum quod hoc ipsa propria thesauri significatio, nec non additæ aratri & defossionis circumstantiæ melius ad thesaurum quam metalla quadrantes innuere, tum verba sequentia: Silber mag auch kein Mann graben auf eines andern Guth ohne des Willen den die Statt ist, plane evincere videantur. Cur enim domini fundi, nec potius Regis permissio requirenda, si ad hunc non ad illum fodinæ pertinerent. Ac licet in antiquioribus Codicibus nec non versione Latina verba

 paulo

paulo aliter sonent. Hæc enim ita habet: omnis thesaurus subterraneus profundius aratri meatu *jacens* ad Imperii pertinet Majestatem. Illi autem: allerhand Schatz gemeiniglich tieffer denn ein Pflug gehet, der gehöret zu der Königl. Gewalt. Tantum tamen abest, ut antiqui hi Codices pro metallis militent, ut potius novum hinc desumi possit argumentum pro sententia contraria, quæ textum hunc non de metallis sed rebus reconditis accipit. Loquitur enim ille de thesauris, qui *communiter* gemeiniglich sub terra reperiuntur, quod apprime ad res reconditas quadrat, quas plerumque sub terra, nonnunquam alibi in tectis, muris & contignationibus reperimus, cum exadverso metalla semper sub terra nunquam alibi lateant. Interim cum vox begraben non solum defodere sed & effodere notet, & in Speculo Suevico art. 218. verba ita sonent: Wer Schatz unter die Erde begräbet, tieffer den ein Pflug gat, der gehört zur Königl. Gewalt, hinc recentiores plerique hunc textum ad metalla referunt, quorum sententiam ipse Saxonum Elector publica Constitutione, quæ ultima est part. 2. probavit.

§. CXI.

Medio ævo Germaniæ Principibus concessa.

Hoc certum satis videtur, jam medio ævo Germaniæ Principes metallifodinarum jura exercuisse, non tamen territorii jure, sed ex speciali Imperatorum concessione. Facit huc Constitutio Henrici VI. Imperatoris apud *Goldastum* Tom. 3. Constit. Imper. p. 362. ibi: cum omnis argentifodina ad jura pertineat Imperii, & inter Regalia nostra sit computata, nulli venit in dubium, quin ea, quæ nuper in Episcopatu Mindensi dicitur inventa ad nostram totaliter spectet distributionem. Unde in ea nulli hominum quicquam juris recognoscimus, nisi hoc a nostra liberalitate valeat specialiter impetrare &c. Unde clare satis apparet, metallifodinarum jus ipsum dominium fodinarum comprehendere, ceu recte jam observavit *Arumæus* ad A. B. disc. 5. §. 5. nec in solo jure decimas inde exigendi consistere, quod post alios multos erronee putant *Rosenthalius*, *Sixtinus*, *Bocerus*, *Rumelinus* ad A. B. diss. 8. th. 9. & *Seckendorf.* im Fürstenstaat part. 3. c. 3. §. 3. Henricus Imperator deinceps tertiam tantum partem istius argentifodinæ sibi retinuit, reliquas duas Episcopo Mindensi concessit.

§. CXII.

§. CXII.

Seculo XIV. tandem per A. B. cap. 9. omnibus Electoribus auri & argentifodinæ atque mineræ stanni, cupri, ferri, plumbi & alterius cujuscunque generis metalli ac etiam salis tam inventæ, quam inveniendæ in suis territoriis sunt concessæ. Hodie autem vi superioritatis territorialis omnes Imperii status easdem sibi in suis ditionibus vindicant, sumtuum tamen, quos cultura requireret parcendorum ergo, subditis suis nunc ipsa nonnulla Metallifodinarum Regalia in feudum, nunc solum jus fodinas colendi, fructusque inde percipiendi contractu quodam, qui ad emphyteusin proxime accedit, concedunt. * Qua de re conferri merentur *Seckendorf* Fürstenstaat part. 3. c. 3. *Horn.* Jurisprud. feud. c. 9. *Beyer.* Jur. Germ. L. 2. c. 4.

Hodie vi superioritatis competunt.

* Scilicet cuivis venas scrutari das schurpffen sine speciali concessione indulgetur. Simul autem ac vena inventa ejus investitura petenda, muß gemuthet werden, ubi regula observatur der erste Finder ist der erste Muther, adeo ut licet alius quidam prius investituram petierit, hæc tamen inventori dari soleat, licet fundi dominus non sit. Hujus enim consensus hodie amplius non requiritur, licet olim requiri debuerit per Land-R. L. 1. art. 35. Hodie tamen dominus fundi solatii loco accipit portionem hereditariam einen Erb-Kukus, investiti des Muthers oder Lehnträgers sumtibus colendam, aut si mavult, dominus quatuor partes seu Kukus (quarum 132. quævis fodina comprehendit, seu 128. si detrahantur 4 domini partes) propriis suis sumtibus colendas. Et in fodiendo semper parcendi sunt agri consiti besamte Aecker, item loci ubi dominus fundi mensam, lectum aut focum habet collocatum Tisch-Bett-und Feuerstätt. Investitus de fodina singulis tribus mensibus canone quodam sub pœna amissionis investituram renovare debet, & Princeps concedens plerumque jus protimiseos in metallorum venditione sibi reservat.

§. CXIII.

§. CXIII.

it. Salinæ. Eadem quæ metallifodinarum & ſalinarum eſt ratio. Naturaliter enim ad dominum ſoli tanquam acceſſio pertinent. In Germania olim Imperatores eas ſibi vindicarunt. 2. feud. 56. ſolos ſalinarum reditus ad Regalia refert. Aurea Bulla autem ipſas ſalinas Electoribus tribuit. Hodie Principes illas nunc ſubditis in feudum concedunt, nunc ſuo nomine coli curant.

TITULUS X.

DE

Alluvione, Inſula nata, & Alvei derelictione, Principumque circa easdem jure.

* * *

Alluvio ſola arcifinia Principum territoria auget. Inſula recens nata jure naturali occupantis, civili vicinorum eſt fluminis accolarum. Alvei derelicti par eſſe ratio videtur.

§. CXIV.

Alluvio quid? Alluvio eſt incrementum ab aqua terræ paulatim adjectum. Dico incrementum *ab aqua* adjectum ſine hominis adjumento. Naturalis enim acceſſio ſola natura operante fieri debet. Implantatis tamen ramulis &

& obstructoriis frondibus ea, quæ natura sponte adjecit, conservare ac tueri omnino licet. Porro alluvio *paulatim* adjici debet, ut nec videri nec intelligi possit, quantum quoque temporis momento adjiciatur, quo ipso alluvio differt ab *affluxu*, quando vis fluminis partem detrahit, quæ ideo pristinum dominum non mutat. §. 2. Inst. de Rer. divis.

§ CXV.

Jus Romanum id, quod alluvione adjicitur, indistincte possessoribus proximorum fundorum addicit §. 20. Inst. de Rer. divis. ex principio scilicet §. 4. dict. Tit. quo fluminis usus publicus, riparum autem proprietas illorum esse dicitur, quorum prædiis hæret. Sed recte monet *Grotius* de I. B. & P. L. 2. c. 3. §. 16. & 17. hæc omnia utilitate quidem riparum muniendarum defendi, sapienterque lege civili propter incommoda, quæ vicini a flumine sentiunt, introduci, sed naturalia non esse, nec proinde inter Principes lege civili solutos obtinere. *Jur. Rom. proximo fundo cedit.*

§. CXVI.

Quare distinctius progreditur Grotius, & primo quoad alluvionem distinguit, an lis inter liberos populos & Principes an inter subditos & Principem sive fiscum vertatur. Priori casu videndum esse ait, an territoria habeant limites manu factos aut mensura comprehensos, an naturales, ut sunt flumina, montes &c. quæ propterea arcifinia dicuntur, quia habent fines hostibus arcendis idoneos. Si limites manu sint positi aut mensurati, nihil de territorio mutari, etiamsi flumen cursum mutet, & si quid alluvio adjecit, id occupantium imperio cedere. In arcifiniis autem imperiis, qualia in dubio præsumenda sint, omnia ad flumen pertingentia, flumen mutato paulatim cursu mutare & territorii fines, * quia eo animo populus uterque imperium occupasse primitus creditur, ut flumen sui medietate eos dirimeret, tanquam naturalis terminus. Quodsi autem amnis alveum plane mutaverit, tunc sicut exaruisset, imperii terminus maneret alveus derelictus, quia flumen, qua imperia terminat, non consideratur nude, qua aqua est, sed qua aqua alveo inclusa, eaque populorum mens fuisse censenda, ut flumine quidem naturaliter dirimi vellent, quod si esse desiisset, ut tum teneret quisque quod tenuisset. *Jur. nat. solis terris arcifiniis*

* Id quod per alluvionem territorio adjicitur sequi ipsius territorii principalis naturam dicetur Tit. 12. §. 138.

§. CXVII.

utut inter subditos & fiscum res agatur.

Hactenus merito Grotio assentimur, nec videmus rationem idoneam, quare aliud debeat obtinere in casu, quo super alluvione inter subditos & fiscum controversia exoritur, cum sicut imperiis ita pariter & privatorum agris distinguendis nihil sit aptius, quam id, quod non facile transitur. At tali casu alia omnia placent Grotio, dum L. 2. c. 8. §. 12. docet privatorum agros in dubio arcifinios non esse credendos, sed aut limitatos aut mensura terminatos, quia hoc privatarum possessionum sit congruentius. At cum mensura & limites quam maxime facti sint, frustra eos præsumi apparet. Huic falso præsupposito Grotius jungit aliud §. 11. mox confutandum §. 121. quod scilicet Respublica in dubio flumen occupasse censeri debeat, atque hinc infert, alluvionem regulariter esse populi seu Reipublicæ, occupantis vero tunc demum, si manifeste constet, Rempublicam flumen non occupasse. Nos ob rationem allatam potius privatorum agros in dubio arcifinios esse, iisque proinde alluvionem cedere, quodsi vero limitati sint, alluvionem nullius esse ac occupanti cedere remur.

§. CXVIII.

Insulæ in mari nata nullius

Circa insulam, sic dictam quasi *in solo* sit posita, seu terram inter aquas eminentem recens natam, vulgo Werder, Eyland, Holm, juri Romano placet, ut in mari nata nullius sit, & occupanti cedat, at in flumine nata, si mediam partem fluminis tenet communis sit eorum, qui ab utraque parte fluminis prope ripam prædia possident, pro modo scil. latitudinis cujusque fundi prope ripam, quodsi alteri parti proximior sit, eorum sit tantum, qui ab ea parte prope ripam prædia possident. §. 22. Inst. de Rer. divis. Eadem disponit Land-R. L. 2. art. 56.

§. CXIX.

in flumine jur. Rom. possessorum præ-

Ratio hujus dispositionis ea sine dubio est, quod talis insula sensim ex vicinis agris decerpta & collecta intelligitur. Hac tamen insigni premitur difficultate, quod ultra terminos positos occupatio, utpote quæ facti est,

præsu-

præsumi nulla debeat. Accedit, quod L. 65. §. 4. Dig. de acquir. rer. domin. insulam in flumine publico natam publicam esse pronunciet, quam cum citato §. 22. nonnulli in iisque *Cujacius* L. 14. Obs. 11. ita conciliant, ut insulam publicam ratione usus, non proprietatis dici putent. Alii in L. 65. agi dicunt de insula, quæ alveo fluminis non cohæret, sed virgultis sustinetur, de qua egerat dicta lex §. 2. cujusque plura exempla vide apud *Strauchium* Instit. Jur. publ. L. 2. T. 7. §. 1. Dici quoque posset, in L. 65. sermonem esse de flumine, quod & ratione proprietatis peculiari populi actu publicum est factum. Certe insignis hic latet difficultas. *diorum vicinorum*

§. CXX.

Grotius itaque aliam hic iterum init decidendi rationem. Supponit nimirum L. 2. c. 8. §. 9. plerumque populos terras prius occupare, quam in privatos agri describantur. Quamobrem quæ primitus a populo sint occupata neque postmodum distributa, ea censenda esse propria populi, adeoque insulam in publico flumine natam esse populi, idemque circa alveum derelictum esse tenendum. *ex Grotii sententia populi*

§. CXXI.

Atenimvero optarem, posuisset sagacissimus doctissimusque Grotius decisioni tam illustris controversiæ fundamentum minus lubricum, fallax, atque incertum. Quid enim quæso magis incertum, quidve probatu difficilius, quam qua occupandi ac dividendi ratione gentes singulæ sub publicarum a se constitutarum rerum initium usæ fuerint, num singuli patresfamilias possessiones prius occupaverint, ac postea demum in Rempubl. coiverint, an prius universum territorium occupaverint, & deinceps inter se diviserint? At conjectura, præsumtione huic difficultati mederi annititur Grotius. *Plerumque* ait prius populi terras occuparunt, quam in privatos agri describerentur. Quid vero si simpliciter hanc Grotii thesin, hoc ipsius præsuppositum negaverim. Constare vel ex iis poterit quæ Tit. 7. §. 73. de forma urbis Romanæ bello subactæ occupatæ magis quam divisæ simili ex *Livio* adduximus, ne quidem in Regnis bello partis semper occupationem fieri per universitatem, sed quandoque & a singulis. Sed procedat in Regnis bello partis regulariter Grotii conjectura, ibique terræ occupatæ prius, quam divisæ præsumantur. In Regnis tamen electivis imo ubi Statuum *rectius*

 provin-

provincialium vel umbra sola superest, contrarium, quodque prius patresfamilias suas sibi acquisiverint possessiones, & demum postea securitatis & tranquillitatis ergo in Rempubl. coaluerint, vero longe est similius.

§. CXXII.

nullius Imo etiamsi dederim universim ac in quibusvis Regnis pro occupatione per universitatem facta stare præsumtionem, quod divisionem in agros præcesserit, probe tamen notandum, ac ex superioribus repetendum, occupationem facti esse, nec temere præsumendam. Quare nec populus in dubio ac sine prævia declaratione flumen occupasse præsumendus, * nedum insulam in eo natam aut alveum derelictum, de quo vix cogitasse videtur. Unde sponte sequitur, in dubio & nisi de facta a Republ. fluminis occupatione certo constet, insulam in eo natam, ut ipsum flumen esse nullius, & cedere occupantibus. An vero terra inter aquas ita eminens, ut tamen cum proximis prædiis cohæreat, in dubio alluvionis an insulæ jure sit censenda, hoc inquam recte hinc dijudicat *Grotius* L. 2. c. 8. §. 14. utrum vehiculo an navigio facilius accedi possit.

* Hinc & molendinum navale extruere cuilibet in flumine licere, nisi præcesserit diserta Principis prohibitio ex *Rosenthalio* de feudis docet *Ziegler* de Jur. Maj. L. 2. c. 15. §. 32. Dissentit *Carpzov.* P. 2. Const. 4. def. 10.

§. CXXIII.

Exempl. Ital. Inter Rempublicam Venetam & Ducem Mantuæ de proprietate fluminis Tartare in territorio Veronensi, illa præsumtionem dominii ex situ ejusdem seu inclusione in ditione Veronensi, hoc autem possessionem trium fere Seculorum pro se allegantibus controversum fuisse, deinceps vero litem compositam ex *Amelot de la Houssaie* histoire du Gouvernement de Venise docet *Engelbrecht* de Servit. Jurispubl. p. 176.

§. CXXIV.

German. Ad Imperium Germanicum quod attinet, *Goldastus* Tom. 1. Constit. Imper. p. 315. exhibet Constitutionem Adolphi Imperatoris de 1293. ubi dicitur,

dicitur, insulam natam ad Imperium seu Comitem spectare. In Camera Imperiali cum de insula in flumine nata disputaretur, an ad dominum territorii, an ad eos, qui prope ripam prædia possidebant, pertinere deberet, a Cameralibus pro domino territoriali pronunciatum est, ceu ex *Gylmanno* observat *Vitriarius* Inst. Jur. publ. L. 3. T. 18. §. 38. Add. *Ziegler.* de Jurib. Maj. L. 2. c. 15. §. 20. sqq. Insulas in Rheno natas sibi vindicat Palatinus Elector. At cum ipsi desuper controversia a Landgravio Hasso-Darmstadino moveretur, prætensi hujus privilegii Diploma ostendere non potuit.

§. CXXV.

Alvei eadem quæ fluminis ratio.

Alveus seu locus vel fossa, per quam aqua fluit, si in universum a flumine derelinquitur, hocque ad aliam partem fluere incipit, Jus Romanum statuit, ut prior quidem alveus eorum sit, qui prope ripam ejus prædia possident pro modo scil. latitudinis cujusque agri, novus autem alveus ejus juris sit cujus & ipsum flumen i. e. publicus, quodsi post aliquod tempus ad priorem alveum reversum fuerit flumen, rursus novus alveus eorum sit, qui prope ripam ejus prædia possident. §. 23. Inst. de Rer. divis. cum quo iterum conspirat Land-R. L. 2. art. 56. Grotius ex suis principiis alveum derelictum itidem publicum asserit. At ex superius deductis eum regulariter nullius esse apparet. In genere tamen notandum, hodie harum controversiarum inter subditos & Principem numerum insigniter minui per vigilantiam Principum, eorumque fisci Curatorum, qui in fluminibus eorumque juribus occupandis sibique vindicandis diligentes satis se præbent. Et 2. feud. 56. flumina navigabilia inter Regalia plane relata leguntur.

TITULUS XI.

DE

Acceſſione induſtriali, Specificatione, Adjunctione &c.

* *
*

Ut per acceſſionem induſtrialem bona fide factam res aliena, quæ ſeparari commode a principali nequit, hujus domino, pretio refuſo, cedat, ipſa naturalis poſtulat æquitas. Quod autem civilia jura rem principalem ex magnitudine metiuntur, rem alterius ſpecificatam ſi ad rudem poteſt materiam reduci huius domino, purpuram pretioſiſſimam veſti vili, cui juncta, gemmam annulo cedere jubent, atque actionem de tigno juncto in duplum concedunt &c. mere civile inſtitutum ſapit, meritoque inter ſummos Principes ceſſat.

§. CXXVI.

Ceſſio

Ordo nunc nos a modis dominium acquirendi originariis deducit ad derivativos, quos ad duas claſſes revocamus, ceſſionem per pactum, & abla-

ablationem seu occupationem ob alterius delictum. Cessionem intelligo non simplicem, sed cum alterius acceptatione conjunctam. Cessio enim prioris domini jus excludit, alterius autem acceptatio novum novi domini dominium inducit. Notanter autem hunc acquirendi modum cessionem voco, non traditionem. Hanc enim ad dominium transferendum naturaliter necessariam non esse infra demonstrabimus Tit. 14.

§. CXXVII.

praesumta seu accessio industrialis

Inter varias cessionis species primam constituimus praesumtam Tit. 7. §. 69. Prodit se illa in accessione industriali seu artificiali, qua facto hominis interveniente rei vel operae nostrae res aliena accedit, nobisque acquiritur. Quoties enim res aliena nostrae rei aut operae ita jungitur, ut separari commode nequeant, pro rata ejus, quod quisque contulit, communio inducitur, & hactenus quidem nulla fit dominii translatio. Quoniam autem nunc ipsa rerum indoles, nunc dominorum voluntas communionem aut divisionem non admittit, necessarium omnino est, ut alter alteri aequis conditionibus jus suum ac dominium cedat. Aequissimum autem est, ut is, cui facilius pro sua materia vel opera satisfieri potest, illam cedat ei, cui tam facile non potest. Quare & haec dividendi aut cedendi ratio ipsis arridere & utrinque inter eos inita merito praesumitur, quo ipso praesumto consensu dominii fit accessio.

§. CXXVIII.

ejus species

Atque haec decidendi ratio sine dubio inter Principes, quos legis civilis communio nulla tenet, praevalebit illi, quae ex juris Romani placitis inter subditos non injuste quidem (licet enim legislatori circa istiusmodi res indifferentes pro arbitrio statuere) non tamen semper juxta aequitatis regulas praescribitur. Confer inter se Titulum Inst. de Rer. divis. & Dig. de acquir. rer. domin. it. de rei vindic. it. de aur. & argent. legat. Id quidem, quod jus Romanum jubet, ut res, quae alteri sibi junctae praevalet, hanc tanquam accessoriam ad se trahet L. 23. §. 3. Dig. de Rei vind. id inquam summa nititur aequitate, sed in eo paulo iniquius videtur, quod praevalentiam ex magnitudine metitur, minorem speciem majori, idque quod ornandi

nandi causa additum, rei quam ornat addicendo L. 19. §. 13. Dig. de auro & argento legato. Quare illud omne civile saltem esse, nec inter personas illustres a lege civili immunes attendendum videtur. Ipsum rei discrimen clarius patebit, ubi singulas accessionem industrialium species breviter perlustrabimus. Sunt illæ specificatio, adjunctio, inædificatio, plantatio, satio, scriptura, & pictura.

§. CXXIX.

Specificatio Circa specificationem, cum ex aliena materia nova species conficitur * §. 25. Inst. de Rer. divis. distinguit, an species ad priorem & rudem materiam reduci possit, nec ne? Priori casu e. c. quando vas conflatum ad priorem rudem metalli materiam potest reduci, eum videri dominum, qui fuit dominus materiæ, & specificanti jus retentionis saltem indulgetur, donec pro opera satisfactum. L. 23. §. 4. Dig. de Rei vind. Sed quis non videt, hic naturaliter multo facilius minorique damno a specificante tantundem ejusdem bonitatis metalli posse reddi, adeoque specificanti rectius vas relinqui. Posteriori casu si nimirum species facta ad priorem materiam reduci nequit e. c. quando ex alienis uvis, olivis, aut lana aliena, vinum, oleum aut vestis conficiuntur, specificantem potius dominum intelligi, eum tamen, si in mala fide versatur, actione ad exhibendum, furti, rei vindicationis teneri, recte statuitur. Add. L. 52. §. 14. Dig. de furtis.

* Differt itaque a specificatione nuda speciei detectio e. c. si quis spicis alienis frumentum excusserit, quod manet ejus cujus spicæ fuerunt L. 7. §. 7. in fine Dig. de acquir. rer. domin. Conf. tamen §. 25. Inst. de Rer. divis.

§. CXXX.

Adjunctio Adjunctio fit, quoties res accessoria principali ita jungitur, ut nova species inde non fiat, quod accidit textura Einwircken, einsticken, ferruminatione Anschweissung, adplumbatione Anlötung (de qua L. 23. §. 5. Dig. de Rei Vindic. & L. 27. Dig. de acquir. rer. domin. Adplumbatum separari iterum, ferruminatum non potest) confusione rerum liquidarum, commixtione solidarum. Quod cujusque rei ornandæ causa adhibetur, ut accessio principali cedere dicitur §. 26. Inst. de Rer. divis. etiamsi sit pretio-

sius

ſius quam ipſa res cui accedit. Unde ſequitur, purpuram pretioſiſſimam veſtimento etiam vili, Leg. cit. gemmam annulo, L. 19. §. 13. Dig. de aur. & argent. leg. armillæ, imo & calceo cui forte intexta cedere. At naturalis ratio, facilius pro annulo aut calceo quam pro gemma ſatisfieri poſſe, docet, adeoque ſi eximi commode gemma nequit ejus domino potius annulum cedere jubet. Retentionis tamen jus, donec ſatisfactum fuerit, nec non furti actio contra mala fide intexentem, æque ac circa ſpecificationem fuit monitum, merito indulgetur. Sed & id civile eſt, quod res alii juncta, quamdiu eidem cohæret, vindicari nequeat, ſed prius agi debeat ad exhibendum, ut ſeparentur, & tunc demum vindicatio inſtituatur. L. 23. §. 5. Dig. de Rei. Vindic. Naturalis ſimplicitas tales ignorat ambages.

§. CXXXI.

Per confuſionem rerum confuſarum communionem inter dominos oriri, ita ut pro rata diviſio ſit facienda & naturali æquitati & §. 27. Inſt. de Rer. diviſ. convenit, quia nimirum materiæ confuſæ ſeparari nequeunt. Quodſi itaque metalla conflata per aquam chryſulcam das Scheide-Waſſer ſeparari poſſunt, aliud dicendum, ac quilibet potius ſuum recipit L. 5. §. 1. Dig. de rei Vind. *Confuſio*

§. CXXXII.

Simile eſto judicium de commixtione, quæ pariter communionem quidem inducit, ſed tunc demum, ſi ſeparatio commode fieri nequit, unde facile intelligitur, quid ſentiendum ſit de illa Juſtiniani philoſophia in §. 28. Inſt. de Rer. diviſ. Quodſi, ait, frumentum Titii frumento tuo miſtum fuerit, ſiquidem voluntate veſtra, commune eſt quodſi caſu miſtum fuerit, vel Titius id miſcuerit ſine tua voluntate, non videtur commune eſſe, quia ſingula corpora in ſua ſubſtantia durant. Sed nec magis iſtis caſibus commune fit frumentum, quam grex intelligitur eſſe communis, ſi pecora Titii tuis pecoribus miſta fuerint. Egregium ſimile, ſimila a furno candente dignum! *Commixtio*

§. CXXXIII.

Per inædificationem naturaliter ſolo cedit, quod hujus dominus ex aliena materia eidem inædificavit, & dominus ſoli materiæ æſtimationem priori ejus domino præſtat, is vero qui in alieno ſolo ex ſua materia ædifica- *Inædificatio*

vit, ſive in bona ſive in mala fide ſit, ædificium, ſive illud poſſideat, ſive minus, tollere poteſt, quatenus id ſine damno domini areæ fieri poteſt. Civile autem eſt, quod jus Romanum contra ædificantem in ſuo ſolo materiæ domino dat actionem de tigno * juncto NB. *ad duplum* mixtum ** quidem h. e. partim rem partim pœnam continens, ſi ædificans in bona fide, ſed pœnale merum, ſi in mala fide verſatur, ita ut diruto ædificio materia inſuper vindicari poſſit. L. ult. Dig. de tign. junct. L. 7. Dig. de Rei Vind. Quodſi autem in alieno ſolo ex ſua materia quis ædificavit, diſtinguit jus Romanum, an ædificans in bona fide ſit, & ædificium poſſideat, tunc enim ad conſequendum pretium materiæ & mercedes fabrorum exceptionem doli mali concedit §. 30. Inſt. de Rer. diviſ. an in mala fide ſit, ſimulque poſſideat, tunc ſolam ædificium tollendi facultatem indulget, ſine tamen diſpendio domini areæ L. 37. Dig. de Rei Vind. Sin bona fide in alieno ſolo quis ædificium poſuit, nec tamen amplius poſſidet, nulla ipſi actio datur, L. 48. & 59. Dig. de rei vind. quod ſane durum videtur, tollendi ad minimum facultas ipſi deberet eſſe integra. Si denique mala fide ædificavit, nec poſſidet, materiam donaſſe cenſetur, nec ejus æſtimationem petere §. 30. Inſt. de Rer. diviſ. nec diruto ædificio eam vindicare poteſt. L. 7. §. 12. Dig. de acquir. rer. domin.

* Tigni appellatione continetur omnis materia ex qua ædificium conſtat. L. 1. §. 1. Dig. de tigno junct.

** Alii actionem de tigno juncto mere perſecutoriam, ac duplum indultum interſerunt, ne dominus tigni neceſſum habeat difficillimam ſubire demonſtrationem, pluris pretio ordinario ſibi intereſſe, tignum ſuum alieno ædificio non eſſe junctum L. 1. Dig. de tigno junct. L. 23. §. 6. de Rei Vind. L. 10. §. 7. de acq. rer. domin. Dici forſan poſſet, actionem hanc intuitu domini materiæ eſſe mere perſecutoriam, intuitu autem inædificantis ſeu jungentis mixtam.

§. CXXXIV.

Plantatio Per plantationem ſoli domino acquiritur planta, quæ cum eo coaluit, & radices egit. Confirmat idem §. 31. Inſt. de Rer. diviſ. Ideo & arbor prope

prope confinium posita, quatenus in vicini fundum radices agit, communis fit. Cum autem incertum quandoque & judicatu difficile sit, in quantum radices in vicini fundum pertendant, leges Saxonicæ sapienter fructus ramorum in vicini fundum propendentium eidem tribuunt. Land-R. L. 2. art. 52.

Pari ratione satione frumenta solo cedere intelliguntur, salvo tamen jure retentionis seu exceptione doli mali ad effectum consequendi impensas, ubi tamen jus Romanum bonam fidem præcise requirit.

§. CXXXV.

Scriptura & pictura

Scriptura & pictura cum regulariter chartæ & tabulæ prævaleat, hanc etiam summa æquitate ad se trahit, ita ut solum ejus pretium priori domino sit refundendum, huicque illius intuitu retentionis jus aut doli mali exceptio indulgenda. Ut proinde nulla idonea suppetat ratio, quare jure Romano hoc in passu distinguatur, ita ut tabula quidem picturæ, scriptura autem quantumvis pretiosa chartæ cedere jubeatur §. 33. 34. Inst. de Rer. divis. Certe quod ibi profertur argumentum a simili petitum, literas scil. chartæ cedere perinde ac solo ea, quæ inædificantur, valde est dissimile & manifeste claudicat, cum facilius longe chartæ domino alia ejusdem bonitatis charta, quam soli domino solum æque bonum ac commodum reddi possit. Nonnulli pro tuenda juris Romani dispositione eandem restringunt ad scripturam jam dum evulgatam atque describi solitam, hodieque post inventam artem typographicam argumento hujus legislationis id quod impressum chartæ cedere contendunt. Mihi tamen consultius videtur respicere utrum charta an impressio prævaleat.

§. CXXXVI.

Fructuum alienorum perceptio.

Fructuum ex re aliena perceptio bona fide facta communiter nec immerito inter accessionis species modosque acquirendi refertur. * Cumque fructus alii sint naturales alii industriales, & accessionem talem nunc ad naturalem nunc industrialem esse referendam patet. Quare & nos eam hic loci postquam de utraque accessionis specie hactenus egimus, breviter subjungemus. Neminem cum alterius damno debere ditari, justissima naturæ lex est, ex qua sua sponte sequitur, eum qui fructus ex re aliena bona

fide ** percepit, eosdem adhuc extantes deductis impensis simpliciter, jam consumtos autem, in quantum inde locupletior est factus, restituere debere. Hinc Caligula quibus Regna restituit, adjecit & fructum vectigalium & redituum medii temporis apud *Sveton.* cap. 16. Ji vero, quibus Romanorum placita pro lege sunt, fructus alienos, quos bona fide percipiunt, separando eosdem a solo sibi acquirunt, sed revocabiliter L. 48. Dig. de acquir. rer. domin. consumendo autem irrevocabiliter §. 35. Inst. de rer. divis. L. 4. §. 2. in fin. Dig. fin. regund. L. 22. Cod. de rei vind. adeo ut ne quidem de consumtis in quantum locupletiores sunt facti teneantur, quod tamen negat *Titius* ad Lauterb. Obs. 201. ubi ipso etiam Romano jure bonæ fidei possessorem fructus perceptos in quantum inde factus est locupletior, restituere debere contendit, propterea quod jus Romanum saltem a reddendis fructibus consumtis eum liberet, pro talibus autem eos haberi non posse, quando id, quod inde redactum, adhuc extat. Sed vereor ne hæc ratio propius ad rei veritatem, quam juris Romani mentem accedat.

* Quamvis enim pro tali eam agnoscere nolit *Titius* ad Lauterbach. Obs. 1021. quia fructus consumti non acquiruntur, meminisse tamen debebat, eos licet in præsenti non acquirantur, olim tamen fuisse acquisitos. Id vero lubenter largimur, per fructuum perceptionem accessionem fieri non rei, unde provenerunt, hæc enim vero domino restituenda, sed percipientis patrimonio.

** Et malæ fidei possessorem impensas in fructus factas naturaliter recte repetere, docet *Grotius* L. 2. c. 8. §. 24.

TITU.

TITULUS XII.

DE

Incorporatione & Melioratione.

* * *

Provinciæ ac meliorationes ex ipſa Principatus ſubſtantia quæſitæ, eidem tanquam acceſſorium merito cedunt. At ex privato Principis patrimonio quæſitæ publico Principatus patrimonio haud aliter, quam ſi incorporatæ prius fuerint, cohærent.

§. CXXXVII.

Meliorationes ſintne Principatus acceſſio.

Tradita ſuperiori titulo acceſſionum induſtrialium jura non equidem nullum inter Principes, frequentiorem tamen inter privatos uſum præbent. Sæpius autem inter Principes ſuper acceſſionibus, quæ Principatibus ex meliorationibus, provinciisque recens quæſitis, vulgo Conqueten, obveniunt, acriter ſatis diſceptari ſolet, debeantne nimirum pro Principatus acceſſione haberi eidemque cedere, an in privato Principis ſint patrimonio, ab eoque alienari atque ad heredes transmitti poſſint? Omne punctum hic fert quæſtio præjudicialis, ſintne hæc talia ex ipſa Principatus ſubſtantia an ex privato Principis patrimonio parta. Nam merito pro ejus rei, unde venerunt, fructu & acceſſione habentur. Conf. Tit. 4. §. 37.

§. CXXXVIII.

alluvio feudo facta an feudalis?

Quæ per accessionem naturalem e. c. alluvionem territorio accedunt, tanquam accessoria, ipsius territorii Principalis indolem sequuntur, adeo ut si territorium feudale, id quoque quod alluvione adjectum, tale censeatur. Qua de re disceptatum aliquando fuit in Comitatu Oldenburgico. Ultimus quippe Comes Antonius Guntherus alluviones voluit esse allodiales, & transactione Rendsburgensi de 1649. cum Daniæ Rege & Duce Gottorpiensi, quos successores feudales in Comitatu agnoscebat, impetravit, ut pro allodialibus agnoscerentur. At cum postea Comitatus in judicio Imperii Aulico Duci Ploenensi adjudicaretur, hic alluviones tanquam feudi accessiones merito prætendebat. Ipsa super successione lis transactionibus postmodum sopita.

§. CXXXIX.

feuda aperta ad quodnam Principis patrimonium?

Si feuda per feloniam a Vasallo commissam vacare contingunt, per eorum aperturam non publicum, sed privatum Principis patrimonium augetur, & melioratur, quia bona confiscata fructibus imperii annumerantur. Conf. Tit. 15. §. 192. At secus sentiendum, si deficiente Vasalli stirpe utile dominium cum directo consolidatur. Nam regulariter in Principis quidem est arbitrio, tale feudum infeudari solitum alii iterum, imo sibi ipsi concedere. Hoc tamen cum in facto consistat, præviam declarationem * requirit, sine qua tale feudum potius cum dominio directo consolidatum, publicoque patrimonio incorporatum censetur. Mallent quidem nonnulli distinguere inter feuda data & oblata, quasi data, si aperiuntur, publico, unde provenerunt, patrimonio cedant, oblata autem privato Principis. Sed cum oblatio Principi, non qua privato, sed qua imperanti facta sit, putamus ex tali oblatione nasci publico patrimonio spem in casum aperturæ succedendi. In Ducatu Bremensi & Pomeranico vi legum fundamentalium bona vacantia necessario publico patrimonio incorporari debent. De Bremensi vid. *Lyncker* Vol. 1. Resp. 2. §. 35. de Pomeranico Landtags Abschied de 1569.

* Per quam tamen feudum oneribus solitis haud eximitur, nisi & exemtionis declaratio specialis fiat a Principe, qui facultate talia privilegia concedendi pollet.

§. CXL.

Meliorationes Principatui cedunt

Quantum ad meliorationes Principatuum attinet, illæ in dubio ex ipſa horum ſubſtantia factæ, eoque ipſo his cedere cenſentur. Hunc enim in finem bona fiſcalia ſunt conſtituta, & collectæ a ſubditis conferuntur. Illuſtre hujus rei exemplum occurrit in controverſia ſuper ſucceſſione in Ducatum Landshutanum orta 1503. Mortuo enim Georgio divite Duce, proximi agnati Albertus & Wolfgangus ſuccedebant. Prætendebat ab iis gener Georgii, Rupertus Bavariæ Dux, meliorationes & augmenta feudi. Re ad tribunal Cæſareum delata, hæ meliorationes pro acceſſione Ducatus ita reputabantur, ut ne quidem earum æſtimatio vel pretium genero adjudicaretur. Vid. *Adlzreiter.* Annal. Boj. P. 2. L. 9. n. 71. ex eoque *Struv.* de Allodiis Imp. p. 68.

§. CXLI.

ni ex privato patrimonio facta.

Quoties itaque Princeps ejusve heredes tales meliorationes ſibi vindicare cupiunt, probandum ipſis erit, easdem ex privato Principis patrimonio fuiſſe factas, quo ad liquidum perducto, æquum juſtumque erit, ut Princeps ejusque heredes tales meliorationes vel tollant *, vel ſi commode hoc fieri nequit, earum, quæ non mere fuerunt voluptuariæ, ſed utiles ac neceſſariæ, pretium ac æſtimationem recipiant * *. Hinc intelligitur ratio ejus, quod habetur 2. feud. 28. §. Si Vaſallus. Feudi quippe, quod a privato poſſidetur, meliorationes ſemper ex allodio fiunt. Nam fructus feudi omnes ſunt allodiales propriique Vaſalli, quod ſecus ſe habet in collectis & reditibus publicis, qui non omnes ſunt Principis, ſed præcipue in publicos uſus impendendi a ſubditis ſolvuntur.

* Lex Saxonica hoc peculiare ſtatuit, ut ædificia quælibet, licet non voluptuaria, ſed maxime neceſſaria, ſolo ſimpliciter cedant, adeo ut nec tolli, nec eorum æſtimatio peti poſſit Land-R. L. 2. art. 21. quod & extenditur ad ea, quæ terræ aut parietibus ſunt infixa, was Erd- Wand- Band- Mauer- Nied und Nagelfeſt iſt. Imo in ipſis Principatibus Saxoniæ idem locum habere docet *Stryck.* de jure allodiali Principum Imperii p. 70. Quæ tamen

men fundo censuali inædificantur, tolli possunt. Land-R. L. 2. art. 53.

** Debita publica, item feudalia a defuncto ex privato ipsius patrimonio soluta recte pro meliorationibus habentur, ita ut heredibus a successore hoc nomine retributio fiat, sive feudum pervenerit ad agnatum sive ad ipsum dominum directum. Nam cum & hic ad debita feudalia in casu consolidati dominii utilis solvenda teneatur, frustra a nonnullis eximitur.

§. CXLII.

Provinciæ privato patrimonio cedunt.

Dispar longe a meliorationibus, quas modo vidimus, ratio erit provinciarum noviter quæsitarum, Derer Conqueten. Hæ enim in dubio non ex publica territorii substantia, sed privato Principis patrimonio partæ intelliguntur, per ea quæ diximus Tit. 4. §. 37. Quare regulariter non ad Principis in Principatu successorem, sed ejus potius heredes e. c. filias transibunt, nisi forte spontanea Principis voluntate ipsi Principatui fuerint incorporatæ.

§. CXLIII.

Incorporatio

Est incorporatio diversarum gentium aut ditionum ad unum corpus conjunctio. Sic integros populos coadunatos deprehendimus. Sabinorum deinde Albanorum jus in Romanos transfusum, & una facta Respublica apud *Livium* L. 1. Ex Celtis & Iberis facti Celtiberi, teste *Diodoro Siculo*. Scotia & Anglia in Magnam Britanniam coaluit. Conferatur *Albericus Gentilis* de Unione Regnorum Britanniæ. Castiliæ, Legionis, Arragoniæ aliaque regna unita Hispanicum constituunt. Navarram Henricus IV. 1607. Galliæ ita univit, ut divelli nequeat.

§. CXLIV.

non ex simultanea possessione

Ejusmodi coadunatio seu incorporatio in facto consistit, nec proinde præsumenda, sed probanda, nec sufficit ad incorporationem aut acquirendum pertinentiarum jus simultanea possessio, sed requiritur præcise destinatio & conjunctio ad unum corpus. Sic quamvis Duces Wurtenbergici huic

Duca-

Ducatui, & inſuper Mompelgartenſi Comitatui dominati fuerint: attamen territorium Wurtenbergicum & Mompelgartenſe non fecerunt unam Rempublicam. Vid. *Ahaſv. Fritſch.* de Unione & incorporatione provinciarum Membr. 3. §. 5. Sic Epiſcopatus, hodie Ducatus Verdenſis pace Oſnabrugenſi Suecis ceſſit, & Ducatu Bremenſi adjunctus, quæ conjunctio ſaltem concernit gubernandi modum, non autem omnimodam unionem facit, ſeu incorporationem. Habent hi duo Ducatus in Imperii Comitiis vota diverſa, circulis diverſis ſunt adſcripti, Bremenſis inferioris Saxoniæ, Verdenſis Weſtphalico. Separata in eisdem jura, libertates & privilegia confirmantur. Vid. *David. Mev.* part. 2. deciſ. 185.

§. CXLV.

Imo quamvis Princeps adminiſtrationem privatorum ſuorum bonorum præfecto publici fiſci commiſerit, hinc tamen incorporatio exſculpi nondum poteſt, quod quidem nonnulli exiſtimant propter cap. 8. X. de bon. eccleſ. non alienand. Separatum potius privatum patrimonium a publico manere cenſetur, pro qua ſententia & argumentum peti poteſt ex L. 3. C. de bon. vacant.

vel administratione

§. CXLVI.

Tacite autem incorporationem factam cenſeri, ſi Princeps feudum vacans nemini iterum concedit, ſed cum bonis publicis adminiſtrari curat, dixi §. 139. Porro tacite fit incorporatio ſi bona Principis vel Epiſcopi privata ab heredibus non repetuntur, ſed penes ſucceſſorem in Epiſcopatu aut feudo relinquuntur.

ſed conjunctione ad unum corpus, metienda

§. CXLVII.

Ubi vero reapſe adeſt ac probari poteſt facta incorporatio, tamen ſaltem ſuſtinendi ſplendoris ergo atque in favorem familiæ Principalis facta intelligitur, idque tantum operatur, ut in terris incorporatis eadem, quæ in ipſo territorio principali ſucceſſionis ratio ſervetur, nec per diviſiones nimias terræ extenuentur, aut per filiarum matrimonia in alienas familias tranſeant: neutiquam autem, ut quoad onera & præſtationes etiam terræ principali æquipparentur incorporatæ. Nam unio non mutat bonorum unitorum naturam.

effectus cernitur in ſucceſſione

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

§. CXLVIII.

Salva pristina qualitate

Unde & relinquitur, prædium rusticum feudali prædio unitum retinere qualitatem allodialem, nec fieri feudale, licet ultra 100. annos feudo unitum, seu ut alii rem efferunt, tale prædium esse pertinentiam feudi sed non feudalem: item allodium Principatui feudali incorporatum, nisi ejus in feudum oblatio specifice probari possit, retinere qualitatem allodialem, nec per feloniam amitti, sed saltem quoad successionem, quamdiu familia durat, Principatui feudali exæquari. Conf. dicenda de hered. §. 101. Partem enim esse alicujus territorii nihil habet commune cum titulo ac ratione possidendi. Nec clausula tabulis investituræ inseri solita: cum omnibus ditionibus & pertinentiis, ex allodio facit feudum, sed ad ditiones & pertinentias feudales restringenda *. Vid. *Stryck.* de jure allodiali Principum Imp. p. 46. 69. 70. & *Struv.* de allodiis Imperii p. 67. sq.

* Cum Imperator dimietatem castri Epstein cum omnibus pertinentiis ecclesiæ Moguntinæ concederet, obscurum aliquando erat, an & Curia & Vasalli die Mannschafft comprehendantur, & jurisdictio una translata intelligatur? de quo vid. *Merckelbach* apud *Klock.* Tom. 1. Consf. 45. & *Itter* de feud. Imp. c. 8. §. 5. & 7. Scilicet ubi Principatus, Ducatus conceditur, tacite simul Regalia & jurisdictio concessa intelliguntur, utpote sine quibus consistere commode nequit, quod secus se habet in castro aut prædio singulari. Veteres dicebant, jurisdictionem & Regalia inhærere debere districtui & glebis tanquam nebulam super paludem, aut acidum vel mucidum in vino.

§. CXLIX.

Exempla

Pacto Austriaco-Wurtenbergico de 1599. disponitur: Zum zehnten sollen auf mehrbesagten Fall der Oesterreichischen Succession die Hertzogthum Würtenberg und Teckh an Land und Leuten andrer gestalt nicht denn in solcher Qualität, wie dieselbe bey Aufrichtung beyder des Cadawischen und Passauischen Vertrags beschaffen gewest, an gedachtes Hauß Oesterreich fallen: Dasjenige aber, so hierzwischen weiter dazu erkaufft oder in andre

andre Wege acquiriret werden möchte, jedoch wofern es nicht von Alters her etwa Würtenbergisch Lehn oder sonst der Cammer heimgefallen, sondern von neuen zum Hertzogthum gebrachte Güther, und also derer Erben recht eigenthümlich sind, samt allen Mobilien (doch ausser des Geschütz und der Munition, davon hernach sonderbahre Meldung geschicht) sonsten nichts davon ausgenommen, in solche Oesterreichische Succession nicht gehören, sondern an bemeldete Eigenthums-Erben ohne alle Verhinderung kommen und fallen ꝛc. So sollen demnach auf künfftig solchen sich begebenden Fall ex parte des Haußes Oesterreich zween oder drey, und wegen des Haußes Würtenberg gleichfalls so viel ansehnliche unpartheiische dieser und nächst hernach ermelter Munition Sachen wohl verständige Commissarien samt einen unpartheiischen Obmann, der keinem Theil zugethan, oder verwant sey, erkieset oder verordnet werden, die solche *Meliorationes* und Verbesserung ob und welche nutz oder nothwendig seyen oder nicht, in Augenschein nehmen, die Sachen nach billigen Dingen æstimiren, und da sie die Commissarii sich mit einander nicht vergleichen können, alsdenn der Obmann nach Gewissen darin einen Ausspruch thun: Wie es denn mit dem Geschütz und der Munition, so bey denen Häußern und Vestungen allenthalben vorhanden auch also observiret, und gehalten, und die Refusion derselben auf dergleichen unpartheiischen Personen æstimation und Erkenntniß, was denen Eigenthums Erben dafür vor eine Erstattung zu thun, gestellt.

§. CL.

Confirmari adhuc ac illustrari hoc idem poterit ex Capitul. Leopoldi art. 39. Joseph. art. 38. ubi Imperator promittit: Die Stände sollen über die edition der alten pactorum familiæ, mit exhibition neuer, ein oder ander Hauß allein concernirender, und vom Lehnthum keine dependenz habender nicht beschweret werden. Ex quo manifeste apparet, allodia utut feudo incorporata non æque ac ipsum feudum esse gravanda.

§. CLI.

Exempla incorporationum sequentia memorat *Itterus* de feudis Imp. c. 8. §. 19. Anno 1235. Fridericus III. Imperator civitatem Brunsuicensem & castrum Luneburg coadunavit. Fridericus III. Imp. 1474. extinctis sub- *incorporationum*

 latisque

latisque Holsatiæ & Stormariæ Comitatuum titulis, eorum terras & dominia univit, eisque districtum Dithmarsiæ incorporavit, & denique omnes has ita unitas terras regionesque in Ducatum evexit. Qui hunc in imperio excepit Maximilianus I. 1495. Ducatum Wurtenbergicum ex variis Principatibus, Comitatibus, Baronatibus aliisque terrarum portionibus conglutinatis constituit. Ferdinandus Imperator 1554. Juliacensium Duci privilegium unionis indulsisse legitur apud *Merckelbach* & *Sellium* Wilhelmus Hassiæ Landgravius in actis causæ Nassovicæ fatetur, daß das gantze Fürstenthum Hessen von vielen particular Stücken so wohl allodial als Lehn zusammen gebracht, und ein corpus individuum und Fürstenthum daraus gemacht worden, und dasselbe dergestalt zusamgebrachte gantze Fürstenthum mit all und jeden seinen partibus integralibus der Erbverbrüderung nach (salvo tamen cujusque particulari jure dominico) vom H. R. zu Lehn rühre. Vid. *Ahasv. Fritsch* de unione & incorporatione provinciarum Membr. 2. §. 4. Anno 1355. Ducatus Vratislaviensis Silesiæ & Lusatiæ Bohemiæ regno Caroli IV. Imperatoris autoritate inserti atque innexi. Ipsam Cæsaream Constitutionem produxit *Goldast*. Tom. 1. Const. Imperial. p. 345. sqq.

§. CLII.

Consensus Imp. an incorporationi necessarius?

Ceterum Itterus l. c. exinde quod in Instr. Pac. art. 11. §. 5. Electori Brandenburgico Episcopatum Caminensem ulteriori Pomeraniæ *incorporandi* potestas conceditur, colligit, Imperatoris consensum ad incorporationem præcise esse necessarium, quoniam alias & si suo quisque arbitratu ex Imperii Ordinibus inconsulto Cæsare in his negotiis versari posset, speciali indultu haud dubie opus non fuisset. Non tamen satis validum hoc mihi videtur Itteri argumentum. Sane rei, cujus libera ad dominum spectat dispositio, pro arbitrio successionis lex & ordo ab eodem poterit præscribi. Alia autem longe res est, Canonicatus Episcopatus Caminensis extinguere, in iisque successionem in Pomerania usitatam introducere, ad quem effectum omnino Cæsareus consensus maxime erat necessarius.

§. CLIII.

an tituli abolitio?

Ditione aliqua Principatui incorporata, Principem nomen istius ditionis reliquis suis titulis non amplius speciatim adscribere solere observat *Besold.*

Præco-

Præcognit. Polit. c. 8. n. 5. ſed hoc perpetuum non eſſe oſtendit *Itter.* de feud. Imp. c. 8. §. 24. exemplo Ducatus Wurtenbergici, quippe qui ex Teccenſi Ducatu aliisque ditionibus coaluit: diſerte tamen Maximilianus I. Imperator illo ipſo Diplomate, quo Principalem dignitatem Wurtenbergiæ Comitibus impertivit, indulget, daß ſich obgemelte Hertzogen von Würtenberg von ſolchem Hertzogthum Teckh Tituls, Wapens und Nahmens gebrauchen ſollen und mögen.

§. CLIV.

Tranſitus. De præſcriptione, tanquam ſpecie ceſſionis & derelictionis præſumtæ, hic quidem agi poſſet. Commodius tamen hæc materia reſervatur poſſeſſionum juribus. Pergimus juxta methodum Tit. 7. indicatam ad derelictionem, reique derelictæ occupationem.

TITULUS XIII.

DE

Rerum derelictarum occupatione ubi de thesauris, rebusque naufragio amissis.

* *
*

Res animatæ dimittendo, inanimatæ abjiciendo similibusve signis derelinquuntur. Thesauri, de quorum dominis non constat, regulariter cedunt inventori, leges civiles eos nunc Principi, nunc soli domino pro parte vindicant. Res naufragio amissæ non quidem derelinquuntur a dominis, earum tamen restitutio denegari potest a domino littoris, ubi appulerunt, eodem iure, quo transitum ipsis denegare potuisset.

§. CLV.

Derelictio fit res inanimatas deserendo

Vel nobis non monentibus intelligitur, de derelictione, qua quis expresse declarat, se hanc vel illam rem sibi habere in posterum nolle, hic sermonem non esse (Illa enim ad expressam domini translationem pertinet, de qua infra tit. sq. dicetur) sed saltem de ea, quæ *tacite* fit, & ex factis domini

domini derelinquentis est colligenda. Sic quando incolæ in aliam regionem concessuri ædificia sua urbesque incendunt, quod Helvetii fecisse leguntur apud *Cæsarem* de Bell. Gall. L. 1. c. 5. hoc ipso se redeundi spem abjecisse, sedesque suas derelinquere, clare satis innuunt, quo quidem loca ipsorum ac bona fiunt nullius, ipsum autem eorum dominium in alium haud transfertur, quare nec sola derelictio modum acquirendi statim atque per se constituit, sed tunc demum, ubi alius cujusdam accedit occupatio, quæ per superius dicta non animo solo, sed actu quodam corporali peragenda. Unde Acanthos insula deserta adjudicata est Chalcidensibus, qui priores intraverant, non Andriis, qui priores jaculum immiserant. * Conf. *Plutarch.* Quæst. Græc. 30. & *Grotius* L. 2. c. 8. §. 6.

* Andrii & Chalcidenses navigabant sedium petendarum causa, audientes Acanthum a barbaris esse derelictam, duos emittunt exploratores. Hi urbem ab hostibus desertam conspiciunt. Chalcidensis præcurrit, suis urbem occupaturus. Andrius ubi consequi eum non poterat, hastam projicit, qua portæ urbis infixa, se illa ipsa suis urbem præoccupasse dicit. Dissensione desuper orta, arbitri eliguntur Erythraei, Samii, Pariique. Priores Andriis, soli Parii Chalcidensibus urbem addicunt. *Puffendorfius* de I. N. & G. L. 4. c. 6. §. 8. Parios rectius sensisse judicat. *Titius* ad Lauterb. Obs. 1010. & ad Puff. de Off. Obs. 292. urbem communem factam retur, solam quippe declarationem ad occupationem sufficere. *Gundlingius* in Gundlingianis P. 3. c. 1. §. 21. putat, mentem utriusque populi, dum exploratores mitterent, fuisse, Acanthum communiter occupandi. Cui reponit *Leyserus* de jure privatorum circa occupationem cap. 1. th. 3. societatem belli ea quidem lucra, quæ ambo simul capiunt, communia facere, non etiam ea, in quibus capiendis unus alterum antevertit.

§. CLVI.

Similiter & res mobiles, inanimatæ e. c. abjiciendo, animatæ e custodia dimittendo derelinquuntur. Hinc Imper. feram vel avem, quæ custodiam evasit, ac in liber- *animatas dimittendo*

libertatem naturalem ſe recepit, noſtram eſſe deſinere, & rurſus occupantis fieri ait, naturalem autem libertatem recipere intelligi, cum vel oculos effugerit, vel ita ſit in conſpectu, ut difficilis ſit ejus perſecutio §. 12. Inſt. de Rer. divis. Ac licet alias rerum dominium, quod a poſſeſſione cœpit, non amittatur poſſeſſione amiſſa, ſed jus potius det ad repetendam poſſeſſionem, ob difficillimam tamen perſecutionem, & quia internoſci, quæ noſtræ fuerint, ab aliis nequeunt, eas pro derelictis habere credimur, ceu bene notat *Grotius* L. 2. c. 8. §. 3.

§. CLVII.

ſine ſignis vel crepundiis

Unde ſi ſigna vel crepundia addita fuerint feris manſuefactis, aut falconibus, accipitribus hunc in finem, ut perditi dignoſci, dominisque reddi queant, tunc inquam, licet poſtea e cuſtodia aufugerint, aut a domino venandi ergo, vel aliam ob cauſam in liberum aërem emittantur, eorum dominium non amittitur, ſed qui tales feras cepit, priſtino domino eas reſtituere tenetur. Aliquando tamen ſigna talia non tam dominium retinendi cauſa, quam in memoriam priſtinæ occupationis, eamque ſecutæ manumiſſionis adduntur, atque tunc talia animalia primo occupanti iterum cedere, vix dubitandum. Huc referrem cervum illum tempore Caroli VI. Galliarum Regis in agro Sueſſionum (Soiſſons) captum, cujus collari inſcripta erant verba: Hoc me Cæſar donavit. Item ardeam (Reiger) 1723. prope Laxemburgum a Carolo VI. Imperatore captam, cujus pedibus annulus cum nomine Ferdinandi I. Imp. & anno 1651. inſignitus erat affixus, & cui in hujus rei memoriam alius adhuc annulus cum nomine Imperatoris Caroli VI. & anno 1723. fuit additus, libero ipſi poſtmodum volatu iterum conceſſo.

§. CLVIII.

Theſaurus, de cujus domino conſtat, non eſt derelictus

Theſaurus, ſive res pretioſa ab ignotis dominis depoſita, * pro derelicto prius haberi nequit, quam, quinam eum depoſuerit, & num eo forte mortuo, heredes ipſius ſuperſint, ignoretur. Quodſi igitur conſtat quisnam talia pretioſa depoſuerit, ſine dubio illa ad ipſius heredes pertinebunt, etiamſi vel mille anni a depoſitione ad inventionem fuerint elapſi. Nolim tamen hæc applicari, quod a nonnullis fieri animadverto, ad factum Hyrcani, qui aperto Davidis monumento tria millia talentorum inde protuliſſe legitur apud *Joſephum* Antiq. Jud. L. 13. c. 16. (quod tamen ſagacioribus

fabulam

fabulam ſapit) Nam etiamſi ſuperfuiſſent Davidis heredes, ad eos tamen hæc pecunia non ſpectaſſet, quia per illationem in tumulum religioſa erat facta. Religioſæ autem res publici ſunt, non privati patrimonii. Vid. Tit. 4. §. 28. Quare & hæc pecunia recte omnino ab Hyrcano publicis uſibus fuit impenſa, cœpit enim inde externum militem alere teſte Joſepho l. c.

* Plerique quidem Doctores præter domini ignorationem etiam temporis vetuſtatem, & tantam quidem, cujus memoria non extet, ad theſaurum requirunt, quam tamen ſtudio in ejus deſcriptione omiſimus. Nam & breviſſimo aliquot annornm tempore interire poteſt depoſiti memoria, ſi e. c. fundus interea aliquoties dominos mutavit, neque certo conſtat, a quonam horum pecunia fuit condita. Unde id, quod aliquando judicatum teſtatur *Carpzovius* P. 2. Conſt. 53. def. 10. ex eoque *Ziegler* de Jur. Maj. L. 2. c. 20. §. 2. pecuniam depoſitam atque repertam, ex cujus inſcriptione conſtet, eam intra decem aut viginti annos cuſam fuiſſe, pro theſauro habendam non eſſe; hoc ſaltem nititur fundamento, quod conjectura probabilis inde capi poſſit, eam a domino fundi aut ejus parentibus fuiſſe conditam, quia nimirum fundus interea temporis alios dominos non habuit.

§. CLIX.

Cujus dominus ignoratur, fit inventoris.

At ſi plane non conſtat de eo, qui theſaurum depoſuit, hic, ſive in proprio, ſive alieno ſolo, ſive data opera, ſive caſu fortuito, fuerit inventus, tanquam fortunæ donum ad inventorem ſpectabit, nec pro fundi acceſſorio, nec mediate cum ipſo fundo occupatus haberi poterit, quia nec cum fundo cohæret, (ex quo fundamento metalla fundi domino ſuperius vindicavimus) nec dominus fundi ejus notitiam, nedum occupandi voluntatem habuit, ſine qua tamen acquiri dominium non poſſe, eſt certiſſimum. Interim leges civiles pro ea, qua pollent circa res indifferentes, ſeu quæ juris permiſſivi ſunt, adeoque & circa theſauri occupationem ſtatuendi facultate, ſoli rationem hoc in paſſu habere haud raro animadvertimus.

§. CLX.

Quod LL. civ. mutatum.

Apud Judæos agri domino thesaurum cessisse ex Christi Parabola Matth. XIII. colligi posse, putat *Grotius* L. 2. c. 8. §. 7. Leges Romanæ thesaurum in proprio fundo * repertum, totum inventori, in alieno aut publico fundo casu inventum pro dimidia parte domino fundi, pro altera inventori, data autem opera in alieno fundo detectum totum fundi domino addicunt §. 39. Inst. de Rer. divis. L. un. C. de thesaur. L. 63. Dig. de acquir. rer. domin. Idemque probat Jus feudale Longobardicum 2. feud. 56. In Germania, Gallia, Anglia, Hispania, Dania hodie thesauros Principi seu fisco vindicari, docet *Grotius* l. c. In Saxonia tamen juris civilis dispositio viget per expressam Constitutionem Electoralem Part. 2. Const. 53. ** In dubio autem pro inventore erit pronunciandum. Cumque leges, quæ fisco thesaurum addicunt, mere civiles sint solosque subditos stringant, nec ipsum thesauri dominium fisco tribuant, sed subditos saltem ab eorum occupatione arceant, putarem, Principem extraneum hospitem vel ipsius legatum, si in alterius territorio thesaurum, utut quantivis pretii invenit, tali lege non obstante eundem recte sibi acquirere.

* Nec non in loco sacro & religioso §. 39. Inst. de Rer. divis. quod tamen interpretes restringunt ad casum, si fuerit privatus. Alias enim dimidium fisci esse jubetur L. 3. §. 10. Dig. de jure fisci.

** Nam licet textus Land-R. Lib. I. art. 35. Alle Schätze unter der Erde begraben tieffer denn ein Pflug gehet, gehören zu der Königl. Gewalt de thesauris loqui videatur, placuit tamen legislatori Saxoni eundem de metallifodinis explicare. Conf. Tit. 9. §. 110.

§. CLXI.

Naufragio amissa.

Res naufragio amissæ, vel tempestatis, navisque levandæ causa ejectæ an pro derelictis habendæ sint, non una omnium est sententia. Sunt, qui eas tum propter ipsam ejectionem, tum propter recuperandi difficultatem derelictis simpliciter accensent, & occupantium fieri contendunt, cumque

Prin-

Princeps ſubditos in occupando prævenire poſſit, inde jus dominorum territorialium confiſcandi bona naufragorum ad littus appulſa, vulgo das Strand oder Fahe-Recht, item Grund-Ruhr, (termino inde derivato, quod naufragorum naves plerumque fundum tangunt, daß ſie Grund rühren,) derivant, atque ad ſententiam ſuam colorandam gentium jura, & conſuetudines, leges Rhodiorum, ſumtus in littora faciendos, aliaque ſimilia in ſubſidium vocant. Alii econtra in quibus eſt *Bodinus* de Republ. L. 1. c. 10. p. 267. & *Grotius* L. 2. c. 7. §. 1. ob deficientem derelinquendi animum, cum talis amiſſio aut ejectio non ex libera voluntate, ſed neceſſitate fiat, naufragorum bona pro derelictis habenda eſſe negant, & leges civiles, quæ illa fiſco addicunt, plane injuſtas pronunciant. * Prior quidem ſententia in dominium, quod naufragium paſſis in res ſuas competit, poſterior in ſummas poteſtates videtur injuria. Quare mediam eligimus ſententiam.

* His calculum addit Jo. Frid. *Horn.* de Civitate L. 2. c. 3. in fin. ubi in jus Principum occupandi naufragorum bona ita invehit: Immanitas eſt, & plus quam barbara conſuetudo, amici & confœderati populi civem, qui nec læſit quemquam, nec lædere voluit, facultatibus ſpoliare, quibus tempeſtatis rabies pepercit. Iniquiſſimum jus eſt, quod afflictum exuit fortunis, ſalvum & divitem dimittit integrum. Si in portum deſcendiſſet firma navis, jus nullum habebas in peregrina bona, nunc cum miſer naufragium fecerit, deprædandus eſt, ne qua calamitas ſola ſit. Humanæ ſocietatis eſt juvare miſeros, afflicto vero addere afflictionem, paulo ſupra belluarum feritatem eminens crudelitas eſt. Eandem in ſententiam diſſerit *Thomaſius* de jur. Conſuet. & Obſerv. §. 113.

§. CLXII.

Scilicet naufragi, quique navis levandæ cauſa onera ejiciunt, periculo quidem res ſuas exponunt, animum autem eas derelinquendi non habent, quidquod easdem recipere optant, & geſtiunt, quare earum domini omnino manent, easque ab inventoribus recte repetunt. Exceptionem *tamen a* *Non quidem derelicta, capi*

domino possunt. tamen hoc patitur in casu, ubi res tales perveniunt in mare, aut ad littus alterius cujusdam dominio subjectum. Hujus enim dominus cum plane homines atque naves a suis littoribus arcere, & ne appellant, prohibere possit, quidni & prohibere poterit, ne res præsertim amissæ & ejectæ sub pœna commissi eo appellant. Sin forte dixeris, talem prohibitionem facti esse, nec præsumendam, me pariter habebis consentientem, neo prius, quam talis prohibitio auspiciis summi imperantis fuerit declarata, ipse etiam littoris dominus, nedum inventor talia sibi vindicare poterit, sed eadem dominis restituere tenetur.

§. CLXIII.

Citra injustitiam. At injustitiæ talem prohibitionem si postulas, & durum ais iniquum ac inhumanum, imo nefas esse, afflictis calamitatem addere, ex re luctuosa compendium sectari, naufragosque bonis, quæ sæviens ipsis fortuna relinquit, spoliare: respondeo, hoc saltem per accidens fieri, & qualecunque hoc privatum incommodum alio quodam, eoque insigni publico commodo abunde compensari. Non enim verus ac primarius talis prohibitionis finis est, res alienas surripiendo fiscum locupletare, sed litium perplexarum multitudinem in Republ. minuere. Namque nemo non videt, quam difficilis sit probatio dominii in rebus naufragio amissis, quamque multæ & intricatæ desuper contentiones possint oriri, quibus ut præcaveatur, vix commodius datur remedium, quam ut ejusmodi aditus interdicatur sub commissi pœna, in quam ipsi naufragi res suas periculo exponendo consentiunt.

§. CLXIV.

Exempla Romana. Hinc talem bona naufragorum occupandi morem jam antiqnissimis Antonini Imperatoris temporibus viguisse, discimus ex L. 9. Dig. ad L. Rhodiam de jactu, quem tamen, utpote Imperantis consensu destitutum, improbat Diocletianus Imperator in L. 18. C. de furtis & Constantinus L. 1. C. de naufragiis (jung. L. 7. Dig. de incendio, ruina) Concilium Lateranense ex eoque cap. 3. X. de Raptorib. & Carolus V. in Ord. Crim. art. 218. *Danica.* Hodie in littoribus maris Baltici publica autoritate hoc jus exercetur. In Germania quondam eousque processum, ut Archi-Episcopus Bremensis

ſis Fridericum Comitem Stadenſem, tanquam ſervili ventre natum, ſibi vindicaret, propterea quod ipſius mater, facto in Albi naufragio, cum ventrem gereret, in Archi-Epiſcopi qoteſtatem jure naufragii veniſſet. Vid. *Spangenberg* Chron. Querfurt. L. 2. c. 26. & *Alb. Stadenſ.* ad an. 1112.

§. CLXV.

In Gallia jus occupandi naufragorum bona (le droit de Varech) inde ab ultimis temporibus obtinuiſſe teſtatur *de la Force* Etat de France cap. 20. ſect. 4. * Hodie autem vi Ordinationis Regiæ de 1543. 1584. 1681. intra annum dominis integrum eſſe, deductis expenſis bona naufragio amiſſa recipere, quo elapſo unam tertiam partem cedere inventori, alteram ſupremo claſſis Præfecto, tertiam territorii domino. Olim 6. ſaltem hebdomades, intra quas res amiſſas vindicent, naufragis in Gallia fuiſſe indultas ſcribit *Petr. Gregor. Toloſanus* de Republ. L. 9. c. 1. §. 29. p. 353. Exempla hujus juris in Gallia exerciti refert, idque ſimul tanquam turpe, crudele, & barbarum impugnat *Bodinus* de Republ. L. 1. c. 10. p. 267. Barbarum, ſcribit, id quidem, & antiquis inuſitatum, ut cujus opes ac fortunæ naufragio miſere perierint, & quem noſtris opibus ſublevare debeamus, ejus reliquias, quas ad littus ejectas bona fide reſtitui oportebat, turpe diripi patiamur. Sic tamen vivitur, ut qui portus habent, eam crudelitatem tum in cives, tum in peregrinos exequantur. Jus quæris? error jus facit. At ſi non peccatur errore, ſed ſcientia, ſcelus eſt, quod erroris ſpecie prætenditur. Cum enim legatus Cæſaris 1556. coram Henrico II. Francorum Rege queſtus eſſet, duas naves ad littus ejectas, & ab Jordane Urſino captas eſſe, easque reſtitui poſtularet, Annas Mommorancius Magiſter Equitum reſpondit, ea, quæ ad littus fuiſſent ejecta, gentium omnium jure ad Principes, qui littoribus imperarent, pertinere. Ita jus invaluit, ut ne Andreas quidem Doria queſtus ſit de navibus in littus Celticum ejectis, & a Præfecto claſſis Galliæ direptis. Hactenus Bodinus, qui tamen ex modo dictis facile refellitur. *Gallica.*

* Trahit huc locum *Diodori Siculi* L. 5. c. 2. qui tamen prout in meo exemplari legitur, huc quadrare non videtur. Ita enim ſonat: Hercules cum exercitu in Celticam Galliam profectus

est, omnique peragrata provincia infandum *interficiendorum hospitum* morem sustulit.

§. CLXVI.

Navis deserta. Interim cum ratio legum, quæ res naufragio amissas fisco addicunt, potissimum consistat in difficultate, quæ circa probationem dominii hoc in passu plerumqne occurrit, hæc autem quoad naves, tempestatis causa desertas, longe facilior existat, regulariter & nisi lex expresse etiam ad naves fuerit extensa, hæ ad littus appulsæ nec fisco, nec tertio occupanti cedent, sed dominis suis, deductis tamen expensis in easdem factis, restituendæ.

TITU-

TITULUS XIV.

DE

Traditione vera, Symbolica & ficta.

* *
*

Solus consensus præsertim expresse declaratus ad dominium transferendum sufficit, nisi lex peculiaris traditionem præterea requirat, quæ tamen & tunc ficte ac Symbolice peragi poterit. Ab ipsis Principibus symbolicæ ejusmodi traditiones libere solius solennitatis causa frequenter satis adhibentur.

§. CLXVII.

Vidimus cessionem præsumtam & tacitam. Expressa fit mediante consensu expresse declarato, quo ipso pacta inter acquirendi modos naturales referimus *. Naturaliter saltem ad transferendum dominium in sua perfectione consideratum, & mediante rei ad usum applicatione in effectum deducendum, adeoque cum possessione conjunctum, traditio est necessaria: non autem si in se citra possessionem transfertur. Tunc enim nihil requiritur, quam utriusque, tum transferentis, tum ejus in quem dominium transfertur, consensus. *Traditio.*

* Cumque nulla appareat ratio, quare donatio magis ad modos acquirendi debeat referri, quam contractus, facile nos veniam fore impetraturos confidimus, si materiam de donationibus obliga-

ligationum doctrinæ reservamus. In specie de cessione regiminis Ubergab der Regierung bey Lebzeiten dicetur de Pactis & Contract. L. 2. T. 4. §. 466.

§. CLXVIII.

ad dominium. Dantur quidem, qui & tunc traditionem, seu ipsam possessionis translationem requirunt, quoniam dominium a naturali possessione incipere debet. Sed enim vero hoc saltem ad primarium dominii originem & modum acquirendi originarium pertinet, non ad acquisitionem derivativam. Ubi enim dominium primitus in rem aliquam est inductum, simulac dominus jure suo se abdicat, & alter illud acceptat, eo ipso dominium transit. Quare id, quod traditio transferendo dominio intervenire debet, ex lege civili est, non naturali. * Sane si naturale esset, hoc ipsum, tanquam juris præceptivi, nulla lege civili mutari, aut effici posset, ut dominium sine traditione transeat, quod tamen fieri in legatis discimus L. 80. Dig. de legat 2. item in communione, societate omnium bonorum L. 1. §. 1. Dig. pro socio. §. 44. Inst. de rer. divis. Consentit *Grotius* L. 2. c. 6. §. 1. conf. tamen L. 2. c. 12. §. 15. in fin.

* Quod vero porro hinc infert *Titius* ad Lauterbach Obs. 1014. distinctionem inter titulum & modum acquirendi mere civilem esse, vix admittendum. Nam & naturaliter distinctus datur conceptus tituli e. c. donationis, emtionis a modo acquirendi, qui potest esse vel expressus vel tacitus.

§. CLXIX.

transferendum. At impugnant post alios multos *Klockium*, *Kulpisium*, *Textorem*, *Vinnium* hanc doctrinam *Coccejus* peculiari dissertatione utrum traditio sit necessaria ad transferendum dominium, & *Bœhmerus* in dissertatione de figmento translati ipso jure dominii ex promissis Principum, & alia de efficacia pactorum illustrium contra tertium §. 7. ubi quidem concedit, posse paciscentes, si ipsis ita placuerit, solo pacto omne jus, quod habebant, transferre, ita ut ad dominii translationem traditione opus non sit, sed

regu-

regulariter hanc non videri paciſcentium intentionem, quippe qui ſuam ſaltem perſonam ad aliquid præſtandum obligent & promittant, ſe translaturos fore dominium, non autem reapſe transferant, ſed præſumantur potius pacti effectum usque ad traditionem ſuſpendiſſe. At quis quæſo ſibi perſuadebit, homines in ſtatu naturali ſimplicitatis præprimis amante viventes de talibus cogitare ambagibus, cum vero longe ſit ſimilius, eum qui ſerium dominii transferendi animum declarat, illud ipſum ſimul uno eodemque actu tranſtuliſſe. Ubi tamen illud lubenter largior, poſſe pacto hanc dominii translationem in tempus certum, in conditionem certam differri, quale quid in expectantiarum conceſſionibus animadvertitur.

§. CLXX.

Etiam ex iis, qui regulariter ex ſolo promiſſo ſine traditione dominium non transferri aſſerunt, exceptionem in Principibus admittunt *Jaſon* ad L. 15. C. de R. V. *Anton. Faber.* in Cod. L. 3. tit. 22. def. 11. *Barboſa* ad L. 15. C. de R. V. Principumque promiſſis ſingularem hunc effectum tribuunt, ut dominium ex ſola promiſſione tranſeat, provocantes ad L. 5. C. de locat. præd. civil. & L. 3. C. de quadrien. præſcript. Alii ut *Roſenthal.* de feud. c. 6. concl. 10. *Brunneman.* ad L. 15. C. de R. V. & *Sixtin.* de Regal. L. 1. c. 5. diſtinguunt inter donationes & contractus. In donationibus, Principum dominium ſine traditione transferri, quaſi gratioſæ conceſſiones pleniſſime ſint capiendæ, ad easque beneficii collationes referunt per cap. 4. X. de donat. At in contractibus Principum traditionem requirunt, quaſi in contractibus Princeps jure communi utatur. Et quia *Roſenthal* feudum ad contractus refert, inde colligit, eum eſſe præferendum, cui priori feudum traditum, ac plane eo dilabitur, ut expectativæ ſeu nudæ feudi promiſſioni tanquam negotio gratioſo plus roboris tribuat, quam inveſtituræ abuſivæ, nec cum ipſa traditione corporali conjunctæ, quod hæc in contractu innominato conſiſtat. Nos a lege civili animum abſtrahentes, naturaliter ex ſolo promiſſo ſine traditione dominium tranſire aſſerimus, ſive inter Principem ſive privatos res agatur.

Naturaliter haud neceſſaria.

§. CLXXI.

Lege civili talis fieri cœpit.

Interim jam antiquissimis temporibus majoris solennitatis & securitatis causa traditionem in transferendo dominio fuisse adhibitam, admodum est probabile. Nam scribendi ars nondum erat cognita, Verba autem facile oblivioni mandantur, quodque coram testibus agitur, disceptationibus est obnoxium. Temporis successu interveniente legis autoritate inter subditos traditio plane necessitatis fieri cœpit. L. 20. C. de pactis, adeo, ut ex quarundam gentium institutis ad dominium transferendum simplex traditio ne quidem sufficiat, sed judicialis præcise intervenire debeat. Spectat huc dispositio Land-R. Lib. 1. art. 52. Ohne Erben Laub, und ohne echte Ding (i. e. sine termino judiciali) mag niemand sein eigen (immobilia ceu patet ex sequentibus) vergeben, quam ulterius declarat Decisio Electoralis Nov. 61. quæ diserte vult, ne prius rerum immobilium dominium transeat, quam facta a priori domino magistratui resignatione, & concessa ab hoc novo domino investitura, ita ut tempore intermedio dominium tantisper quiescere, & penes neminem existere videatur.

§. CLXXII.

Fit vel brevi vel longa manu.

Cumque molestæ haud raro existerent rerum traditiones, adinventæ sunt traditiones fictæ, nunc *brevi manu*, quando *vel* nudus rei detentor, superveniente titulo ad dominium transferendum habili, ejusdem fit dominus, vel is qui fuit dominus post dominium abdicatum rei detentionem jure usufructus, commodati, precarii, depositi penes se relinqui, a novo domino impetrat, quod *constitutum possessorium* vocatur, * nunc *longa manu*, cum res e longinquo demonstrata tradi videtur, nunc denique *per signa* vel symbola peragendæ, qualia sunt 1) clavium traditio Ubergebung der Schlüssel L. 9. §. 6. Dig. de acquir rer. domin. ubi tamen jure Romano requiritur, ut clavium traditio fiat in conspectu receptaculi, in quo res tradenda continetur L. 74. Dig. de contrah. emt. quod tamen hodiernis moribus negligitur 2) obsignatio Versieglung animo accipiendi facta L. 1. §. 2. Dig. de peric. & comm. rei vend. 3) traditio instrumentorum antiquorum der alten Kauff- und Lehn-Briefe L. 1. C. de donat. Instrumenti autem super præsenti contractu confecti traditio tunc demum symbolicam tradi-

traditionem infert, si inserta eidem est clausula: Verkäuffer wolle Käuffern vermittelst Uberreichung dieses Kauffbrieffs in völligen Besitz des Guthes gesetzet haben.

* Ergo constitutum possessorium est negotium secundarium principali accedens, quod si vitio laborat, ipsum quoque constitutum possessorium erit vitiosum. Porro observetur, quod constitutum possessorium est mere personale nec tertio officit. Ergo nec successori, qui non simul est heres. Denique Constitutarius contra ipsum constituentem propria autoritate vi uti nequit, sub prætextu se in possessione defendendi, non enim proprio sed constituentis nomine possidet. Nam in constituto possessorio & dominium & possessio tum naturalis tum civilis transfertur, ac sola detentio alteri indulgetur.

§. CLXXIII.

Germani præsertim Symbolicæ traditionis olim fuerunt studiosissimi. *Vel per signa.* Res magni momenti plerumque per hastam, mediocres per virgam, minimas per culmum vel stipulam tradere solebant. Speciatim si domus erat tradenda, adhibebatur effestucatio * Aushauung eines Spans, si hortus, arboris, si vinea, vitis eradicatio, Aushebung eines Baums oder Weinstocks, si stagnum, aquæ haustus, es wird Wasser geschöpfft, si ager vel pratum, effosio glebæ vel Wasonis, Ausstechung eines Rasens, cui sæpius ramus erat junctus, ut per glebam fundi proprietas, per ramum superficies tradi censeretur. Aliquando Symboli loco culter vel gladius adhibebatur, ut indicaretur, eum, cui hic traditur, habere jus evertendi, succidendi, metendi. Imo & per chirothecam Germani quandoque dominium transferebant. Quoties enim contrahentes propter absentiam dextras jungere non poterant, chirothecam dextram in signum rei gestæ mittebant, ceu pluribus hæc omnia idoneis testimoniis confirmat Jo. Godofred. *Schaumburg.* diss. de traditione symbolica cap. 3.

* Extat de effestucatione Tractatus a *Frid. a Sande* inchoatus, & a *Lamperto Goris* ad finem perductus, & Sandii Operibus insertus,

tus, de quo observat *Beyer* ad Tit. Dig. de act. emt. vend. pos. 20. quod nulla in eo effestucationis definitio deprehendatur.

§. CLXXIV.

e.c. Scotationem.

Apud Danos Scotationem fuisse in usu, discimus ex Diplomate Christierni Ripensis Episcopi apud *Pontanum* Rer. Danicar. L. 7. ad an. 1299. p. 383. & Erici Danorum Regis apud eund. p. 392. Scotationem hanc non tam factæ donationis quam traditæ possessionis evidens argumentum vocat cap. 2. X. de consuetudine, eumque fieri ait, modicum terræ (unde & scotatio probabiliter dicitur a Schutt, terra) in manu accipiendo, vel in extremitate pallii manu ecclesiæ sustinendo, aut super altare ponendo, sub testimonio videntium & audientium. Peculiarem de Scotatione dissertationem scripsit *Meyke* JCtus Altonaviensis.

§. CLXXV.

Etiam inter Principes.

Neque solum inter privatos sed ipsos etiam Reges, Principes aliasque personas illustres symbolica traditio erat usitata, quidquod magis erat in illustribus conspicua, utpote quibus Regna & feuda integra coronarum (1), hastarum seu sceptrorum (2), gladiorum, vexillorum, baculorum, annulorum (3), crucium (4), palliorum (5), pileorum (6), chirothecarum (7), fasciarum (8), interventu conferri ac tradi solebant. Singula pluribus deducta vid. ap. *Schaumburg.* l. c. c. 4. Imprimis notus est textus Land-R. Lib. 3. art. 60. & Suevic. L. 1. c. 32. Der Kaiser leihet allen geistlichen Fürsten Lehn mit dem Scepter, allen weltlichen Fürsten Fahnlehn leihet er mit der Fahnen (9) neque dum hos investiturarum & traditionum Symbolicarum modos exolevisse, sed hodienum omnes Germaniæ Principes tam seculares, quam Ecclesiasticos mediante gladio (10), tanquam justitiæ potestatisque signo, ab Imperatore ita investiri constat, ut in ipso investituræ actu gladii conus investiendo osculandus præbeatur.

(1) Unctionem Regum coronatione esse antiquiorem, ex Sacris literis discimus, quæ Davidem, Salomonem, Jehu, Hasaëlem, Cyrum in Reges unctos perhibent. Ammonitarum Reges coronas gestasse patet ex I. Chron. XXI. 2. Postea & Persæ coronas

ronas usurparunt, item Romani. Sic inter Tarquinii Prisci insignia coronam refert *Dionysius Halicarnass.* L. 3. Coronatio & unctio simul in inaugurationis ritu vix adhibita ante Justinum aut Justinianum. Clodovæi unctio saltem fuit baptismalis. Carolus M. autem primus NB. ab antistite & coronatus & unctus, qui mos postea ad nostra usque tempora servatus.

(2) *Justinus* L. 43. c. 3. Per ea, scribit, adhuc tempora (memoraverat paulo ante raptum virginum Sabinarum a Romanis factum). Reges *hastas* pro diademate habebant, quas Græci *sceptra* dixere. Et *Gregor. Turonens.* L. 7. c. 73. Rex Gunthramus data in manu Regis Childeberti *hasta*, ait, hoc est indicium, quod tibi omne meum Regnum tradidi. Ac *Sigebert. Gemblacens.* ad an 1180. Filia Henrici Regis Anglorum peperit filium, quem pater investivit Ducatu Apuliæ per aureum *sceptrum*, quod manu gerebat. Traditionis per hastam mentio quoque occurrit 2. feud. 2.

(3) Per baculum & annulum olim Episcopos ab Imperatoribus fuisse investitos, inter omnes constat. Cessit hoc jus Henricus V. Imperator Calixto II. Pontifici in Comitiis Wormatiensibus 1122.

(4) *Lehmann.* Chron. Spir. L. 5. c. 104. p. 623. sq. ex Henrici *Rebdorfii* Annalibus refert, quod cum in coronatione Rudolphi I. Status investituram accipere ob sceptri defectum, per quod investituræ fieri solebant, recusarent, Imperator *crucem* altari impositam sumserit dicens: Ecce signum in quo nos & totus mundus est redemtus, & hoc signo utamur loco sceptri, quo facto Principes omnes tam seculares, quam Ecclesiastici investituram accepere.

(5) Papa Archi-Episcopis plenitudinem Pastoralis officii per pallium confert cap. 3. X. de autor. & usu pallii. Conf. de hoc pallio *Rhet.* Inst. Jur. publ. L. 1. T. 16. §. 13. sq. *Wolf.* Institut. Jurisprud. Eccles. L. 1. c. 7. Membr. 3. §. 38. sqq. *Bœhmer.* Orig. Jur. Eccl. cap. 12.

(6) Reliquias hujus rei hodienum cernimus in collatione dignitatis Cardinalitiæ, & Hispaniæ Procerum, derer Grandes von Spanien, quæ mediante *pileo* fieri solet.

(7) *Chirothecas* in Vandalicorum Episcopatuum investituris adhibitas testatur *Cranzius* in Metropol. L. 4. Conf. dicenda §. 15.

(8) Sic Vologeses Parthorum Rex fratris Tiridatis, in Regni societatem assumti, caput diademate *evinxisse* legitur apud *Tacitum* Annal. L. 15. p. 264. Ac hodienum feudorum concessiones in Germania alicubi mediante *fascia* fieri, testatur *Seckendorff* im Fürsten Staat part. 3. cap. 3. Sect. 4. §. 2. p. 398. verbis: der Cantzlar oder Lehn-Probst ertheilet das Lehn, zu dessen Anzeige greifft er neben dem Vasallen an einer Taffent mit dem Fürstl. Wapen gezeichneten Binde, die er auf der Tafel in der Lehn- oder Rath-Stube liegen lässet. Sic & cum Wedderkoppius, legatus Danicus nomine Regis sui a Duce Guelpherbytano 1728. investituram acciperet wegen des Budiadinger Lands, stipulata manu super fascia consueta id factum. Er gab dem Hertzog den Handschlag über die von denen 2. Cammer-Junckern Petersdorff und Miltitz vorgehaltene gewöhnl. Hoff- und Lehn-Farbe.

(9) Olim in Germania frequens fuit traditio, seu quod idem est, investitura per sceptra & vexilla, quo faciunt complura exempla apud *Otton. Frising.* de gest. Frid. L. 2. c. 5. & 32. & *Gunther.* in Ligurin. L. 1. vers. 550. Plerumque tot adhibebantur vexilla, quot erant regiones, de quibus investitura erat facienda. Sic Ottocarus Bohemiæ Rex a Rudolpho Imperatore sub 36. signis investitus legitur apud *Aventin.* Annal. Boji. L. 7. Apparebant in singulis vexillis singularum regionum, quas designabant, insignia. Diversum tamen ab his erat vexillum rubrum die Blutfahne, omni pictura vacuum, quod in signum Regalium traditorum dari solebat. Wurtenbergici Duces hoc peculiare habebant, ut investirentur cum vexillo flavo mit einer gelben Fahne und mit einem schwartzen Adler, ceu apparet ex investitura Eberhardi Ducis apud *Hortleder* de Caus. Belli Germ.

T. 1. L. 3. c. 1. Peracta investitura vexilla dilaceranda in populum projiciebantur. Bohemo tamen ex privilegio integra restituebantur *Limn.* de Jurepubl. L. 4. c. 7. n. 28. Nonnunquam in uno eodemque investituræ actu & vexilla & sceptra & gladium fuisse adhibitum, docet investitura Magni Ordinis Teutonici Magistri a Carolo V. Imperatore Augustæ Vindelicorum peracta, de qua ita Jo. Casp. *Venator.* im historischen Bericht vom Marianischen Teutschen Ritter-Orden p. 244. Gleich damit ward Kaiserl. Majestät die Blutfahn behändiget, und dem Fürsten selben anzugreiffen dargereicht, desgleichen ist auch beschehen mit dem weissen Ordens-Fahn. Beyde wurden alsdenn üblichen Brauch nach über die Brücken hinab unter das Volck geworffen. Darnach nahm der Kayser das blosse Schwert bey dem Creutz, reichte dem Fürsten den Knopff, welchen er angegriffen und geküsset. Auch ward auf Erinnerung des offtgedachten Churfürsten und des H. R. R. Ertz-Cantzlarn der Kayserl. Scepter von Jhro Majestät, um die Hand daran zu legen, dargereicht aus Ursachen, weil er nicht nur ein weltlicher sondern auch zuvorderst ein geistlicher Fürst wäre.

(10) Hodienum investituram per sceptrum in viridi esse observantia, perperam tradunt *Arumaeus* & *Mylerus* notati propterea *Ittero* de feudis Imp. c. 9. §. 33.

§. CLXXVI.

Quod vero Schaumburg l. c. c. 4. §. 7. investituram per pallium hodienum in Aula Cæsarea vigere putat, valde est erroneum, ac frustra provocat ad ceremonias investituræ Saxonicæ & Brandeburgicæ apud *Stryckium* in Append. Exam. Jur. feud. ubi simultanee investiti pallium legati primarii fidelitatem jurantis complexi leguntur in signum simultaneæ investituræ. Perperam hæc ceremonia ad symbolicam traditionem transfertur. Nam pallium illud non ab investiente in signum factæ traditionis datur, sed saltem a simultanee investitis tangitur, ut indicetur, eosdem unam cum primario investito personam repræsentare, neutiquam vero, ac si pallium *An per pallium?*

lium

lium traditionis factæ sit symbolum, quod potius hac in ceremonia gladii est exosculatio.

§. CLXXVII.

Penitius si consideramus traditiones symbolicas & investituras, quibus Regibus ac Principibus Regna & Principatus conceduntur, observamus novum, idque haud spernendum argumentum hinc accedere sententiæ, superius a nobis assertæ, quod scil. traditio naturaliter ad dominium transferendum non sit necessarii, sed majoris saltem solennitatis ergo adhibeatur. Habent enim Reges & Principes imperium ac dominium in Regna & Principatus ex sola populi vel domini directi cessione sibi, vel majoribus suis hac lege facta, ut certo successionis ordine ad posteros transeant. Vi primæ hujus cessionis Principes Majestaticos actus exercent ante factam investituram vel inaugurationem, quæ demum ex post facto majoris solennitatis ergo accedit, nec ulla nova jura confert.

§. CLXXVIII.

Ante investituram an Comitiorum jus

In specie de effectu investituræ, per quam feuda Imperii Principibus conferuntur, variæ passim agitantur controversiæ. Peragitur illa vel postea, quam Vasallus feudi, de quo est investiendus, possessionem jam dum acquisivit, vel ante possessionem acquisitam. Priori casu, ubi nimirum Vasallus jam dum in feudi possessione existit, aut de nova plane investitura agitur, aut saltem de ejus renovatione. Renovatio nihil novi juris confert, adeo ut Princeps, ad quem per successionem feudum est delatum, etiam ante impetratam investituram libera feudi administratione, nec non sessione & voto in Comitiis gaudeat. Equidem Joanni Friderico Wurtembergico Duci, qui 1608. mortuo parente suffragii jus in Comitiis, antequam investituram aut speciale indultum impetrasset, prætendebat, illud denegavit Commissarius Cæsareus Ferdinandus Archi Dux Austriæ, adeo ut legati Wurtenbergici ceterique Status Evangelici Ratisbona discederent, & Comitia rebus infectis dissolverentur. Sequior tamen, eaque frequens satis praxis suffragii jus successoribus feudalibus ante investituram constanter satis indulget juxta mentem A. B. c. 7. §. 1. & c. 20.

Idem-

Idemque in ipsis etiam Principibus Ecclesiasticis observatur, utpote quibus electio tantundem juris tribuit, quantum secularibus successio, adeo ut Electores Ecclesiastici etiam ante investituram electioni & Comitiis interfuisse legantur. Vid. *Itter.* de feudis Imperii c. 9. §. 28.

§. CLXXIX.

Et regiminis administratio competat?

At de nova feudi collatione primaque ejus investitura majus subesse videtur dubium, num ante eam peractam feudi possessor pro vero Vasallo sit habendus & suffragii jus exercere possit? Negat *Eybenius* Elect. feud. IIX. 16. p. 180. & propter textum 2. feud 25. talem feudi possessorem usufructuarium magis, quam Vasallum esse contendit, ipsique voti & sessionis in Comitiis jus denegat Theodor. *Sprengerus* Lucern. Imp. c 2. p. 158. Certe administratio feudi, quod possidet talis investiendus, denegari ei etiam ante susceptam investituram nequit. Conf. Instrum. Pac. art. 10. §. 3. ibi: Ducatum Pomeraniæ Regia Majestas Regnumque Sueciæ *ab hoc die* in perpetuum pro hereditario feudo habeat, possideat, iisque libere utatur & inviolabiliter fruatur. Imo Svecorum Regi, nondum licet investito, sessionem & suffragium in Comitiis 1653. datum fuisse, constat. Itter. l. c. §. 25.

§. CLXXX.

An investitura dominium & possessionem tribuit?

Illo denique casu, quo Vasallus de feudo, quod nondum possidet, de novo investitur, id quidem minus dubii habet, corporalem possessionem per talem investituram non transferri, sed ad eam transferendam actu corporali esse opus 2. feud. 2. & alibi passim. Num vero feudi dominium & possessio civilis per talem investituram transferantur, ex circumstantiis ipsiusque investituræ tenore dijudicandum videtur. Prudenter investituræ tabulis inseritur clausula de dominio & possessione feudi sine ulteriori traditione transferenda. In dubio autem affirmativam esse sequendam existimaverim, tum quoniam ea putatur tale negotium celebrantium intentio, ut quam plenissimum sortiatur exitum, tum etiam quia ipsa investitura traditionis quandam speciem constituit. Add. *Jtter.* de feud. Imp. c. 9. §. 48. sqq. Agitata inprimis est superiori Seculo hæc controversia in causa Juliacensi, ubi Georgius *Frantzkius* Lib. 3. Resol. 1. num. 37. sqq. dominium

concessæ rei ipso jure sine traditione in cessionarium transire, magno molimine adstruere laboravit, cui tamen adversatur, qui pro Neoburgico in illa lite pugnavit, *Merckelbachius* apud Klock. Tom. I. Cons. 7. num. 362. sicut & ipse *Klockius* de Contrib. c. 20. n. 22. statuit, ab Imperatore per solam investituram in re absenti peractam neque dominium neque possessionem transferri.

§. CLXXXI.

Traditio rerum incorporalium.

Quæ hactenus de traditione disseruimus, potissimum ad traditionem rerum corporalium spectant, utpote quæ solæ proprie dominii sunt capaces. Res incorporales enim cum tangi nequeant, proprie nec tradi possunt. Attamen sicut rerum incorporalium improprium aliquod & analogicum fingitur dominium, ita pariter & analogica eorum traditio passim obtinet, quæ fieri intelligitur in servitutibus per patientiam & usum, item per traditionem rerum corporalium, quibus incorporales inhærent. Imo & symbolica traditio nonnunquam rerum incorporalium ac jurium translationi applicatur. Antiquissimum hujus rei vestigium in moribus Hebræorum occurrit Ruth. IV. 7. ubi verba sequentem in modum sonant. Hic autem erat mos antiquitus in Israel inter propinquos, ut si quando alter alteri suo juri cedebat, ut esset firma concessio, solvebat homo calceamentum suum, & dabat propinquo suo. Hoc erat testimonium cessionis in Israel.

§. CLXXXII.

Majestatis & Regalium.

Sed & hodienum Regibus ac Principibus per coronationes, inaugurationes & investituras summa jura, summam potestatem ac Regalia passim conferri extra dubium est positum. Sicut exadverso ipsi Reges varia iterum jura aliis mediante istiusmodi traditione Symbolica & investitura sæpissime & concesserunt olim, & hodienum concedunt. Applicari huc forsan poterit, quod dicitur Land-R. L. 2. art. 26. jus monetam erigendi a Rege per chirothecæ transmissionem concedi debere: Kein Mann mag Müntz erheben, ohne des Richters Willen, in des Gericht es liegt. Auch soll der König durch Recht seinen Handschu dazu senden, zu beweisen daß es sein Wille sey.

§. CLXXXIII.

§. CLXXXIII.

Num quis ipse, an per mandatarium traditionem peragat, nihil interest. Sicut & in libera pariter concedentis voluntate est positum, cui aliquid tradere velit, adeo ut & incerto, primoque occupanti fieri traditio queat, quod præsertim Missilium exemplo docemur, quæ Reges ac Principes in inaugurationum aliisque festivis solennitatibus in vulgus vel ipsi, vel per alios spargunt. In Imperatoris Germanici coronatione Archi thesaurarii vel ipsius Vicarii officium est, missilia, seu numos aureos & argenteos, quibus effigies Imperatoris cum anno & die coronationis est impressa, spargere. Neque numos solos, sed alias quoque res inter missilia quandoque spargi, memorabili docemur *Svetonii* testimonio in Nerone c. XI. ibi: sparsa & populo missilia omnium rerum per omnes dies singula quotidie millia. Avium cujusque generis multiplex penus, tesseræ frumentariæ, vestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, jumenta, atque etiam mansuetæ feræ, novissime naves, insulæ, agri. &c. Hactenus Svetonius. Neque Imperii Principibus imo nec subditis privatisque missilia spargere, hodie est interdictum. Olim quidem Marcianus Imperator Consulibus ea spargere interdixit L. 2. C. de Consulibus, at permisit iterum Justinianus Nov. 105. cap. 2.

Missilia traduntur incerto.

§. CLXXXIV.

Vix quoque est, ut moneamus, traditionem solam dominium non transferre, sed præsupponere titulum ad illud transferendum habilem. Cum enim traditio sit nuda datio in possessionem, ipsa ejus indoles satis superque ostendit, eam non saltem dominii, sed cujuscunque alius possessionis causa e. c. in precario, commodato, locatione locum habere posse. Pariter quemadmodum infra dicetur, dominium aliud plenum esse, aliud minus plenum, revocabile aliud, aliud irrevocabile, ita nec semper per traditionem transfertur libera potestas & jus illimitatum, sed tale saltem, quale rei traditæ vi pacti inhæret e. c. revocabile, si addita clausula commissoria in casum non adimpletæ conditionis.

Dominio traditio non est propria.

TITULUS XV.

DE

Confiſcatione & Occupatione Bellica.

* *
*

Ob læſionem & delictum hoſtium bona occupantur, ſubditorum confiſcantur. Neque enim res hoſtium, quaſi nullius a quovis, ſed ſaltem a læſo in damni illati reparationem recte occupantur.

§. CLXXXV.

Occupatio bellica. Quæ ſequitur inter derivativos dominium acquirendi modos occupatio bellica, * ſoli gentium juri propria non eſt, ſed pariter ad privata Principum jura ſpectat. Nam & hi, licet forte Majeſtate deſtituti, quia tamen ſuperiorem non agnoſcunt, iis a quibus læſi ſunt, recte bellum inferunt, quod illuſtratur exemplo Abrahami Geneſ. XIV. & Jacobi Geneſ. XLVIII. 22. Taceo ipſas gentes inter ſe ſpectatas privatorum reſpectum ſuſtinere.

* Nodum in ſcirpo quærunt, qui faſtidiunt nomen occupationis bellicæ, & dicere malunt ereptionem rerum hoſtilium, quaſi omnis occupatio ſupponat res nullius, quales tamen res hoſtium non ſunt. Occupatio in genere apprehenſionem denotat nec proinde ad ſolos modos acquirendi originarios reſtringenda Conf. *Carol. Frid. Pauli* de jure Principis circa res nullius §. 30. & 58.

§. CLXXXVI.

§. CLXXXVI.

Fundamentum occupationis bellicæ in cessione tacita si ponere velis, ita circiter ex eorum saltem mente, qui obligationem ex delicto quoque a consensu arcent, foret ratiocinandum. Omne justum bellum præsupponit læsionem, quam simulac hostis infert, eo ipso se obligat ad damnum inde datum reparandum, ac cautionem de non amplius lædendo præstandam, adeoque id, quod satisfactionis nomine debetur, tacite & ipso facto, quo damnum infert, alteri cedit. Ac licet postea vi aperta idem præstare detrectet, tantum tamen abest, ut per declaratam hanc denegationem alteri jus, ex facta priori tacita cessione, seu læsione illata, quæsitum auferatur, ut potius jus ipsi tribuat, vim hancce injustam justa vi repellere, atque id, quod sibi debetur, armata manu persequi. Hæc cui demonstrandi ratio displicet, commodior suppeditabitur, si dicamus, derivative dominium acquiri vel per pactum nunc tacitum nunc expressum, vel per delictum alterius, quo & confiscatio & bellica occupatio potest referri. Res hactenus eodem recidit. Super vocibus autem aut methodo nemini litem movebimus. *a præcedente læsione.*

§. CLXXXVII.

At eorum * sententia, qui occupationis bellicæ fundamentum exinde repetunt, quod dominium omne primævo divisionis pacto nitatur, pactorum autem præteritorum jura inter hostes sint sublata, ac proinde hostium res pro rebus nullius, quæ cuivis occupanti pateant, sint habendæ, hæc inquam sententia plane ferenda non est, tum quia primævæ divisionis fabula ab aliis passim atque a nobis Tit. 5. §. 53. falsitatis est convicta. Confer tamen dicenda de heredit. §. 431. tum etiam, quod incongrua multa inde sequerentur e. c. quod etiam juxta internam justitiam res hostium sine fine ac modo occupare liceat, item quod illæ non ei, cujus auspiciis bellum geritur, sed primo occupanti acquirantur &c. *non a sublato communi divisionis pacto arcenda.*

* Quorum in numero esse credo omnes, qui occupationem bellicam inter originarios acquirendi modos referunt. Quocunque enim sensu modum acquirendi originarium accipias, semper tamen requirit, ut res occupanda sit nullius, pro quali tamen hostium res venditari nequit.

§. CLXXXVII. b.

§. CLXXXVII. b.

intra satisfactionis & cautionis terminos stet.

Stare nimirum debet omnis bellica occupatio intra fines justæ satisfactionis de damno dato, & cautionis de non amplius lædendo. Hos quicquid excedit, ne belligerantibus quidem est licitum. Non in infinitum vagari in bello debet vindicta, sed usque eo, ut delicta debito modo expientur, nec ultra licitum est capere aut habere, quam causa subest debendi in hoste, aut securitas postulat, adeo ut propter pecora abacta aut domos aliquas incensas totum regnum vastari, aequitas non ferat, ceu ex *Polybio* aliisque fuse docet *Grotius* L. 3. cap. 12. & 13.

§. CLXXXVIII.

An ad res tertii pertingit.

Hinc & facilis est decisio quæstionis, possintne res tertii apud hostem extantes belli jure capi? Scilicet non aliter, quam quatenus ipse rerum dominus se nobis hostem præbuit, suppeditando nimirum hosti materiam & opes, unde facilius bellum gerere possit. Semper tamen pro victore militat præsumtio, ea quæ apud hostem deprehendit, esse hostilia. At res civibus nostris ab hoste ereptæ, & a militibus nostratibus recuperatæ, pristinos dominos postliminio recipiunt, nec vi occupationis bellicæ novum dominum accipiunt, quia cives omnes causam communem tunc faciunt, ac unam personam repræsentant.

§. CLXXXIX.

Res bello captæ cujusnam fiant.

Sed & illud ex dictis relinquitur, quod res bello captæ illi acquirantur, cui læsio illata, cui satisfactio debebatur, occupantibus autem non aliter, quam prævia hujus voluntate. Tunc demum autem res bello capta intelligitur, si recuperandi spem probabilem alter amisit * e. c. si mobilis intra præsidia aut portum fuit perducta, recentioribus Europæorum moribus si per 24. horas in potestate fuit, immobilis, si mansuris munitionibus inclusa, quæ itidem fuse deducta vide apud *Grotium* L. 3. c. 6. ubi §. 8. non minus receptam quam falsam eorum refutat sententiam, qui cum in jure Romano legissent, capta capientium fieri, in Canonum autem corpore, distribui prædam publico arbitrio, dicunt, primo ac jure ipso

capta

capta fieri ſingulorum, qui manu capiunt, attamen Duci aſſignanda, qui inter milites diſtribuit.

* Ante aliquot annos navis Anglicana Gallicam invadit, & fugientem perſequitur. Sed dum ei proxime inſiſtit, alia Hollandica occurrit, cui Galli ſe dedunt. Angli navem ſibi vindicant, quod, ni Batavi occurrîſſent, indubie eam capturi fuiſſent. Belgæ ſuam cauſam potiorem ajunt, quia ad occupationem apprehenſio neceſſaria. Ego per dicta Tit. 7. §. 7. diſtinguerem, num plurimum circa occupationem laboris jam fuerit conſumtum nec ne, ob das Schiff ſo durchſchoſſen, daß es ſchon ſinckt, alias enim non omnis elabendi ſpes amiſſa, nec proinde occupatio peracta.

§. CXC.

Mox vero ipſe Grotius incaute paſſim eorum ſequitur dogmata, qui hoſtium res pro rebus nullius venditant, & §. 10. diſtinguit inter actus vere publicos belli, & inter actus privatos, qui fiunt occaſione belli publici, ut dimicationes ſingulares, excurſiones. Per hos privatis res acquiri docet primo ac directe, per illos populo. *

* In ſequentibus Grotius eleganter ac erudite exponit gentium mores, quibus circa res hoſtium captas utuntur, quorum ſumma huc redit. Agros Hebræi & Lacedæmonii ſortito diviſerunt, Romani aut locandos retinuerunt, aut diſtraxerunt, aut aſſignarunt colonis, aut vectigales fecerunt. Præda militi conceſſa aut dividitur nunc ſtipendiorum, nunc meritorum ratione, (quo tamen caſu apud Romanos licebat Imperatori præcipuum ſibi accipere quantum vellet) aut diripitur, quem morem qui improbant, ajunt avidas in direptione manus præripere fortium bellatorum præmia, cum ita ferme eveniat ut qui ſegnior ſit, prædetur. Apud Romanos præda in publicum deferenda, quod qui neglexerat, peculatus tenebatur. Viduis, ſenibus & egentibus pupillis pars prædæ data temporibus Maccabæorum 2 Maccab.

cab. VIII. 28. 30. Neque prædæ aſſignatio ſemper mera donatio eſt, ſed interdum contractus, interdum aut ſolutio ejus, quod debetur, aut remuneratio ob damna, quæ quis paſſus eſt, aut ob id, quod ipſe bello impendit ſive ſumtu, ſive opera, ut cum ſocii aut ſubditi nullo ſtipendio militant, aut non tali quod operæ reſpondeat. Tacita enim conſuetudine utique ferme inductum, ut ſua faciant, quæ capiunt aut ſocii aut ſubditi, qui ſine ſtipendio, & ſuo ſumtu ſuoque periculo bellum gerunt. *Tacitus* Hiſtor. L. 3. expugnatæ urbis prædam ad militem, deditæ ad Ducem pertinere ait. Apud Hebræos pars prædæ dimidia cedebat his, qui in procinctu fuerant Numer. XXII. 27. 47. Apud Græcos præda durante certamine capta publica, poſt certamen privata erat. In Hiſpania pars prædæ dimidia penes Regem, ſeptima vel decima penes Ducem exercitus manet, reliqua militibus datur. Galliæ moribus decimam prædæ maritimæ fert maris præfectus, item apud Hollandos, ubi tamen quinta prius a Republica deducitur. Inſtrumenta autem bellica, tormenta, pulvis pyrius &c. ſemper ei, cujus auſpicio bellum geritur, acquiruntur.

§. CXCI.

Bonorum confiſcatio.

Alia tacitæ ceſſionis ſpecies quæri poſſet in bonorum confiſcatione. Nam eo ipſo, dum quis civitatis fit membrum, actiones ſuas ad leges ibidem vigentes attemperare, ſeque, ſi contravenerit, magiſtratus judicio ſubmittere promittit. Et licet poſtea his legibus vivere, ac ea, quæ vel ex contractu vel ex delicto debet, ſponte præſtare detrectet, ita ut vi, publicaque magiſtratus autoritate ad id adigendus ſit, fraudi tamen hoc ipſum eſſe non debet pactis prioribus per ſubjectionem tacite initis, ſed judicialis ejusmodi adjudicatio vel privatis, vel ipſi fiſco facta, quæque propterea confiſcatio vulgo audit, eodem loco erit habenda ac ſi ſponte rem alteri adjudicatam ceſſerit. Brevius interim & commodius res expeditur, ſi ablationem bonorum ob delicta peculiarem conſtituamus modum derivative dominium acquirendi. Vid. Tit. 7. §. 69. Cernitur illa tum in occupatione bellica, de qua hactenus egimus, tum in confiſcatione, de qua pauca dicenda reſtant.

§. CXCII.

§. CXCII.

Irrogatur hodie (olim rem ſecus ſe habuiſſe docebitur de heredit. §. 456.) in Imperio Germanico omnium bonorum confiſcatio illuſtribus præſertim delinquentibus ob ſolum læſæ Majeſtatis crimen. Vid. Authent. Bona damnatorum C. de Bon. damnat. Ord. Crim. art. 218.* Quo caſu feudalia ad feudi dominum revertuntur, utpote cui invito jus ſuum auferri nequit. Allodialia autem eaque immobilia perveniunt ad dominum territorii, ubi ſita ſunt. Capitul. Leopoldin. art. 27. verb. wo ſie gelegen & Caroli VI. art. 20. num. 5. & art. 21. num. 1. mobilia ad dominum domicilii delinquentis, etiamſi ipſo actu in alio territorio exiſtant. Sequuntur enim perſonam. Sin bona mobilia ſunt acceſſoria rei immobilis, tunc rei ſuæ principalis conditionem ſequuntur. Vid. *Rhetii* Inſt. Jur. publ. Lib. 3. Tit. 1. §. 23. Ceterum bona confiſcata regulariter privato cedunt imperantis patrimonio, tanquam fructus imperii, utut ipſum jus fiſci ad publicum patrimonium ſpectet. Vid. *Grot.* L. 2. c 6. §. 12. In Germania feuda Imperii confiſcata, ſi majoris momenti ſunt, Imperio incorporari jubentur Capitul. Caroli VI. art. XI. n. 4. *In ſolo Majeſtatis crimine obtinet.*

* Jure tamen Saxonico hodienum etiam ii, qui ob aliam quam perduellionis cauſam bannum ſuperius patiuntur, bonis exui eademque fiſco addici colliguntur ex Land-R. L. 1, art. 38. Vid. *Carpzov.* Prax. Crimin. part. 3. qu. 140. num. 120.

TITULUS XVI.

DE

Effectibus Dominii, in specie de Rei Vindicatione.

* * *

Dominii effectus trifariam se exerit, in usufructu seu utilitate, quæ ex re dominio nostro subjecta percipitur, in rei alienatione & vindicatione, quæ naturali jure haud aliter procedit, quam ostensô præter pristinum dominium præsentis possessoris vitio.

§. CXCIII.

Dominii effectum. Usus rerum ac levanda inde hominum indigentia primarius fuit finis, qui dominio ansam originemque præbuit. Cum autem superveniente hominum multitudine, indeque orta rerum raritate, res in futuros usus asservandæ ac custodiendæ essent, nonnullæ etiam nonnisi prævia hominum opera & cultura in usus humanos converti possent, nec quilibet rebus, quibus indigebat conficiendis sufficeret, orta hinc est de rebus nostris libere disponendi occasio & facultas. Denique cum ambo hi fines aliter obtineri haud possent, quam si quilibet in jure, quod sibi in res suas competit, quiete relinquatur, atque ab aliorum contrectatione tutus præstetur, natum hinc quoque est jus res suas sibi vindicandi. Complexus trium ho-

rum

rum jurium uno verbo ſub dominii notione comprehenditur. Priora duo in ipſa ſuperius a nobis ſuppeditata definitione exprimuntur, dum illud T. 5. §. 47. diximus eſſe jus de re corporali libere diſponendi, eademque utendi fruendi. Tertium autem nimirum rei vindicationem ideo exprimere ſupervacaneum duximus, quia illud ipſum ſub prioribus latet, quippe quæ ſine hoc obtineri nequeunt.

§. CXCIV.

Equidem B. *Beyerus* Specim. Jur. Germ. L. 2. c. 10. poſ. 1-6. nec utendi fruendi, nec de re diſponendi facultatem dominii eſſentiam ingredi, ſed eadem ſalva abeſſe poſſe contendit, adeoque dominium nihil niſi jus rem vindicandi complecti, quod ſi admitteretur, prorſus corrueret noſtra dominii definitio, & quicquid eidem ſuperſtruitur. At vereor, ne anguſtus nimis ſit Beyeriani dominii conceptus, imo ab ipſa dominii indole abhorrens. Commodum, utile, ac proficuum eſt dominii nomen. At ſolum vindicandi jus cum uſufructu ac diſponendi facultate haud conjunctum merum onus comprehendit. Et ubi quæſo terrarum tale dominium in ſolo vindicandi onere conſiſtens atque ab uſufructu & diſponendi facultate ſeparatum reperietur? Mihi illud merus vanæ imaginationis fœtus, merum nonens eſſe videtur. Imo etiamſi daretur, omni tamen deſtitueretur effectu. Quis enim quæſo moleſtam ac operoſam rei vindicationem inſtituet, unde utilitatis nihil poſſet ſperari.

in ſola vindicatione ponit Beyer.

§. CXCV.

Decepit Beyerum ex una parte æquivoca uſusfructus notio. Hic enim, quando pro parte & effectu dominii venditatur, non accipitur in ſenſu juridico pro uſufructu *formali*, ſervitute quadam in re *aliena* competente, ſed in ſenſu etymologico (nec tamen JCtis incognito L. 3. Dig. de uſufruct.) pro uſufructu *cauſali* & utilitate, quæ ex re *noſtra* percipitur. Conf. L. 2. Tit. 5. §. 331. Taceo in ipſa ſervitute uſusfructus ex communi Doctorum ſententia uſumfructum a dominio non penitus ſeparari, ſed admitti potius uſufructuarium in particulam aut ſocietatem & communionem quandam dominii latius accepti, quatenus ſcil. ſervitutes conſiſtunt in dominio rerum incorporalium. Quod vero ex altera parte objicit Beyerus,

qui refellitur

abesse a dominio posse salva ejus substantia & utendi fruendi jus & jus disponendi, non autem abesse ab eodem posse vindicandi jus, id inquam ita est limitandum, ut priora duo jura saltem pro parte ac divisim abesse a dominio queant, non autem in totum & conjunctim, sicut exadverso ipsum vindicandi jus salvo dominio limitari ac restringi potest. * Habet siquidem dominium hoc commune cum aliis plurium rerum complexibus, ut, si plenum & perfectum esse debet, omnes suas partes debeat illibatas complecti; sin minus plenum & imperfectum est, quædam ejus partes inde separari queant, ita tamen ut potiores remaneant, ab iisque fiat denominatio; si denique omnes partes, unica sola excepta, auferuntur, ipse complexus, qui pluralem numerum adeoque duas ad minimum partes requirit, cesset. Ubi itaque solum vindicandi jus adest, dominium adesse dici nequit, quia hoc plurium jurium complexum involvit. Si vero accedit jus utilitatem percipiendi, utut in spe demum constitutum, quale est illud domini directi in casum aperturæ, tunc omnino adest dominium, etiamsi forte vi pacti de eodem disponere prohibeatur. Si denique utilitas omnis cum disponendi & vindicandi jure est conjuncta, tunc demum plenum & perfectum intelligitur dominium.

* Quo pertinet textus Land-R. L. 2. art. 60. qui rem alicui commodatam a tertio vindicare vetat, item L. 3. art. 7. ubi res furtiva a bonæ fidei emtore, qui emtionem non clandestine esse factam tribus testibus docere valet, *nonnisi pretio restituto* vindicari permittitur. In totum autem jus vindicandi a dominio separari ideo nequit, quia sine eo primarius dominii finis, rem scil. nostram in usum convertendi obtineri non potest.

§. CXCVI.

Usum addit Titius. Æquiorem Beyeriana illa sententiam circa dominii effectus fovet *Titius* ad Puffendorfium Obs. 312. §. 2. ubi duos quidem agnoscit, ut scil. re plenissime uti, * eamque a quovis vindicare queas, tertium autem alienandi nimirum facultatem frustra ex dominio repeti putat, quia eadem res, (h. l. dominium) non possit simul esse alienationis causa & objectum, quare alienandi facultatem ex libertate naturali deducere mavult. Non tamen est,

ut

ut ipsi hac in parte assentiamur. Sufficit enim communem loquendi usum illam naturalis libertatis particulam, quæ in dispositione circa res nostras se exerit, dominii nomine insignivisse. Nec quicquam absurdi reperio in eo, quod eadem res diverso respectu alienationis & causam & objectum constituat. Do instantiam ab homine in servitutem se dante petitam. Hic objectum, quod alienatur, atque in alterum transfertur, est libertas, sed eadem libertas causa simul hujus alienationis existit. Simili prorsus ratione dominium est causa vi cujus rem alieno, sed & simul est objectum, quod in emtorem transfero.

* Nimii autem sunt, qui ne quidem sufficere putant ad dominium jus utendi, nisi abutendi facultas accedat, quasi hæc unice ab usufructuario distinguere dominum valeat. Plenus quis potest esse dominus, licet abutendi facultate destituatur, quæ plane extra dominii sphæram est posita.

§. CXCVII.

Nos & disponendi facultatem

Triplex hic, quem dominio vindicavimus, effectus in privatorum æque ac Principum dominio cernitur. In specie tamen de rei vindicatione notandum, quod alia ejus sint requisita, si a Principe lege humana soluto, & alia si a subdito instituatur. Princeps lege humana solutus requisita juris naturalis observare tenetur. Hoc vero in dubio præsentis possessionis jus illo pristini dominii fortius judicat. Vid. §. 46. T. 5. Quare naturaliter in rei vindicatione non sufficit probasse dominium, sed præterea etiam vitium in præsentis possessoris possessione est ostendendum. Alias justa potius hujus esse possessio, ac pristinum dominium abdicatum præsumitur.

§. CXCVIII.

Ad vindicationem jus Rom. solam dominii probationem requirit

At civilia nostra jura dominio magis favent, eoque probato protinus possessione cedere possessorem jubent, adeo ut in rei vindicatione nihil præter dominii probationem requiratur L. 9. Dig. de Rei Vindic. Quo minus tamen civili hoc beneficio (ad reprimendas hominum alienis possessionibus inhiantium libidines, & ne injusta possessio invasoribus commodo cedat, introducto) frui semper liceat, difficilis admodum dominii probatio in causa

 est,

est, quæ efficit, ut rei vindicatio rarissime per solam dominii probationem felicem exitum sortiatur, sed aliis plerumque adminiculis e. c. antiquiore possessione, præscriptione, aut Publiciana actione juvari debeat.

§. CXCIX.

eamque antiquioris possessionis

Sola quidem antiquior possessio naturali jure præsenti possessori non officit, utpote qui ob solum possessionis jus, præsumtamque ejus justitiam ad eandem quiete retinendam recte agit & excipit. Hinc jus retentionis dotis intuitu competit uxori in bonis, quæ simul cum marito possidet (secus in iis, quæ non possidet) item bonæ fidei possessori intuitu impensarum, & ubique ubi communio obtinuit. Sed ad effectum recuperandæ possessionis antiquior possessor simul vitium præsentis possessionis probare debet. Nam tunc demum fortius inde jus elicitur. Econtra ex civilibus hodiernæ praxeos institutis simpliciter sufficit, antiquiorem probasse possessionem, quia nimirum possessio antiquior propius ad dominii indolem accedit, quam recens ac præsentanea. Sicut itaque dominium indistincte possessionem sive antiquam sive recentem, ita possessio antiquior vincit recentiorem.

§. CC.

& actionis Publicianæ adminiculis juvat.

Actione Publiciana Prætor Romanus succurrit iis, qui justo titulo rem possederunt, eamque illi a præsente possessore restitui jubet. Plerique Doctores quidem Prætorem hic nihil novi introduxisse, sed ipsam hanc actionem maxime naturalem esse contendunt. Nihil enim naturali rationi magis convenire, quam ut is, qui potius jus habet, præferatur ei, qui infirmiore nititur. Penitius tamen rem inspicienti omnis hæc actio mere civilis apparet. Nam licet in thesi id quod interseritur, debilius jus a fortiore vinci, sit verissimum, in hypothesi tamen differentia se prodit in eo, quod Prætor ejus, qui justo titulo possedit, jus fortius putet illo præsentis possessoris, cum exadverso naturale jus hujus conditionem potiorem agnoscat. Scil. Prætor exinde, quod pristinus possessor justum titulum probat, præsentis possessoris possessionem titulo destitui præsumit, indeque ipsius jus debilius esse concludit. At naturalia jura de quovis bene sperare jubent, adeoque præsentis possessionem justam esse, nec Titulo destitui præsumunt, eoque ipso ipsius jus utpote cum præsenti possessione conjunctum fortius agno-

agnoſcunt. Quatenus itaque ad actionem Publicianam nihil aliud requiritur, quam ut actor probet *primo* ſe poſſediſſe, *ſecundo* juſto titulo ſe poſſediſſe, eatenus illa mere eſt civilis, nec naturali jure aliter contra præſentem poſſeſſorem quicquam efficiet, niſi & *tertium* accedat requiſitum, ut ſcil. probet actor, præſentem poſſeſſionem eſſe vitioſam. Namque tunc demum fortius actoris jus intelligetur.

§. CCI.

Unicum obſtare videtur, quod hac ratione lex civilis tollat requiſitum juris naturæ præceptivi, quod immutabile eſſe conſtat. Reſpondeo, rite ſi rem conſideramus, lex civilis non tam requiſitum juris naturalis tollit, quam novum ſuperaddit. Jus naturæ ex poſſeſſione dominium præſumere jubet. At lex civilis in caſu, quo alter dominium ſuum deducit, poſſeſſorem ſimul jubet titulum edere, quo prætenſum vel priſtinum illud dominium valeat enervare, quem ſi edere nequit, poſſeſſione cadit. Unde fit ut is, qui actione Publiciana experitur, liberetur a probando poſſeſſionis vitio, quod alias probare debuiſſet. *qua tamen mere eſt civilis.*

§. CCII.

Multum de rei vindicatione participat judicium finium regundorum, ſeu actio, quæ datur iis, quorum ex jure in re intereſt, fines non eſſe confuſos, ad fines veteres inveſtigandos & reſtituendos: item actio familiæ erciſcundæ, qua inter ſe agunt coheredes ad dividendam communem hereditatem: nec non communi dividundo, competens ſociis ad res communes dividendas. *finium regundorum*

§. CCIII.

Communio eſt, quando eadem res ad plures dominos pertinet. Plures quidem ejusdem rei domini in ſolidum eſſe nequeunt L. 5. §. ult. Dig. Commodati: poſſunt tamen plures eandem rem pro indiviſo tenere. Unde oritur condominium. Vide dicenda de Ganerbinatibus, qui ſunt condominia caſtrorum. De condominio territorii peculiarem Tractatum ſcripſit *Joannes Andreas Frommanus*, ubi p. 61. exempli loco memorat, quod in Memoriali quodam exhibito in Comitiis Ratisbonenſibus & publice dictato d. 27. Jan. 1654. civitas Lippe vocetur eine Samt-Stadt Ihro Churfürſtl. *Communio*

Durchl.

Durchl. zu Brandenburg und derer Herrn Grafen von der Lippe &c. addito: daß kein Theil ohne des andern Interessenten Vorwissen und Einwilligen eine Guarnison, Zeughäußer und dergleichen haben soll. Item Serenissimo Duci Wurtenbergico condominium esse in pago Altingen, so in gemeinschafftlicher Besitzung, und fället alle 3. Jahr der Stab von einer auf die andre Herrschafft.

§. CCIV.

Condominium

Plura exempla adducit *Struv.* in Syntagm. Juris publ. c. 26. §. 5. Territorii condominium in Ducatu Coburgensi exercent Duces Saxoniæ lineæ Gothanæ. Dynastia Münzenbergensis communis est Solmensibus & Stollbergensibus. Butzbacum Hassorum est ad quadrantem commune cum Solmensibus. Communio Trefurtensis castri & urbis inter Moguntinum, Saxoniæ Duces & Hassiæ Landgravios constituta pace singulari de 1333. Burgfried über das Hauß Trefurt apud *Lünig* Contin. 2. p. 181.

§. CCV.

unde actio commun. divid.

Ejusmodi communio & condominium ubi inter summos Principes viget, omnia communi consensu peragenda: in casu dissensus autem potior est causa prohibentis. Unde & tollitur tale condominium nonnisi unanimi condominorum consensu. Idemque in Ganerbinatibus obtinet. Inter reliquos privatos autem ad evitandas rixas, & quoniam communio discordiarum mater esse solet, nemo invitus in communione detinetur, sed ei, qui in communione perseverare non vult, indulgetur actio communi dividundo, de qua tot. tit. Dig.

§. CCVI.

quæ exulat ab usu communi

Huic tamen actioni ut locus sit, præcise requiritur, ut ipsa quædam dominii particula ad actorem spectet. Nam si solus usus communis est, ille dividi, aut pro parte exerceri nequit. Quamvis enim frui pro parte possimus, uti pro parte non possumus L. 19. Dig. de usu & habitatione. Res exemplo fiet clarior. In jure convenandi, Koppel-Jagd, communis est venationis usus. Quodsi unus reliquos provocaret ad divisionem, iisque necessitatem imponere vellet, totam acquirendi venationem, sibique pro sua rata pretium solvendi, non sane ei erit annuendum.

§. CCVII.

§. CCVII.

Vel ut aliud prodamus exemplum, fac communem pluribus ex familia aut heredibus esse sepulchri usum, unum vero vel puosdam imo maximam heredum vel familiæ partem provocare ad divisionem, postulantes ut hastæ sepulchrum supponatur, uni adjudicetur, soluto reliquis pretio. Quæritur, num invitus ad hanc divisionem possit cogi? Dubitandi ratio est, quod communio sit mater discordiarum, ac nemo compellatur, ut invitus in eadem detineatur L. fin. C. commun. divid. Sed in præsenti casu non adest commune dominium, sed usus saltem communis. Dominium sepulchri spectat ad ecclesiam, & solus usus ad familiam, qui divisionem plane non recipit, sive cuivis de familia pro se suisque heredibus velis locum assignare, cum præviderі numerus posterorum nequeat: sive uni totum usum, reliquis invitis pretium addicere velis, quod accipere reliqui haud tenentur, cum jus ad omnes pertineat, nec reliquis invitis divisione ad unum redigi queat L. 4. C. de religios. & sumt. fun. Ita disputat *Godofr. Ludov. Mencken* de jure sepulchrorum familiarium, ejusdemque non omnibus consentientibus divisione Lips. 1739. & bene satis pro ratione sepulchrorum nostrorum, quorum saltem usus privatis, ipsa proprietas est ecclesiæ. Sed pone, agi de sepulchro familiæ Principalis, cujus ipsum dominium familiæ est commune. Tunc fortius philosophandum, & ostendendum, id quod dicitur, neminem invitum in communione detineri, mere esse civile: inter Principes autem ac naturali jure communionem ea mente, ut perpetuo duret, initam non nisi unanimi omnium, quorum interest consensu dissolvi. Confer dicenda de pactis §. 724. & 104. Unde & illud intelligitur, inter Principes, quos civilis juris communio non tenet, communi dividundo judicium tunc saltem locum invenire, si casu aut ad nullum præfinitum tempus in communionem inciderint: cum exadverso inter subditos ex juris civilis præscripto etiam obtineat in communione perpetuo inita.

e. c. familia sepulchris.

)o(

TITULUS XVII.

DE
Differentia Dominii pleni ac minus pleni, Allodii & feudi.

* *
*

Plenum dominium eſt, quod utendi, alienandi & vindicandi jura complectitur. Minus plenum, quod aliqua ſui parte imminutum. Olim pleno dominio æquipollebat *allodium*, quod tamen hodie denotat rem privatam, quæ ab alio ſub lege mutuæ fidelitatis non recognoſcitur, adeoque opponitur *feudo*, ſeu rei privatæ, quæ ab alio ſub mutuæ fidelitatis lege recognoſcitur. Quare publica Regni bona nec ad allodia nec feuda commode ſatis referuntur.

§. CCVIII.

Dominium plenum vel minus plenum

Ex tradita in ſuperioribus dominii indole, qua illud complexum plurium circa res jurium, utendi nimirum, diſponendi & vindicandi eſſe, eademque vel omnia ſimul eſſe conjuncta, vel unum alterumve de iis ſeparari poſſe audivimus, ſponte fluit diviſio dominii pleni ac minus pleni. Plenum

ſcil.

ſcil dicitur, quod omnia tria hæc jura ſimul complectitur, minus plenum, quod aliqua ſui parte imminutum, & ubi aliquod ex tribus hiſce vel prorſus deficit, vel ſaltem reſtringitur. *

* Reſtringi autem poteſt dominium vel ratione poteſtatis e. c. ne ſine ſuperioris aut agnatorum conſenſu alienetur, vel ratione temporis, quo ſpectat dominium revocabile, quale eſt dominium dotis marito competens (quod tamen commode ad uſumfructum revocatur) it. in Germania dominium beneficiorum Eccleſiaſticorum, utpote quod ceſſat & revocatur in caſu mutatæ religionis.

§. CCIX.

At cum ea ſit ſummi Imperii natura, ut ſubditis modum rebus ſuis utendi, de iisque diſponendi, imo & eas vindicandi ponere queat, ſtatim apparet, hoc ſenſu de nullis ſubditorum bonis poſſe aſſeri, quod in pleno ipſorum dominio ſint. Econtra ad eum plene res ſpectabit, qui & publicum & privatum ejusdem dominium ſimul habet. Sic bona domanialia in pleno populi dominio eſſe recte dicuntur, cum exadverſo privata Principis bona, ratione quorum ſubditus eſt, in pleno ipſius dominio eſſe dici nequeant, quia ſi forma Reipublicæ forte mixta exiſtit, publicum dominium non penes ſolum Principem, ſed & ſimul ac pro parte penes eos, quibuscum Majeſtas eſt communicata, exiſtere poteſt. *in ſenſu etymologico*

§. CCX.

Objici quidem poſſet vulgatum illud, quo Princeps imo & uxor ipſius in cauſis ſuis privatis jure fiſci gaudere dicitur, unde inferri poſſet, ſicut fiſcus in pleno populi, ita privata Principis bona in pleno Principis dominio exiſtere. Sed reſpondeo, id quod dicitur in L. 6. §. 1. Dig. de jure fiſci: quodcunque *privilegii* fiſco competit, idem & Cæſaris rationem & Auguſtæ habere ſolere, id inquam ex ſola lege civili eſſe, & proinde reſtringendum NB. ad privilegia, h. e. exemtiones a lege civili, & prærogativas civiles, quæ fiſco ſunt indultæ e. c. in materia præſcriptionis, reſtitutionis in integrum, donationis rei alienæ ſtatim validæ &c. neutiquam autem exten-

tendendum ad prærogativas, quæ fiscus suapte natura præ privatis habet. Sic licet fiscus pariter ac ipsa Respublica censeatur immortalis, absurde tamen inde Augustæ immortalitatis privilegium vindicaretur. Hinc quod Augustæ legatum, si ante testatorem inter homines esse desierit, deficere diserte statuitur L. 57. de legat. 2. Eadem prorsus ratione id, quod diximus, publicum patrimonium in pleno populi dominio esse, privata autem Principis bona in dominio minus pleno, id inquam ex ipsa horum bonorum indole, nec ex speciali legis privilegio fluit, quare nec hoc in passu fisci jura Principibus applicanda.

§. CCXI.

communi Atque hæc est facies dominii pleni proprie & in sensu etymologico sumti. Si vero dominium plenum in sensu communiter recepto pro solo pleno dominio *privato* * accipiamus, idem etiam de quorumvis privatorum bonis prædicari poterit. Neque fundamento hæc loquendi ratio prorsus destituitur, quia nimirum ipsum dominium harum rerum ad privatos totum, nec ulla ejus particula proprie ad Rempublicam spectat, utpote quæ saltem imperium in eas habet, non ipsum dominium, adeo ut impropria sit locutio, quæ illud Reipubl. imperium dominii eminentis voce effert.

* Sed quale tunc erit dominium bonorum publicorum? forte plus quam plenum. Hoc enim plane limitari, restringi nequit. At privatorum potest a summa potestate. Sed quid impedit, quo minus & per pacta dominium bonorum publicorum restringatur. Mallem ergo dicere, hactenus & quoad plenitudinem utrumque dominium haud differre, sed eatenus dominium publicorum bonorum habere rationem dominii privati.

§. CCXII.

infrequentiore Alia adhuc magis tamen inusitata significatione dominium plenum sumitur pro eo, quod dominum directum non agnoscit, quo sensu ususfructus alii constitutus pleno dominio non officere dicitur. In quantum de sola vocis significatione agitur, facillimi esse possemus, dummodo evitaretur con-

confuſio, quæ tamen, ſi qua in juris parte, certe hoc loco cernitur maxima.

§. CCXIII.

Sic Germanorum vetuſta ac hodienum uſitata vox *Allode* vi etymi idem ſonat, quod dominium plenum. *Oede* enim antiquitus poſſeſſionem, *all* vero omne ſeu totum denotabat, ut proinde allode idem ſit, quod omnis poſſeſſio ſeu plenum dominium. Ubi tamen ſtatim patet, non omnimodum plenum dominium, quale §. 208. deſcripſimus, eſſe intelligendum. Alias enim ſequeretur, quod nemo niſi ſummus imperans, vel ſaltem nemini ſubditus, ſubditus autem plane non allodium poſſidere poſſet. Quare allodii definitio, quæ illud plenum dominium eſſe ait, tunc ſaltem ferenda videtur, ſi plenum dominium *privatum*, res ſingulorum propriæ per illud intelligerentur. Atque hoc ſenſu ſtylo medii ævi res allodiales rebus fiſcalibus opponi animadvertimus. Conf. *Strauchius* de Oppignorat. Rer. Imp. c. 8. *Dominio pleno reſpondet allodium*

§. CCXIV.

At ex vocum confuſione factum eſt, ut qui allodium poſſideret in pleno ſuo dominio illud ita exiſtere exiſtimarit, ut nullius in idem poteſtatem aut imperium revereri teneatur. Pertinet huc, quod *Andreas Cruſius* Annal. Suevic. part. 2. L. 11. c. 18. p. 504. de Barone quodam de Kreckingen refert, eum, cum Imperator Fridericus I. oppidum ſuum Tungen perambularet, allodiali poſſeſſionum ſuarum qualitate adeo fuiſſe confiſum, ut immobiliter in ſede collocatus, ſtudioſe aſſurgere noluerit, ſed ſaltem dum Imperator apparebat, pileum movendo curialitatem quandam oſtenderit. Neque ſolus hic Baro, ſed & alii erroneum hunc de allodiis fovebant conceptum. Unde cum Imperator perquireret, quisnam eſſet talis, qui prope viam ſituatus ſuæ Majeſtati venerationem debitam non exhiberet, reſponderunt, eundem Baronem tam in bonis, rebus, poſſeſſionibus, quam corpore tam verum liberum eſſe, ut nec ab Imperatore nec alio quocunque Principe uſum ſeu beneficium rei feudalis (quaſi hæc ſola ſubjectionem induceret?) perciperet aut poſſideret. Imo ipſe Imperator, ideo dicto Baroni jus monetam cudendi tunc in feudum concedens, haud obſcure indigitabat, ſe pariter in ea eſſe opinione, ac ſi citra nexum feudalem ſubjectio nulla daretur. Hodie allodialium bonorum poſſeſſores ſimul eſſe ſubditos, *quod nunc dominium plane liberum*

 imo

imo homagium præstare, nec solam reverentiam ac venerationem sed & fidem ac obedientiam debere, nemo dubitat. Quare allodia in pleno esse dominio, tunc demum dici poterunt, si sermo est de dominio *privato*.

§. CCXV.

nunc res immobiles proprias

Sed & tunc etymologicæ quidem allodii significationi erit satisfactum, cum autem in rerum significationibus usus quotidianus potissimum attendendus sit, quid ille hoc in passu ferat, potius respiciendum. Fatendum, eundem inconstantem valde esse, & aliud antiquis, aliud hodiernis temporibus per allodium intelligi, imo nec hodie eodem semper sensu illud usurpari. De origine & antiqua allodii significatione vid *Stryck.* de jure allodiali Princ Imp. cap. 1. & *Horn.* Jurisprud. feud. c. 2. §. 4. Verosimillimum videtur, antiquis Seculi VI. & VII. temporibus allodium solas res immobiles & quidem proprias denotasse, Germanice Eigen, sive hereditate acceptæ, sive industria fuerint partæ *, & fuisse oppositum bonis fiscalibus, quæ postea beneficia, & tandem feuda sunt dicta, quæque in publico quidem dominio erant, militibus tamen bene merentibus ad dies vitæ in usumfructum concedebantur, unde Germanis Lehn audiunt, voce in sensu excellentiori sumta, alias enim Lehen quamvis concessionem denotat, adeo ut etiam allodialia hodienum concedi videamus sub formula in Lehn und Würden reichen.

* Unde eigen subdividitur in Eigen simpliciter tale & Erbeigen. In Vocabulario Juris Provincialis Saxonici hæc ita distinguuntur: Eigen heißt liegende Gründe oder unbeweglich Guth, das ein Mann um sein eigen Geld gekaufft hat. Erbeigen heißt solch liegend oder unbeweglich Guth das von unsers Vaters Groß-Vatern herkomt, das auch sonst Stammguth genennt ist. Et glossa ad Weichbild art. 21. Erbeigen mag man ohne der Erben Laub nicht vergeben: Wohlgewonnen Eigen mag man aber wohl vergeben.

§. CCXVI.

Sequioribus Seculi VIII. ſqq. temporibus diſtincta ſibique oppoſita reperiantur comparata erworben, allodia Erbe, & feuda Lehn, ut proinde tunc allodia ſolas terras hereditate acceptas ſignificare videantur. Unde nonnulli allodium derivare malunt ab alt & œde ſeu Adel & œde, quaſi poſſeſſiones nobilium avitas diceres, quæ & Germanice Erbe vocantur, quo ſenſu nihil abſurdi alit notio feudi allodialis i. e. aviti eines Stamm-Lehns, quæ tamen omnino in ſenſu recentiori contradictionem quandam ſapit. Et Latine quoque proprietas, patrimonium, hereditas, allodium pro ſynonimis ponebantur. *nunc terras hereditate acceptas*

§. CCXVII.

Hodie vero, & ex quo jus feudale Longobardicum innotuit, Allodium das Erbe ſimpliciter opponitur feudo dem Lehn, adeoque res proprias mobiles æque ac immobiles, hereditarias ac comparatas deſignat, ita tamen ut quandoque mixtura feudi & allodii deprehendatur, qualis e. c. cernitur im Erblehn, quod prima fronte contradictionem in adjecto involvere videtur. Ita autem vocatur res, cujus intuitu ob qualitatem feudalem fidelitas præſtatur, in qua tamen ſucceſſio allodialis obſervatur. Sic & Erb-Allodial-Lehn vocantur, de quibus libera diſpoſitio competit, ita tamen ut fidelitas præſtetur & inveſtitura petatur. Accurate ergo loquendo hodie allodium per plenum dominium definiri amplius nequit, ſed rectius dicitur eſſe res privata, quæ ab alio ſub lege mutuæ fidelitatis non recognoſcitur, ſicut exadverſo feudum eſt res privata, quæ ab alio ſub lege mutuæ fidelitatis recognoſcitur. *hodie rem privatam notat quæ ſub fidelitatis lege non recognoſcitur.*

§. CCXVIII.

Notanter dico *privata* quia per dicta §. 213. diviſio rerum in allodiales & feudales nec prima ſua origine ad publicum patrimonium pertinet, nec uſu hactenus ad idem extenſum, quo ipſo rejicienda eorum definitio, qui allodium dicunt eſſe quodcunque non eſt feudum, in qua præterea *ἀκρίβεια* Philoſophica deſideratur, cum mere negativa ſit, nec genere & differentia ſpecifica conſtet. Porro dico, allodium *ab alio non debere recognoſci.* Nimium *quæ definitio*

nium autem requirunt, qui allodium dicunt, quod plene ad nos ſpectat. Nam etiamſi uſusfructus ad alium ſpectet, aut alienandi poteſtas per pacta vel alias limitata, non tamen ideo qualitas allodialis tollitur. Sic allodiorum alienatio reſtricta legitur Land-R. Lib. 1. art. 52. Neque ideo res, quod alienari prohibita, protinus fit feudalis. Denique requiro, ut præciſe *ſub mutuæ fidelitatis lege allodium non recognoſcatur*, adeoque recedo ab iis, qui ſimpliciter allodium definiunt per rem nobis propriam, quam ab alio haud recognoſcimus.

§. CCXIX.

explicatur

Olim forte hæc definitio in Germania ferri potuiſſet, ubi ſcilicet dominium, quod ab alio recognoſceretur, præter feudum nullum innotuerat. Poſtquam autem ex jure Romano Superficiei & Emphyteuſeos jura ad nos tranſierunt, quas ab alio quidem recognoſci, a feudi tamen natura recedere, nec fidelitatem, quæ ad feudi formam requiritur, involvere conſtat, ſponte patet, pro ſynonimis amplius accipi non poſſe dominium quod a nemine recognoſcitur, & allodium. Sed juxta leges methodi doctrinalis ſic potius rationes eſſent ſubducendæ, ut dicamus dominium eſſe vel plenum ſeu allodium, vel minus plenum, hoc iterum vel feudum vel emphyteuſin vel ſuperficiem, adeo ut emphyteuſis & ſuperficies prorſus extra allodii ſphæram conſtituantur æque ac feudum. At cum a communi loquendi uſu in Verborum ſignificationibus recedendum non ſit, hic autem hodienum omnes privatorum res in allodiales & feudales diſpeſcat, ad feudales autem emphyteuſin & ſuperficiem referre nequeat, adeoque easdem allodialibus annumeret. Vid. *Stryck.* de jure allodiali p. 12. neceſſario ſequitur, mutandum eſſe priſtinum de allodio conceptum, idque non amplius eſſe definiendum per rem, quæ plene ad nos ſpectat, ſed quæ ab alio ſub mutuæ fidelitatis lege non recognoſcitur.

§. CCXX.

confirmatur.

Objiciet aliquis, neque ab allodio exulare fidelitatem. Poteſt enim quis ratione allodii eſſe ſubditus. Subjectio autem fidelitatem ſub ſe continet, ut proinde fidelitas differentiam ſpecificam inter allodium & feudum conſtituere nequeat. Sed reſponderi forte poſſet, ſubditum quidem

Prin-

Principi etiam allodii intuitu ad fidelitatem esse obligatum, sed non vice versa Principem subdito, adeo ut fidelitas, quæ in allodio cernitur, mutua non sit, qualis subest in feudo. Hoc ubi displicet, dixerim, fidelitatem saltem ad allodii naturalia non formalia (ut cum Metaphysicis loquar) pertinere, quam tamen de ipsa feudi forma esse constat, adeo ut ob fidelitatis defectum seu feloniam ipse nexus feudalis tollatur, * cum exadverso subditus ob infidelitatem admissam non protinus subditus esse desinat.

* Sic quia Guilielmus Dux Clivensis Walpurgim Comitissam Mœursensem Vasallam suam stricto ense invaserat, & mortem, ni impeditus esset, intentaverat, declaratum est a Facultate Juridica Lugdunensi, eum directo dominio prædicti Comitatus Mœursensis excidisse, idemque ad Vasallam jure esse reversum. Unde & Comitissa Comitatum postea Mauritio Arausionensi Principi donavit. *Grotius* Lib. X. hist. Belg.

§. CCXXI.

Ubi nunc ea, quæ in genere circa allodii indolem monuimus, in specie ad Principes applicamus, in limine statim ab idea & notione allodii removendum & separandum est publicum Reipublicæ patrimonium, quod nonnullis incongrue & citra communem ac receptum hujus vocis usum Regni allodium vocatur. Est enim allodii notio subordinata bonis privatis, & cum publicis, quatenus publica sunt, nihil prorsus habet commune, utpote quæ proprie loquendo nec feudi nec allodii, sed supremi dominii nomine (en souverain) tenentur. * Sic Borussia Electori Brandeburgico per pacta Velaviensia jure supremi dominii cessa, nec feudi nec allodii nomine tenetur. Pariter ea, quæ Gallo ab Imperio per Instr. Pac. Gall. §. 70. cessa sunt eo modo, quo hactenus ad Romanum spectarant Imperium, h. e. supremi dominii translata diserte leguntur, ut proinde erret *Stryckius* de jur. allod. c. 3. n. 70. dum illas terras licet antea fuerint feuda Imperii, nunc a Gallo *allodii* jure possideri asserit. Non enim sequitur, feudum non est, Ergo allodium. Nam datur tertium, dominium scil. supremum, ceu recte notat *Struvius* de Allodiis Imp. §. 4. in fin. Dispar est ratio terrarum Sueciæ per

Bona publica regni allodium perperam vocantur.

per Inſtr. Pac. ab Imperio ceſſarum. Hæ enim expreſſe ſub feudi lege ſunt ceſſæ art. 10.

* Cum hoc tamen dominio ſupremo confundendum non eſt dominium directum, quod domino competit in bonis Vaſalli. Hoc enim ſupremum ſemper non eſt, ſed tunc demum, ſi a non-ſubdito tenetur. Quodſi autem ad ſubditum ſpectat, tunc vel allodiis annumeratur, ſi ſcil. ab alio ſub mutuæ fidelitatis lege non recognoſcitur, vel feudis, ſi ita recognoſcitur, & Vaſallo dominium utile ſaltem in ſubfeudum eſt conceſſum. Vellicant haud pauci diſtinctionem dominii in directum & utile, quaſi illa rationi adverſa, & legibus ignota, a gloſſatore demum inventa, atque a *Bartolo*, *Baldo*, *Alciato* aliisque incaute adhibita. Impoſſibile rentur, ejusdem rei duos eſſe dominos. Sed reſpondetur, duos in ſolidum ejusdem rei dominos eſſe non poſſe, bene tamen pro indiviſo, multoque magis diviſim, ita ut ipſæ dominii particulæ inter plures dividantur. Quod cum diſſentientes negare nequeant, omnis controverſia in Logomachiam abire videtur.

§. CCXXII.

qualia ſunt bona domanialia & fiſcalia

Dirimi hinc quoque poterit quæſtio, ad quodnam bonorum genus referenda ſint bona domanialia & fiſcalia. *Stryckius* de Jure allod. c. 2. n. 30. domanialia vocat Regni allodium. Accurate autem loquendo eadem nec ad feuda nec ad allodia, ſed ad ſupremum populi dominium pertinent. Fiſcalia Stryckius l. c. n. 31. Principem non populi jure poſſidere exiſtimat, ſed hæc bona ipſius Principis qua talis eſſe, ita tamen, ut eadem alienare nequeat. Fateor, me non capere rationem, quare bona fiſcalia populi jure a Principe poſſideri, adeoque itidem ad ſupremum dominium ſpectare dici nequeant. Facilius admitterem, quod num. ſq. 34. reditus fiſcales Principis allodio adſcribit. Hi enim ad privatum Principis patrimonium pertinent, utut certo modo, & quatenus populus nihil juris in illos reditus ſibi vindicare poteſt, iidem ſupremo Principis dominio ſubeſſe dici poſſint.

§. CCXXIII.

§. CCXXIII.

Capite 4. num. 46. ſqq. Stryckius quæſtionem proponit, an tormenta bellica, omneque id quod ad Armandiam ſpectat, Artillerie, Zeugheuſer, Stücke, Mörſer, Kugeln, Gewehr, item naves uſui bellico inſervientes, vulgo Oorlogh Schiffe, denique copiæ militares patrimonio allodiali, an feudali annumerari debeant? Nobis ex principiis modo poſitis neutrum placet, ſed has res omnes ſupremi dominii eſſe contendimus, quia tanquam meræ ſummi imperii pertinentiæ & acceſſiones conſiderandæ ſunt. Unde ſi de ſucceſſione in ejusmodi bona lis oritur, illa nec ad allodialem nec feudalem heredem, ſed ſucceſſorem in ſupremo imperio ſpectabit. Econtra tormenta non defenſionis, ſed voluptatis cauſa a Principe comparata, ſicut in privato Principis dominio exiſtunt, ita allodialia eſſe facile largior, quemadmodum & navigia commercii vel voluptatis cauſa comparata, niſi probari poſſit, eadem ab anteceſſore relicta, ſupremoque dominio incorporata, aut plane publico Reipublicæ nomine per talia navigia commercia fuiſſe exercita. Quod vero Stryck. l. c. equos quibus artigleria trahitur, die Artillerie Pferde indiſtincte allodiales eſſe *Pruckmanni* autoritate perhibet, admittendum non eſt, ſed illi potius ſupremo dominio accenſendi. Neque ratio, quam addit, quod ſcil. illi equi non primario, ſed per conſequentiam ſaltem fortalitii tuitionem adjuvant, ſtringit. Nam ratio, quare res aliqua ad ſupremum dominium referenda, non ea eſt, quia ad defenſionem conducit, ſed quia a populo ipſiusve nomine atque ex populi bonis eſt acquiſita. Conſtat autem, equos artigleriæ deſtinatos publicis ſumtibus comparari, ali. Atque ex eodem fundamento id, quod diximus, copias militares regulariter in ſupremo eſſe dominio, exceptionem patitur in caſu ubi milites privati Principis commercii cauſa aluntur, aliisque pro certo pretio vel ad tempus vel in totum conceduntur. Non enim infrequens eſt, ut legiones integræ aliis vendantur, vel alias de iis diſponatur, prout Carolum Electorem Palatinum militiæ partem teſtamento legaſſe, & ſucceſſorem ipſius Philippum Wilhelmum in hac ipſius voluntate acquieviſſe teſtatur *Stryck.* l. c. n. 100.

tormenta bellica

§. CCXXIV.

diverso respectu bona & publica & allodialia esse possunt.

Ceterum ea, quæ hactenus de bonis publicis ad ſupremum dominium potius, quam ad allodium referendis tradidimus, intelligendu ſunt, quatenus illa bona ſunt publica. Cum enim diverſo reſpectu eadem res & publica & privata ſimul eſſe poſſit, nihil quoque obſtat, quo minus res, quæ alias publica, adeoque ſupremi dominii eſt, eatenus, quatenus eſt privata, vel feudalis vel allodialis ſit. Sic Regna feudalia a Rege reſpectu ſubditorum non jure feudi ſed ſupremi dominii, at reſpectu concedentis non jure ſupremi dominii, ſed feudi tenentur. Econtra Rex Regni non feudalis reſpectu eorum, qui ſubditi non ſunt, pro privato, in ſtatu tamen naturali vivente habetur, adeoque & regnum in privato dominio ſpeciatimque *allodii* jure teneri nonnullis dicitur, accuratius autem jure ſupremi dominii vel imperii. Citius ferri poteſt locutio patrimonial-it. Erb-Reich, quam allodial-Reich.

§. CCXXV.

Res allodialis potius quam feudalis præsumitur.

In dubio pro libertate adeoque ſupremo dominio, ubi autem de ſubjectione conſtat, potius pro allodiali qualitate, quam pro feudali, quæ magis eſt facti, præſumitur. Objici quidem poſſet, quod Majeſtas non facile concedi præſumatur, adeoque reſtricte, limitate & potius cum feudali quam allodiali qualitate conceſſa præſumi debeat. Reſpondeo, exinde quod Majeſtas aliaque jura eminentia non facile ceduntur, id ſaltem ſequi, earum ceſſionem temere non eſſe præſumendam. Ubi vero de ceſſione conſtat, plena illa potius præſumenda, quam reſtricta & limitata. Hæc enim reſtrictio & limitatio eſt facti, nec præſumitur.

TITU-

TITULUS XVIII.

DE

Allodiis & feudis Principum Imperii Germ.

* *
*

Falluntur, tum qui omnes Principum Imperii ditiones allodiales venditant, tum etiam, qui in dubio pro feudali earum qualitate præsumunt. Bona fecularifata in dubio eandem, quam ante habuerunt, qualitatem retinere videntur. Sicut & fuperioritas territorialis regulariter ejusdem effe cenfetur qualitatis, cujus eft territorium, cui cohæret.

§. CCXXVI.

Specialius nunc ad Imperii noftri Principes eorumque bona eft defcendendum. Diverfum hæc recipiunt refpectum. Nam refpectu fubditorum in publico effe poffunt, at refpectu Imperatoris & Imperii nec non aliorum Principum in privato Principis patrimonio. Sed quæritur, utrum feudali an allodiali? Non defunt, qui omnes Principum Imperii ditiones allodiales effe exiftimant. *Stuckius* Confil. 26. Electoratus, Ducatus, & Comitatus in Germania quoad folam fuperioritatem & Regalia feudales, ipfum vero eorum dominium allodiale judicat, quam tamen fententiam falfitatis convincit ipfe inveftiturarum tenor.

Principum Imp. ditiones allodiales vult Stuckius.

§. CCXXVII.

Textor & Oldenburg.

Textor de Ratione Stat. Germ. cap. 2. p. 27. 28. & post eum *Oldenburgerus* ad Instrum. Pacis part. 2. disc. 5. p. 39. statuit, feuda Imperii hodie in multis esse redacta in conditionem rerum allodialium, si scil. respiciamus usum & praxin nostræ ætatis. Hanc asserti sui addit rationem. In jure, inquit, feudali cautum novimus, ut Vasallus juvet dominum feudi contra ipsius hostes; quodsi deneget auxilia, jam commissa est causa privationis. Idem præcipue olim obtinuit in feudis Regni Germanici ubi obstricti erant Proceres Imperii sequi castra Imperatoris contra hostes. Si secus faciebant, periclitabantur de feudis. Id quod in sequentibus exemplo Henrici Leonis Saxonis & Ottocari Bohemi confirmat. Hodie vero, pergit, agitur punctus assistentiæ valde leniter, & persuasorio more forte propter communia pericula, unde non est infrequens audiri in Comitiis vota plane & expresse denegantia auxilium, nemine tanquam in rem vetitam contranitente.

§. CCXXVIII.

At infirmum valde est hoc Oldenburgeri argumentum, qui formam Regni Germanici hoc in passu non satis pensitasse videtur. Constat enim, diversum esse statuum Imperii respectum. In Comitiis congregati, ubi de auxiliis præstandis agitur, non ut subditi, non ut Vasalli, sed ut coimperantes & de Majestate participes considerantur. Quare ibidem libere sententiam dicunt. At si spectantur ut singuli, tunc demum considerantur ut Imperatoris & Imperii Vasalli, & tunc qui causam Imperii deserit, juxta juris feudalis rigorem judicari, feudoque privari, recentissimis pariter ac superiorum seculorum exemplis discitur.

§. CCXXIX.

Meibom.

Meibomii errorem, qui in Opusc. Histor. p. 332. feuda Principum Imperii expressa Henrici VI. Imperatoris sanctione in allodia transmutata esse opinatur, castigavit Huldericus *Eybenius* Disquis. de Tit. Nobil. p. 141. Agitata quidem Henrici VI. temporibus fuerunt consilia de transmutando modo ad Imperium Germanicum perveniendi hactenus electivo in hereditarium,

tarium, & convertendis in redhostimentum feudis Principum in allodia. At exitu hæc omnia caruerunt.

§. CCXXX.

Novissime *Leyserus* in dissertatione sub præsidio *Bastinelleri* Vitebergæ habita de Præjudicio Principum Imperii ex abusu juris feudalis Longobardici p. 29. §. 24. inter feuda & allodia quoad Imperii Principatus plane non distinguendum censet, idem utrinque juris esse, unum utrinque forum, eandem successionem, communia onera, paria jura, eundem nexum. Gratis tamen hæc omnia asseri, ac meris principii petitionibus scatere, quis quæso non videt. Falsum enim est, unum idemque allodiorum & feudorum Imperii esse forum. Causæ feudorum Regalium ad solum judicium Aulicum pertinent, cum ex adverso in allodialibus Camera concurrentem cum illo jurisdictionem exerceat. Vid. Reichs-Hoff-Raths-Ordnung Tit. 2. Cammer-Gerichts-Ordn. part. 2. Tit. 7. Add. *Horn.* Jurisprud. feud. c. 25. §. 5. *Rhet.* Inst. Jur. publ. L. 4. T. 4. §. 11. Falsum porro est, quod eadem bonorum allodialium quæ feudalium in Imperio sit successio. In vulgus enim notum est, fœminas quoad allodia in subsidium maribus deficientibus succedere, in feudis non æque. Denique nexus diversus & jura diversa inter feuda & allodia obtinent. Feudorum investitura petitur & impetratur ab Imperatore, allodiorum non æque. Feudum ob feloniam amittitur, allodium nonnisi ob perduellionis crimen, quod priscis temporibus in Henrico Leone apparuit, qui feudis quidem ob feloniam exutus, allodio relicto. Cumque mutatio nulla hac in re ostendi possit, quare idem hodienum casu obveniente obtinere non debeat, solida nulla apparet ratio. Sed & ubi perduellionis crimen admissum, atque ob idem bona confiscantur, diversa feudi & allodii habetur ratio. Illud enim ad dominum directum, hoc ad territoriis dominum transire ostendimus Tit. 15. §. 192. Clariora hæc omnia sunt, quam quibus diutius immorari, operæ pretium videtur. Certum itaque est expeditumque, dari Imperii feuda. *

Leyser.

Quædam sunt feudales.

* Oblata eadem esse contendit *Monzambanus*, quem refutare conatus est *Hertius* in diss. de feudis oblatis Giessæ 1680. & in Opusc. Tom. 2. ubi omnia Imperii feuda, Luneburgico excepto,

pto, data non oblata asserit. *Bastinellerus* in diss. cit. recepto jure feudali Longobardico, frustra quæri putat, an feuda sint oblata an data? At non adeo liquidam esse receptionem juris feudalis Longobardici quoad Imperii feuda, alibi ostendimus. Imo etiamsi hæc receptio doceatur, non tamen dubitandum, quin durior longe esse debeat conditio Vasallorum, quibus ex mera gratia feudum concessum, quam eorum, qui bona sua obtulerunt. Conf. de Hered. T. 13. §. 311.

§. CCXXXI.

Quædam allodiales. Neque minus certum est, dari vicissim & allodia Imperii. Catalogum eorum exhibent *Stryck.* & *Struv.* de Allod. Imp. ex quo discere licet, hodie Comitatum Zolleranum, Oettingensem, Laubacensem, Solmensem, Sarwerdensem, Manderscheid, Dynastiam Homburgensem, urbem Hanoviensem, Civitates Imperii immediatas (de quibus tamen repeti velim monita Tit. 17. §. 222. item bona nonnulla immediata Nobilium Imperii esse allodialia. Bipontium quoque castrum & oppidum allodiale esse ex monumentis, quæ juncta reperiuntur Gravaminibus Bipontinis, congressui Francofurtano 1682. ab Ablegato Sveciæ exhibitis, monet *Horn.* Jurisprud. feud. c. 2. §. 4. Animadvertere licet, omnes allodiales Imperii ditiones minores esse, & majores fere omnes feudalem qualitatem induisse.

§. CCXXXII.

In dubio non feudalis. Sed quid si dubium oriatur, sitne terra in Imperio nostro feudalis an allodialis? Sunt qui tunc pro qualitate feudali esse præsumendum existimant, quorum in numero sunt Marpurgenses Tom. I. Vol 3. Consf. 33. Triplex potissimum pro hac sententia urgeri posset argumentum. *Primo* Publica territoria in dubio sunt inalienabilia. Ideo enim in Rempublicam coaluere cives, ut melius sic conservarentur, quod per alienationem regulariter non obtinetur. Quod autem inalienabile, in pleno dominio non est. Ergo nec allodiale, sed feudale. Id quod in principio dicitur publica territoria esse inalienabilia, regulariter verum est, licet in Germania exceptionem patiatur. Ibi enim citra subditorum consensum territoria qui-

dem

dem allodialia libere, ſeudalia autem cum Imperatoris & Agnatorum conſenſu alienantur. Maxima autem fallacia latet in æquivoca allodii notione, utpote quæ hodie non amplius id, quod in pleno dominio eſt, ſed rem privatam, quæ ſub mutuæ fidelitatis lege non recognoſcitur denotat, cui reſtricta vel prohibita plane alienatio nihil obeſt. Denique omne argumentum NB. ad ſola *publica* territoria ſpectat, quibus tamen nec allodialis nec feudalis qualitas quadrat. Hæc enim ad ſolas res privatas pertinet. Quatenus itaque Principum Germaniæ territoria conſiderantur in reſpectu ad ſubditos, h. e. quatenus publica ſunt, eatenus nec feudalia, nec allodialia, ſed in ſupremo potius dominio ſunt. Quatenus autem conſiderantur in reſpectu ad Imperatorem vel alios, Principi non ſubditos, eatenus bonis privatis ſunt accenſenda.

§. CCXXXIII.

Sed & tunc in hac quoque conſideratione, ſi territoria ſcil. tanquam privata conſiderantur, potius eadem feudalia eſſe præſumenda *altero* argumento evinci poſſe videtur. Præſumtio a majori parte capitur, ac qualis major pars eſſe animadvertitur, talis & reliqua eſſe præſumitur. At major territoriorum in Germania pars feudalis eſt. Ergo & reliqua talis præſumenda. Sed limitanda eſt major. Qualis major pars *ex ſe & ſua natura* (non autem facto ſingulari ſuperveniente) eſſe animadvertitur, talis & præſumitur reliqua. Atqui Germaniæ territoria non ex ſe & ſua natura, ſed accedente pacto feudali, facta ſunt feudalia. Hoc pactum autem, cum facti ſit, nec præſumitur regulariter, nec univerſale eſt, ſed quoad ſingula territoria ſeorſim ſuſceptum. Quare & quoad ſingula ſeorſim probandum, nec præſumendum.

§. CCXXXIV.

Tertium quod pro qualitatis feudalis territoriorum Germaniæ præſumtione afferri poſſet argumentum hoc eſt: Talis res omnis præſumitur, qualis olim fuit, nec præſumitur mutatio. Atqui olim Germaniæ territoria a Principibus poſſeſſa fuere feudalia. Ergo hodienum talia præſumuntur. Hic minor propoſitio in priſca Imperii praxi fundatur, quæ tamen non modo varia & inconſtans deprehenditur, ſed & allodiali territo-

riorum qualitati potius favet, sive antiquissima sive recentiora tempora spectes. Antiquissimis enim temporibus in Germania omnia bona fuisse allodialia, usque dum Franci, primi feudorum inventores, devictarum gentium bona vel antiquis possessoribus, vel etiam militibus emeritis sub feudi lege concessere, extra controversiam est positum. Et licet Seculo IX. Vasallis ad vitæ dies, Seculis autem sequentibus etiam ad heredes transeuntia feuda fuerint ab Imperatoribus concessa, non tamen defuisse Pincipibus allodialia quoque bona vel Henrici Leonis, cui, feudis ob feloniam ablatis, allodium relictum, historia docet. *Philippo Theodoro Verpoortenio*, qui Oratione peculiari Ducatus Veteris Germaniæ hereditarios pronuntiat, per omnia non assentior, certum tamen est, sequioribus temporibus integros Ducatus allodiales in Germania extitisse. Imo circa bona Nobilium Imperii eo usque progreditur *Reinhard a Gemmingen* in Deduct. ap. *Besoldum* Thesaur. Pract. lit. K. n. 37. ut scribat: Es ist erweißlich, und gehe man von einem Stamm-Hause zum andern, so wird man finden, daß noch vor 200. oder 150. Jahren alle Stamm-Häuser allodial gewesen. Assentitur *Stryckius* de jure allod. c. 3. n. 107. sq.

§. CCXXXV.

Sed allodialis terrarum Imp. qualitas præsumenda.

Quæ cum ita sint, nihilque ex omnibus his argumentis pro feudalis qualitatis præsumtione in Imperii territoriis elici possit, non est, ut a communi opinione recedamus, quæ in dubio Principum Imperii quoque terras allodiales potius præsumit ob generalem rationem §. ult. Tit. præc. allatam. Consentiunt *Klockius*, *Merckelbach*, *Reinkingius*, *Sixtinus*, *Mylerus*, *Itterus*, nec non *Coccejus*, qui occasione Comitatus Mœurs speciatim de allodialitatis præsumtione in Imperii Comitatibus scripsit. Quandoque hæc allodialitatis præsumtio aliis adhuc indiciis juvatur, e. c. si terræ per matrimonia alicui familiæ obvenere, tunc enim pro allodiali qualitate præsumitur, donec probetur, a domino directo consensum fuisse interpositum, ut territorium cum qualitate feudali ad fœminam transeat, qualia exempla vide apud *Struvium* l. c. §. 44.

§. CCXXXVI.

Eadem qualitatis allodialis præſumtio obtinet, imo magis adhuc ſe exerit circa terras incorporatas & pertinentias Principatuum Imperii feudalium. Nam de ipſis terris principalioribus vix dubium oriri poteſt, ſintne feudales an allodiales, cum vel omiſſio vel petitio inveſtituræ, & tenor literarum ſuper inveſtitura exaratarum earundem qualitatem ſatis indicent. At ſuper terris minoribus, & pertinentiis una cum Principatu poſſeſſis controverſia ſæpe oriri ſolet, præſertim ſi deficiente herede feudali ad alium feuda, ad alium allodia tranſeant, tunc enim quæritur, an terræ illæ minores pro majorum acceſſoriis ejusdemque qualitatis ſint habendæ? *Roſenthalius* ex eoque *Struvius* §. 51. in dubio pro allodiali qualitate præſumendum cenſent tam diu, donec ab herede feudali probetur, has quoque pertinentias in feudum conceſſas, aut ſub feudali qualitate fuiſſe incorporatas. Mihi lis redire videtur ad præjudicialem quæſtionem, ſitne res talis vel terra minor majoris pertinentia, nec ne? Hoc conceſſo, acceſſorium ſequi principale, vix negabitur. Incorporatio enim licet onera rei principalis in rem incorporatam regulariter non transferat, hunc tamen habet effectum, ut ſucceſſionis jura utrinque exæquentur. Finis quippe incorporationis eſt, ut familiæ ſplendor melius conſervetur, Principiſque patrimonium augeatur. In dubio autem incorporatio non præſumitur, ſed res diverſæ diverſo jure poſſideri cenſentur. Conf. §. 147.

Etiam terrarum incorporatarum & pertinentiarum.

§. CCXXXVII.

Super bonis Seculo addictis, ſeu ſeculariſatis, in Imperio Germanico aliquoties diſceptatum eſt, quo jure num allodiali an feudali ſint cenſenda? Tubingenſes peculiari Reſponſo in cauſa Waldeck contra Oſt-Friesland apud *Harprecht*. Conſ. 12. nec non in alio Principi Oettingenſi dato, bona ſeculariſata nec ad feudalia nec allodialia, ſed ad tertium genus bonorum referunt, quæ non ſubjacent liberæ eorum, ad quos pervenere, diſpoſitioni, uno verbo ad publicum territorii patrimonium, quia nimirum ſeculariſatio jure territorii & vi ſummæ poteſtatis peragitur. Hanc Tubingenſium ſententiam deſtruere nititur *Thomaſius* in peculiari diſſertatione de natura bonorum ſeculariſatorum, ubi contendit, bona ſeculariſata & feu-

Bona ſeculariſata.

 dalia

dalia & allodialia fieri poſſe, in dubio autem eadem allodialia cenſeri, cum tertia ſpecies inter res allodiales & feudales media non detur. Thomaſium ſequuntur Helmſtadienſes in Reſponſo de 1718. in cauſa Oettingenſi, quod diſſertationi de efficacia pactorum illuſtrium contra tertium ſubjunxit *Bœhmerus*, ubi in ſpecie contra Tubingenſes hanc dant inſtantiam, quod ſicut bona vacantia & fructus ex Principatu feudali a Principe pleno & allodiali jure acquirantur, ita ut pars territorii fiant, ſic pariter bona ſeculariſata ipſam territorii naturam non ſequi, ſed plene acquiri.

§. CCXXXVIII.

In dubio talia manent, qualia ante ſeculariſationem fuere.

Noſtram qualemcunque ſi addere licet ſententiam, ex ipſa Seculariſationis indole præſupponimus, Principem vi ſummæ poteſtatis ea, quæ ex pia intentione in ſuperſtitioſos uſus deſtinata, vel piis cauſis primitus dicata, ex poſt facto demum ad abuſus ſuperſtitioſos tracta ſunt, ſublatis abuſibus, remotaque omni ſuperſtitione, vere piis uſibus reſtituere, at tunc ſeculariſationem nullam fieri, ad profanos autem uſus res Eccleſiis a fundatoribus deſtinatas transferri a Principe regulariter non poſſe, quia nimirum ſola ipſarum ſuprema cura & adminiſtratio ad Principem ſpectat, nullum autem dominium, niſi eminens, quod nonniſi in neceſſitatis caſu ſe exerit. Unde ſeculariſationem nonniſi in caſu neceſſitatis juſtam eſſe ſequitur. Neceſſitas autem cum legem non habeat, ſed eandem ipſa ponat, ex hac neceſſitatis lege dijudicandum, quænam qualitas bonis Seculariſatis ſit tribuenda. Quodſi igitur neceſſitas ſolam dominii utilis, retento directo vel ſupremo, alienationem efflagitet, ſub qualitate feudali ejusmodi bona Eccleſiaſtica Seculo addicentur, quod in Inſtrumento Pacis Weſtphal. quoad bona Eccleſiaſtica Sveciæ Regi, Electori Brandeburgico, Duci Mecklenburgenſi, & Landgravio Haſſiæ feudi titulo & ſub qualitate ſeculari conceſſa factum animadvertimus. Econtra ſi bonorum Eccleſiaſticorum plenaria, & quoad ſupremum pariter ac privatum dominium, alienatio & translatio a neceſſitate imperetur, etiam ſupremi dominii qualitate bona ſic ſeculariſata gaudebunt. In dubio autem ſeculariſatio non modum habendi, ſed finem rei & uſum, cui illa eſt deſtinata, mutat. Quare regulariter eodem jure & cum eadem qualitate bona ſeculariſata tranſibunt, qua gaudebant antea, cum ad Eccleſiam ſpectarent, feudali nimi-

nimirum si feudi, allodiali si allodii, supremi denique dominii si hujus jure Ecclesia eadem antea possedit.

§. CCXXXIX.

Refutantur Tubingenses.

Quod ad diversas §. 237. allatas opiniones attinet, primo illa Tubingensium ita non est accipienda, ac si finis ille ut publicum territorii patrimonium augeatur, justam secularisandi causam præbeat. Deinde quod dicitur, bona secularisata ad publicum transire territorii patrimonium, aliquando quidem accidit, at universale non est. Cum enim in dubio bello parta privato potius quam publico Principis patrimonio cedant, in casu, quo Principi ab hoste bona Ecclesiastica sub qualitate Seculari ceduntur, bona hæc secularisata in privato potius Principis patrimonio ita existent, ut libere ab eo alienari possint. Et quid si bona, quæ Ecclesia tanquam feudalia a tertio quodam recognoscit, secularisentur, sive Ecclesia consentiat, sive vi bellica eadem illi eripiantur, tunc certe per secularisationem jus tertio quæsitum nec auferri, nec qualitas feudalis per eam deleri poterit. Sed nisi dominus directus in factam alienationem indeque pendentem secularisationem consenserit, integrum plane ipsi erit, feudum revocare.

§. CCXL.

& Thomasius.

Thomasii doctrina erroneo innititur principio, ac si rerum a feudalibus & allodialibus species diversa non detur, quod tamen superius fuit explosum. Præterea in eo graviter impingit Thomasius, quod & citra necessitatis casum secularisationi locum facit, ac licet pro se excitet *Conringium* qui in Concl. ipsi citata 2. bona, inquit, quæ falso Numini aut superstitioso cultui etiam veri Numinis sunt dicata, licet in profanos vertere, modo illi non sint mali, & Concl. 4. bona quæ pridem fuere versa contra consecrantium sententiam in non sacros usus, illa licet aut in æque bonos aut in non deteriores usus profanos commutare. Hæc tamen aliter quam in necessitatis casu secularisationi locum non faciunt, quippe ad quem juxta ipsam sequentem octavam Conringii conclusionem restringuntur, qua profitetur, ne utilia quidem aut ad elegantiam facientia licere profanare, nisi majore existente necessitate. Quæ vero Thomasius §. 13. affert pro vindi-

vindicanda Principi poteſtate transferendi bona eccleſiaſtica ad profanos uſus contra fundatorum intentionem, ſcil. teſtamenti factionem juris naturalis non eſſe, nec heredes vel legatarios ad ſervandam ultimam teſtatoris voluntatem obligari, hæc inquam hactenus probata ſatis non ſunt, & fuſius hac de re dicendi locus alibi occurret.

§. CCXLI.

it. Helmſtadienſis. Helmſtadienſium denique inſtantia a bonis vacantibus & fructibus feudalibus petita parum quadrare videtur. Manifeſta utrinque ſubeſt diverſitatis ratio. Bona ſiquidem vacantia, ſicut & reditus ex feudo percepti, in fructibus ſunt, de quibus libere diſponere licet, at bona Eccleſiaſtica particulam ipſius patrimonii publici conſtituunt, ac proinde ſaltem Principis curæ ſupremæ & adminiſtrationi, neutiquam autem liberæ ipſius diſpoſitioni ſubjacent, quare etiam in caſu, ubi ſeculariſantur, nec fructibus annumerari debent, nec libera de iis diſpoſitio Principi præciſe tribui.

§. CCXLII.

Nec bona oppignorata qualitatem mutant. De bonis pignoratitiis cum in dominio proprie non ſint, ſed ſolius ſecuritatis cauſa teneantur, fruſtra quæritur, ſintne allodialia an feudalia? At oppignorationes antiquæ Germanicæ cum emtionem cum pacto de retrovendendo contineant, adeoque dominium tribuant, conſequens eſt, talia pignora regulariter, & niſi aliud actum oſtendi poteſt, * eandem retinere qualitatem, quam ſub priſtinis dominis habebant.

* Sic Maximilianus I. Imperator Philippum Electorem Palatinum de Imperii Oppignorationibus inveſtivit, ut hac ratione Imperio directum earum dominium conſervaret. *Struv.* de Allodiis Imp. §. 43.

§. CCXLIII.

Fructus ſunt allodiales. Fructus ex Principatibus feudalibus perceptos allodiales eſſe, tralatitium eſt, ſive civiles ſint, ſive naturales. Quoad pendentes non tam de eorum qualitate, quam ad quem pertineant, diſceptatur. Jure naturali pro temporis

poris rata & lucrum & operas dividi debere, at ex principiis juris Romani ad ſeparationem a ſolo, ex Longobardici & Germanici ad maximam culturæ peractæ partem eſſe reſpiciendum, infra monebimus L. 2. T. 5. §. 346. ſqq.

§. CCXLIV.

Milites, quos Imperii Principes commercii cauſa alunt, um ſelbige andern Potenzen zu überlaſſen, allodiali Principis patrimonio eſſe accenſendos, illuſtri Electoris Palatini exemplo confirmavimus Tit. præc. §. 223. Simile eſto judicium de tormentis, quæ NB. voluptatis, non defenſionis cauſa ſibi compararunt. Equidem *Schraderus* de feudis machinas & munitiones caſtri indiſtincte allodialibus accenſet, licet a Vaſallo eo fine comparatæ, ut perpetuæ caſtri utilitati inſerviant. Recte tamen monet *Stryckius* de Jure Allod. c. 4. n. 47. attendendum eſſe, quibus formalibus caſtra in feudum Principi ab Imperatore ſint conceſſa. Si enim tempore inveſtituræ tormentis aliisque machinis bellicis inſtructum fuerit caſtrum, ſine dubio feudi jure cenſeri, præſertim ſi in literis feudalibus phraſis occurrit mit denen Veſtungen und Zugehör, imo in feudis Regalibus Machinas bellicas feudo adeo cohærere, ut pro allodialibus reputari nequeant, teſte *Alexandr. Raudenſi* Libr. I. Deciſ. Piſan. 42. qui propterea munitiones Ducatus Ferrariæ non pro allodialibus, ſed feudalibus reputavit. Et ita in Germania quoque fuiſſe reſponſum teſtantur Frid. *Pruckmann.* & Jo. *Kœppen.*

it. milites qui commercii cauſa aluntur

§. CCXLV.

Recte adhuc *Stryckius* l. c. n. 44. ad allodialia Principum Imperii refert res pretioſas & mobilia, quæ in ipſorum Palatiis reperiuntur, Tapezereyen, Silber-Geſchirr, Kunſt-Kammern, Stall, Raritæten-Cabinett &c. quia nimirum plerumque ex fructibus territorii plene ad Principem ſpectantibus comparantur. Quodſi autem hæc omnia ipſi territorio feudali perpetuo deſtinata, & incorporata fuerint, ſaltem quoad ſucceſſionis paſſum ſecus ſentiendum. Conf. Tit. 4. §. 37. & Tit. 12. §. 141.

mobilia pretioſa.

§. CCXLVI.

Pecora & instrumenta. Pecora denique & instrumenta ad agrum utut feudalem colendum pertinentia, quæ in Villis Principum in denen Fürstl. Cammer- und Tafel-Güthern oder Aemtern reperiuntur, ad allodium pertinere videntur Stryckio l. c. n. 36. quæ tamen limita, nisi publicis sumtibus illa pecora comparata sint, ex iisque ali consueverint.

§. CCXLVII.

Superioritas territ. talis est quale territorium cui inhæret. Atque sic constabit, quænam ex corporalibus Principum Imperii rebus feudales, quæve allodiales sint. Veniendum est ad incorporales, & jura ipsorum, ubi agmen ducit superioritas territorialis, quæ num allodiali an feudali jure ad Imperii Principes pertineat, disceptatur. *Stuckius* & *Coccejus* feudali, at *Stryckius* & *Struvius* allodiali jure eam teneri censent. Neutrum simpliciter admittendum videtur. Nam superioritas territorialis radicitus in dominio terrarum Imperii immediatarum fundatur. Cujus itaque naturæ est ipsum terræ immediatæ dominium, ejusdem quoque hujus accessorium, superioritas scil. territorialis regulariter erit. Consentientem habeo *Hornium* in Jure publ. c. 58. §. 5. Add. *Itterus* de feudis Imperii. c. 8.

§. CCXLVIII.

Etiam allodialis. Neque obstat, quod superioritas territorialis Imperatoris beneficio teneatur. Nam & allodium beneficii loco ab Imperatore potest indulgeri. Ac licet olim præsertim beneficium in sensu excellentiori feudum denotarit, in sensu tamen generaliori illud & olim & hodie de aliis etiam quam feudalibus rebus prædicatur. Recentissimum exemplum superioritatis territorialis jure allodiali concessæ habemus in Comitatu Wartenbergico, qui ex immediatis immediatorum Nobilium terris, & feudis Palatinis coaluit, & in Comitatum Imperii allodialem, superioritate sua gaudentem, ab Imperatore est erectus. Ipsum Diploma de 1707. vide in *Cancellaria Status* part. 13. p. 797. *

* Unde simul intelligitur, ad qualitatem Status Imperii non præcise requiri bona feudalia, sed sufficere eadem esse immediata R. J. 1654. §. 197.

§. CCXLIX.

§. CCXLIX.

Pariter nec obstat, quod in alteram partem proniores *Stryck* de jur. allod. c. 4. pr. & *Struv.* de Allod. Imp. §. 50. objiciunt, Principes de superioritate territoriali ab Imperatore non investiri, adeoque illam allodiali jure habere. Licet enim in tabulis publicis stylus antiquus diligenter servetur, & investitura saltem super bonis & Regalibus concedatur, ipsa autem vox superioritatis territorialis tanquam recentior in iis rarius occurrat, sufficit tamen mentionem fieri Regalium, quæ stylo veteri ipsam superioritatem territorialem denotabant, utpote quæ nihil aliud est, quam Regalium complexus. Nec ipse Struvius inficias ire potest, in literis investituræ domus Saxonicæ tam Electoralis quam Ducalis expresse legi verba: mit aller Regalischen Landes Fürstl. Obrigkeit und Herrlichkeit. Imo in aliorum quoque investituris diserta fit mentio derer Hoheiten. Et jam anno 1377. Carolus IV. Imperator Guilielmum de Geldria investivit de superioritate territoriali, quæ antiquissima hujus vocabuli in publicis tabulis occurrens mentio habetur. Vid. *Struvii* diss. Jur. publ. 26. §. 13. Alias ejus origo tribuitur *Jasoni* ad L. 3. Dig. de Jurisdict. *Plerumque feudalis.*

§. CCL.

Quod vero *Stryckius* ex *Kupneri* de fortalitiis dissertatione subjungit, Principes universale Ducatus dominium feudi lege a Cæsare agnoscere, in particulari vero potestate quoad subditos, regimine, Regalibus &c. superiorem non recognoscere, id inquam nec analogiæ Jurispublici, nec praxi quotidianæ satis congruit. Constat enim, regulariter, & quantum per privilegia de non appellando Principibus non est prospectum, licere subditis a Principibus suis ad Cæsarem provocare, quod sane fieri non posset, si quoad ipsum regimen & Regalia Principes superiorem non recognoscerent. Nec denique id, quod superioritas territorialis usu est quæsita, publicisque Imperii legibus confirmata, a feudali qualitate eandem liberat aliter, quam si ipsum territorii, in quo superioritas exercetur, dominium allodii jure est usucaptum.

§. CCLI.

Quemadmodum in genere superioritas territorialis qualitatem dominii sequitur, ita idem de singulis quoque ejus partibus asserendum. Sic *Jus Sacrorum ta-*

le est qualis ipsa superioritas. jus suffragii in Comitiis, nec non jus circa sacra, quod Papale quibusdam audit, non præcise allodiale esse debet, quod volunt *Struv.* & *Stryck.* ll. cc. sed quale ipsum est territorii dominium, eique innixa superioritas territorialis, tale etiam jus Sacrorum regulariter censendum, adeoque & feudale, si ipsa superioritas territorialis est feudalis. Nec officit, quod de jure Sacrorum Status nunquam investiuntur. Sufficit enim, eos in genere de terris, juribusque iis connexis ac Regalibus investiri.

§. CCLII.

Potest tamen territorium esse allodiale & superioritas feudalis. Quod hactenus tradidimus, superioritatem territorialem eandem habere qualitatem, quam ipsum territorii dominium, regulariter & in dubio quidem obtinet, exceptionem tamen patitur, si aliud pactis esse cautum probari potest. Sicut enim dominium restringi, limitari, imo dividi potest, ita nihil obstat, quo minus (si paciscentibus ita placuerit) territorium allodiali, Regalia autem & superioritas feudali jure concedantur. Sic Comitatum Schaumburgicum allodii, Regalia autem feudi jure Comites tenent. Vid. *Stuck.* Consil. 26. num. 504. & *Itter.* de feud. Imp. c. 8. §. 31. Comites Sarwerdenses ratione juris vectigalium & viarum publicarum Vasallos Imperii esse. Comitatum vero allodii jure habere ex Consil. Marpurg. docet *Stryck.* de jure Allod. c. 3. n. 120. Sic & 1713. extincta stirpe mascula Comitum Limpurgicorum terras tanquam allodiales ad filias transiisse, Regalia autem sub feudi lege vi expectativæ a Leopoldo Imperatore 1693. datæ ad Borussiæ Regem pervenisse constat. *Besoldus* quidem Consil. Tubing. part. 5. Cons. 241. respondit, tali casu, si nimirum territorium allodii jure, Regalia autem feudi jure teneantur, Regalia a territorio esse inseparabilia, nec aliis posse concedi quam iis, ad quos territorium jure hereditatis spectat, cui tamen jam dum oblocutus est *Itterus* de feudis Imperii c. 8. §. 31.

§. CCLIII.

Num feudi an al- Diversa allodii & feudi jura tum in successionibus cernuntur, cum alius sæpe feudi alius allodii heres & successor existat, tum etiam & potissimum

lodii conditio melior.

ſimum in alienatione. Regulariter enim feuda ex ſua natura alienari a poſſeſſore nequeunt, bene tamen allodia, ut proinde melior hoc in paſſu allodii ſit conditio quam feudi. *Coccejus* quidem in Jurepubl. cap. 15. Sect. 1. §. 10. putat, olim meliorem feudorum quam allodiorum fuiſſe conditionem. Nam in feudo utile dominium, in allodio autem ſolam adminiſtrationem cum reditibus certis habuiſſe poſſeſſorem. Sed confundit diverſa, quæ penes priſtinos Comites eſſe ſolebant, bona. Nonnulla enim Regalia erant, quorum ſola adminiſtratio iis commiſſa, & hæc plane ad Comites non ſpectabant, alia autem ipſorum erant propria & allodialia, de iis libere omnino diſponebant. Indicant hoc ſatis ſuperque chartæ antiquæ, quæ iis, quibus allodium conceditur, liberam de eo disponendi facultatem diſerte concedunt. Idem & evincunt Capitularia Caroli M. cap. 3. tit. 20. apud *Lindebrogium*, ubi ſub graviſſima pœna prohibetur, ne quis beneficium ſuum (i. e. feudum) alodem reddat, quod ſane metuendum non fuiſſet, ſi pinguior fuiſſet feudorum quam allodiorum conditio.

§. CCLIV.

Feudum mutari in allodium poteſt & vice verſa.

Sicut allodium per oblationem domino factam in feudum, ita vice verſa pacto vel expreſſo vel tacito feudum in allodium poteſt mutari, qua ratione anno 1074. Comitatus Oldenburgicus antea feudalis ab Henrico IV. Imperatore Friderico Comiti, quod cum leone pugnarat, ut allodium conceſſum (a Joanne XIV. tamen Carolo V. Imperatori iterum in feudum oblatum) *Struv.* de Allod. §. 32. ubi quid inter paciſcentes actum ſit, diligenter ſemper attendendum. Sic ſi feudum proprium mutatur in hereditarium & fœmininum, wenn das Mann-in Erb- und Weiber-Lehn verwandelt wird, remanet qualitas feudalis, ſecus ac ſi ita fert formula: Es ſolle in allodial Erb-Guth verwandelt werden.

§. CCLV.

Pretium ex feudo alienato eſt allodiale.

Feudo e. c. ob debita iis, quorum intereſt, conſentientibus * vendito, regulariter tamen ad emtorem quoque qualitas feudalis tranſit, pretium autem ejusque reſiduum allodiale erit, nec aliter qualitatem feudalem recipit, quam ſi lege (qualis in Saxonia & Pomerania viget) aut pacto

speciali ita caveatur, wenn ein Lehn-Stamm daraus gemacht wird. Ab hac tamen pecunia feudali vom Lehn-Stamm differt das Lehns-*Quantum*, sive summa, cujus intuitu Vasallus alium vel plures in simultaneam investituram recipit, ubi Vasallus liberam de feudo disponendi facultatem habet, dummodo hæc summa salva maneat simultanee investitis. In casu vero delatæ ad simultanee investitum successionis, hic illa summa non debet esse contentus, sed succedit in feudi substantiam, *Horn.* Jurisprud. feud. c. 4. th. 28. Et in Creditorum Concursu simultanee investitus habet ratione des Lehns-quanti jus reale, pecunia judicialiter est deponenda, & in casu existentis successionis simultanee investito solvenda. Debita quoque feudalia & consensuata demum in subsidium ex hac pecunia, dem Lehns-quanto, solvuntur.

* Qui consensus & tacite potest interponi e. c. Agnati in oppignorationem consentientes eo ipso in alienationem consensisse videntur, sed NB. saltem quoad summam consensuatam. Quoad residuum autem jus suum cessisse haud videntur.

§. CCLVI.

Modi dominii amittendi.

Plura de allodii ac feudi differentiis ac juribus hic subjicere institutum non patitur. Quare hic non modo de allodio & feudo, sed in genere de dominio materiæ finem inponimus. An in dubio feudum oblatum an proprium præsumendum, de Heredit. T. 13. §. 310. dicetur. Quæ de modis amittendi dominium, cessione, confiscatione &c. monenda forent, superius ex modis idem acquirendi derivativis repeti poterunt. Res enim ipsa loquitur, semper ubi derivative res aliqua alteri acquiritur, eandem simul ab alio amitti. Num vero morte dominium desinat & amittatur, an per ultimam voluntatem continuetur, ubi ad hereditates fuerit ventum, commodius explicabitur. Rei interitu ejus dominium expirare, per se patet. Ad res tamen intereuntes referendi non sunt agri a lacu hausti, horum enim dominium ideo non mutatur, possessio autem retineri & demonstrari potest piscando in tali lacu, aliosque itidem piscari volentes arcendo. Conf. *Grotius* L. 2. c. 8. §. 8. & 10. Add. L. 7. §. 5. Dig. de Acquir. rer. domin.

LIBER II.

LIBER II.

DE SERVITUTIBUS PRINCIPUM TUM PUBLICIS TUM PRIVATIS.

TITULUS I.

DE Servitutibus in genere earumque natura & divisione.

* * *

Servitus seu jus in re aliena, vi cujus dominus ad alterius utilitatem aliquid pati aut non facere tenetur, nunquam in faciendo consistit, estque illa ratione utilitatis vel publica vel privata.

§. CCLVII.

Servitus in genere considerata est jus ex alterius vel actionibus vel rebus utilitatem percipiendi. Unde eam duplicis esse generis, sua sponte *Servitus quid?*

patet,

patet, aliam personarum, sive jus ex personis earumque actionibus, aliam rerum, sive jus ex rebus alienis utilitatem quandam percipiendi, vel ut alias describitur, jus in re aliena constitutum, ubi dominus ad alterius utilitatem quid pati aut non facere debet. Illa ad personarum jura pertinet, ac proinde hujus loci non est. Hæc vero inter rerum jura, de quibus hic sumus occupati, merito locum sibi vindicat, & κατ' ἐξοχὴν servitutis nomine venit.

§. CCLVIII.

Germ. Germani vocibus Dienstbarkeit & Gerechtigkeit utuntur, quarum illa proprie ad personarum, hæc vero magis ad rerum servitutem pertinere videtur. Usus tamen promiscuam utrique significationem tribuit. Sic Dienstbarkeit de servitutibus rerum prædicari ex actis publicis probat *Engelbrecht* de Servitutibus Jurispublici p. 35. Econtra vox Gerechtigkeit personalibus quoque privilegiis sæpissime tribuitur, adeo ut latius multo pateat, quam rerum servitus, & recte dici possit, omnis servitus rerum ist eine Gerechtigkeit, sed non vice versa eine jede Gerechtigkeit sey eine servitus.

§. CCLIX.

In faciendo consistere nequit. In strictiori sensu si servitus accipitur, recte omnino asseritur, quod servitus nunquam in faciendo consistere possit. Ratio hujus rei inde est repetenda, quod servitus est jus in re, res autem actionis plane expers. Rident quidem recentiores nonnulli ut *Titius* de servitut. faciendi & *Engelbrecht.* l. c p. 16. hanc rationem, ejusque robur enervari posse putant, dicendo, patientiam & non-factum non magis rebus convenire, quam ipsum factum, adeoque si servitutes in faciendo consistere nequeant, easdem certe nec in patiendo & non faciendo consistere posse. At salva res est. Quid enim, si dicamus, servitutem non præcise consistere in patientia domini, sed eam indirecte saltem & secundario tanquam effectum accedere debere. Sufficit enim ad servitutem, mihi jus esse ex alterius re utilitatem quandam percipiendi. Hoc jus is, qui alias est rei dominus, mihi intervertere nequit, quare illud patientiam domini tanquam effectum demum post se trahit, ipsa autem forma servitutis in jure percipiendi ex re aliena utilitatem consistit.

§. CCLX.

§. CCLX.

Instant dissentientes, dumque servitutes in faciendo consistentes propugnant, nobis objiciunt servitutem oneris ferendi, item servitutes operarum. Ad illam quod attinet, usque quaque expeditum non est, utrum dominus columnæ ferentis seu servientis ad eam reficiendam præcise teneatur. Sane si dominus ædes servientes derelinquere vult, a reficiendi obligatione liberatur L. 6. §. 2. Dig. Si servitus vindicetur. Unde obligari saltem videtur ad patiendum, ut alterius onus in sua columna requiescat. * Certe in hac patientia palmarium residet hujus servitutis requisitum, adeo ut etiamsi dominus ad columnam reficiendam teneatur, in hac tamen reficiendi obligatione ipsa oneris ferendi servitus non consistat, sed eidem extrinsecus saltem accedat. *Obj. Servitus oneris ferendi.*

* Dissentientes in contrariam sententiam ita argumentantur, si non is, qui ferre debet, restituere collapsam columnam aut parietem tenetur, sed is, cui servitus oneris ferendi debetur, justius multo diceretur hic servire, qui refectionis sumtus suppeditat, quam ille qui onera fert, cujus melior ideo foret conditio, quia integrum parietem haberet alterius expensis. Sed respondeo, confundi sic servitutem personarum & rerum. Si de illa sermo, concedo servire reficientem, si de hac, onus ferentem servire contendo. Nam si is, cui servitus oneris ferendi debetur, eandem negligere malit, cogi ad columnam reficiendam nequit, manifesto indicio, potissimum in utilitatem ejus, cujus onus fertur, totum hoc negotium celebrari, in eoque illum magis dominari, quam servire.

§. CCLXI.

Instantia ab operarum servitute petita plane non stringit. Si enim huc refers ex jure Romano servitutem operarum servorum, quæ erat jus utilitatem ex operis servi alieni percipiendi, tunc tenendum, quod Romani servis personas, personarumque jura denegaverint, eosque rebus annumeraverint, quare & in iis servitus recte constituebatur. Sin ad operas nostrorum rusticorum respicis, quas non personarum, sed prædiorum intuitu *Operarum.*

intuitu præſtari ajunt, quæque pro bonorum diverſitate variant, ita ut aliæ ſint rurales Wagen- und Pflug-Dienſte, aliæ manuariæ Hand- und Fuß-Dienſte, tunc nego, easdem recte ſervitutibus rerum accenſeri. Ipſa prædia ibi non ſerviunt, ex iis utilitas non percipitur, ſed ab eorum poſſeſſoribus, qui ſi in iis præſtandis ſe moroſos præbent, executio non in res ſeu prædia, ſed perſonas fit, hæque carceri mancipantur, die Bauern werden eingeſteckt, certiſſimo documento, obligationem hanc perſonalem eſſe, & ſubjective ruſticis, eorumque perſonis inhærere, ac ſaltem objective circa eorum prædia verſari, ut ſcil. ex horum poſſeſſione perſona, quæ operas debet, ex quantitate autem & qualitate modus & qualitas ſervitiorum determinetur, eadem prorſus ratione, ſicut ſervitia feudalia feudorum intuitu, habitaque ad eadem proportione præſtantur, quæ tamen ideo ad jura realia ſpeciatimque ſervitutes apud nos ſaltem non referuntur. Unde & domino contra Vaſallum ad ſervitia præſtanda ſola actio perſonalis tribuitur. Vid. *Struv.* Syntagm. Jur. feud. cap. 16. th. 2. *Stryck* Examen Jur. feud. cap. 24. qu. 9. Jure Anglorum tamen ſervitia feudalia ad ſervitutes referri ex *Cowell.* Inſt. Jur. Anglican. L. 2. Tit. 3. §. 1. notat *Engelbrecht* de Servit. Jur. publ. p. 366. In cujus rei veritatem & rationem inquirere, noſtrum jam non eſt.

§. CCLXII.

Multo minus ad operarum ſervitutes referri debet obligatio, qua Princeps ſe ſuosque in territorio ſucceſſores obligat ad aliquid faciendum, e. c. quando Princeps promittit, territorium ſuum vallo aut muro cingere. Ratio diverſitatis ejusque effectus cerneretur e. c. ſi ex neglecta ejusmodi promiſſione damnum fuerit datum, & quæreretur, quisnam illud reparare debeat? Si enim id, quod promiſſum ad ſervitutes referas, ex ipſa re, ipſo territorio & a quocunque ejus poſſeſſore ſatisfactio peti poterit, ſin ad perſonales poſſeſſoris obligationes, tunc ſatisfactio a præſenti poſſeſſore peti preciſe nequit, ſed potius ab eo, qui damnum dedit ejusque heredibus.

§. CCLXIII.

Servitus eſt vel publica vel privata

Diſpeſcitur ſervitus ratione utilitatis in publicam & privatam, utraque habita ratione ejus, cui debetur, eſt vel realis vel perſonalis. Realis dicitur,

tur, si res rei immediate, personalis, si res personæ immediate servit.* Servitus realis iterum est vel affirmativa, quando dominus pati debet, ut alter in re sua quid faciat, seu facultas in alterius re quid faciendi, vel negativa, quando dominus in re sua aliquid omittere in alterius gratiam debet, seu facultas prohibendi dominum, ne quid in re sua faciat.

* Unde patet, non propter solam juris civilis, speciatimque Romani dispositionem, quod volunt *Titius* & *Engelbrecht*, sed ex ipsa natura servitutis realis, & quia rei servit, eam in commoditate personali & voluptatis usu consistere non posse, quamvis induci possit obligatio personalis, ut rei certæ possessori, quicunque ille fuerit, commoditas personalis seu voluptas permittatur.

§. CCLXIV.

Quæ vero ulterius affertur servitutum realium divisio in urbanas & rusticas ad solas servitutes privatas pertinet. Privatorum enim bona & negotia adæquate satis in urbana & rustica dispescuntur. Res autem & negotia, quæ publicum statum concernunt adæquate sic distribui non possunt, cum e. c. ea, quæ publicam securitatem respiciunt e. c. jus præsidii, jus prohibendi, ne alter in suo territorio extruat fortalitium, ad neutram harum classium pertineat. Incongrue igitur *Schilterus* Inst. Jur. publ. Lib. 2. Tit. 3. §. 1. & *Rhetius* Inst. Jur. publ. L. 2. Tit. 28. hanc servitutum in urbanas & rusticas divisionem servitutibus Jurispublici applicant, & servitutem, ut vicinum territorium aut fortalitium altius tollat, vel non, jus præsidii vel fortalitii in alieno territorio habendi, jus aperturæ, item ne prospectui e territorio officiatur, ad urbanas referunt, econtra militum transitum, jus conducendi per aliud territorium, jus lustrationis, sequelæ, merum imperium in alieno territorio servitutibus prædiorum rusticorum annumerant. Rectius hoc in passu sentit *Engelbrecht* de servitut. Jur. publ. p. 77. hanc divisionem nimium erga leges Romanas amorem, & intempestivam earundem ad jura illustria applicationem sapere ratus.

urbana vel rustica

§. CCLXV.

Ipſe tamen *Engelbrecht* in pluribus paſſibus aliis publicas privatasque ſervitutes inter ſe miſcere ac confundere videtur, quod in tam arcta utrarumque affinitate, cumque eædem ſervitutes diverſo reſpectu nunc publicæ nunc privatæ eſſe poſſint, facile potuit accidere. Nos interim dabimus operam, ut paulo diſtinctius utrasque a ſe invicem ſecernamus, ac primo de realibus acturi, publicas ſeorſim perſequemur, removentes poſtmodum ab iisdem eas, quæ perperam iis ſolent accenſeri, hinc ad privatas Principum ſervitutes transeuntes oſtendendo earum conſtituendi ac finiendi modos, tandem ſervitutes Principum perſonales ſubjiciemus.

TITULUS II.

DE

Publicis Servitutibus.

* *
*

Servitutibus publicis iisque affirmativis annumero illam maris, transitus, aperturæ, conductus, præsidii, negativis ne habeatur portus, fortalitium &c.

§. CCLXVI.

Publicas servitutes dico jura in re aliena publicæ utilitatis causa constituta, seu ex quibus publica utilitas immediate percipitur. Unde & sano sensu Jurispublici servitutes recte vocantur. Appellatione servitutum Jurispublici primus superiori demum Seculo usus est *Vitriarius* Inst. Jur. publ. L. 4. Tit. 9. §. 2. Rem ipsam antea jam attigit *Ludolphus Hugo* de Statu Regionum Germaniæ c. 6. §. 15. nomine tamen servitutum Jurispublici non usus. *Christoph. Jo. Conr. Engelbrecht* in peculiari, quam de Servitutibus Jurispublici edidit, Commentatione Helmstad. 1715. alio sensu accipit servitutes Juris publici; eas non ab effectu seu utilitate, sed a subjecto, seu eo, a quo debentur, publicas vocat, & sicut servitutes, quæ ex privatorum prædiis debentur, privatas, ita illas, quæ ex publicis territoriis debentur, publicas vocat. Quamvis alias in verbis facilis esse soleam, hunc tamen sensum propterea admitti nolim, quia hac ratione *privata* Principum jura in alterius territorio competentia *publici* juris esse inconcinne dicuntur, eoque ipso publici privatique juris confusioni ansa præbetur. *Servitutes publica*

§. CCLXVII.

vocantur & gentium

Alio adhuc nomine publicæ ſevitutes vocantur ſervitutes gentium. Neque male. Quod vero *Engelbrechtus* in cit. Tr. cum *Harprechto* ulterius progreditur, & ſervitutes gentium putat eſſe ſynonimum ſervitutum Jurispublici *univerſalis*, iisque opponit ſervitutes Jurispublici particularis, id inquam admitti nequit. Vocat ſiquidem ſervitutes Jurispublici Univerſalis quæ ex ſola neceſſitate ſine prævio facto competunt, ſervitutes vero Jurispublici particularis, quæ prævia conventione aut præſcriptione acquiruntur. Infra autem Tit. 3. §. 283. ſq. demonſtrabitur, omnem ſervitutem, ne ipſis quidem gentium ſervitutibus exceptis, pacto conſtitui, & ſine eo nullam dari ſervitutem, ac proinde illas, quas Juris publ. univerſalis vocat Engelbrechtus, plane ſervitutes non eſſe.

§. CCLXVIII.

non tamen ex jure publico ſunt æſtimandæ

Interim dum gentium ſervitutes NB. intuitu utilitatis (non autem intuitu normæ & conſtitutionis) ſervitutes Juris publici dici poſſe largior, cave putes, gentium ſervitutes ex Jure publico ſtricte ac proprie accepto eſſe æſtimandas. Proprie enim Jus publicum ſolum civitatis ſtatum ordinat, imperantium & parentium jura tradit. Liberæ gentes autem inter ſe ſunt æquales, nulla alteri imperat aut paret. Nulla igitur publico hoc jure tenetur. Quare earum ſervitutes non ex hoc ſed gentium jure, quod tamen improprie & abuſive aliquando Juris publici nomine venit, ſunt æſtimandæ. Imo ulterius progredior, & ratione conſtitutionis nullam ſervitutem Jurispublici proprie dicti eſſe contendo. Nam etiamſi privatus in re ſua ſervitutem in publicam publicæ rei utilitatem conſtituit, id tamen mediante pacto fieri debet, * eoque ipſo, quo Respubl. ſeu Princeps cum ſubdito deſuper contrahit, non qua Princeps, ſed tanquam æquales inter ſe contrahunt, ac ſepoſito jure publico, utuntur jure privatorum, non quidem civili, ſed naturali. Adeoque omnis ſervitutis conſtitutio juris privati eſt, non publici, utut ratione utilitatis publici juris eſſe poſſit.

* Quodſi enim ſubdito invito Princeps illius rebus ad publicam utilitatem utitur, tunc illud plane ſervitus non eſt, ſed fit NB. vi

dominii

dominii eminentis, & proinde Princeps tunc re illa tanquam publica, ac Reipubl. propria, non autem tanquam *aliena* utitur, quod tamen ad essentiam servitutis requiritur.

§. CCLXIX.

Ad publicas servitutes primum refero servitutem *maris*, qua populus in mari, quod occupavit, suumque reddidit alii populo jus liberi transitus & commerciorum concedit. * Prout pace Bredana inter Britannos & Belgas 1667. inita cautum, ut invicem per alterius maria liber transitus permitteretur. Equidem ex eorum opinione, qui innoxium per alterius ditiones & maria transitum juste denegari non posse asserunt, ejusmodi servitute vix opus esse videtur. Sed ut taceam, hoc præsuppositum non usque adeo liquidum esse, h. l. sufficit dixisse, utilitatem hujus servitutis manifeste se exerere in casu, quo per ejusmodi transitum, eumque comitans simultaneum commercii exercitium, alterius commercia minuuntur & damnum patiuntur, quod certe servitute maris semel constituta patienter & æquo animo ferre debet maris dominus, qui alias citra ejusmodi servitutem hunc transitum, tanquam sibi noxium, sine dubio prohibere potuisset. *Servitus maris*

* Aliena hinc est maris servitus, qua mare, quod in populi dominio est, eidem servire dicitur, prout *Conrad Samuel Schurzfleischius* dissertationem de Maris dominio acturam Maris servitutem inscripsit. Nos hic in sensu magis Juridico servitutem accipimus pro jure in re *aliena*, non propria. Nec proprie maris servitus est obligatio navigantium, qua per alienum mare transeuntes, domini navibus obviam facti, vela demittere tenentur, das Seegel Streichen. Servitutes enim in faciendo consistentes non agnoscimus. Denique nec servitus dici potest obligatio, qua paciscentes in mari vel plane non, vel a tertio quodam occupato, non ultra certum terminum navigare promittunt (Exempla vide apud *Grotium* L. 2. c. 3. §. 15.) Deest enim res serviens.

§. CCLXX.

appellendi Affinis huic ſervituti eſt ſervitus *appellendi* ad portum, littus, aut ripam alienam, das Anckern, quod alias extra caſum neceſſitatis e. c. tempeſtatis, recte itidem negatur. it. *piſcandi* in mari aut flumine alieno. Sic in flumine Queich, qua territorium Landavienſe perfluit, jus piſcandi ſibi vindicat Elector Palatinus it. jus *Grutiæ* das Floß-Recht, nec non jus habendi navem forenſem, das Marck-Schiff, qualem in Mœno habet Moguntinus. Huc etiam referunt *jus auri fluviatilis* in Rheno legendi, idque Electori Palatino a Manheimio usque ad pagum Seltz tribuunt *Sprenger* Jurispubl. prud. p. 417. & *Feltz* de Jurispublici Servitutib. §. 8. item *jus fodinarum* & minerarum in alieno territorio ac exempli loco huc trahit, quod Comes Hohnſteinenſis reſpectu Vogteiæ Walckriet auri argentique fodinas ac cetera metalla ſibi vindicat teſte *Wehnero* Voc. Vogtey. Mihi tamen Vogteia proprium jus innuere videtur, nec opus erit Vogteiæ domino ad jura in alieno ſeu ſervitutes provocare.

piſcandi

§. CCLXXI.

Tranſitus Venio ad *tranſitum* terreſtrem per alterius territorium, quem dum itidem ſervitutibus publicis accenſeo, remotum cupio neceſſitatis caſum, utpote quo etiam citra præviam ſervitutis conſtitutionem eundem licite exerceri fateor. Citra eundem autem territorii dominus recte pro lubitu quemvis a tranſitu arcet. Quodque nonnulli in iisque *Grotius* L. 2. c. 2. §. 13. interſerunt, tranſitum innoxium juſte denegari non poſſe, tot patitur exceptiones, ut per easdem regula ipſa abſorbeatur. Quid enim ſi territorii dominus ſemper dicat, tranſitum alienum ſibi eſſe noxium, propterea quod exteris transeuntibus de damno non inferendo fides tuto haberi nequeat, per alios autem eos conducere moleſtum nimis videatur. Et certe plerumque tranſitus alienus, præſertim cum exercitu, territorio noxius deprehenditur, nec cautiones vulgo afferri ſolitas damno, quod juſte plerumque metuitur, avertendo ſufficere, graviter oſtendit *Ziegler* ad Grot. l. c. & de Jur. Maj. L. 1. c. 33. §. 62. & L. 2. c. 17. §. 29. Nec juvat diſſentientes exemplum Iſraelitarum, qui ob tranſitum negatum Amoritis juſte bellum intuliſſe leguntur Numer. XX. Aderat enim in iis neceſſitas, alias ſibi quærendi

di ſedes, & deinde probe notandum, quod Iſraelitæ non ſtatim poſt tranſitum denegatum Amoræos ſint aggreſſi, ſed expectaverint, donec Amoræorum Rex finibus ſuis egreſſus ipſe prius Iſraelitas laceſſivit Num. XX. v. 20. Joannem Albretanum a Ferdinando Catholico ſub prætextu tranſitus denegati Vaſconia ſeu Navarræ Regno 1512. dejectum lege apud *Marian.* de Reb. Hiſp. L. 30. Nobis ſtat firma ſententia, juſte regulariter tranſitum negari, ejusque conceſſionem a ſola territorii domini voluntate & humanitate pendere. Quare ad reſtringendam hanc tranſitum denegandi libertatem omnino ſervitus transeundi conducit. Sic Galliæ Regem in diſtrictibus Landgraviatu & Præfectura Alſatiæ non comprehenſis, in Alſatia tamen ſitis, liberum & innoxium tranſitum tanquam ſervitutem ſibi ſtipulatum eſſe docet *Obrecht*. Prodrom. Rer. Alſat. c. 8. p. 167. Amurath IV. Turcarum Imperator pacem cum Perſis iniit hac lege, ut Perſis Meccam ad ſepulchrum Mahomedis Prophetæ proficiſcentibus liber tranſitus per Imperium Ottomannicum ita concederetur, ut nullam Turcæ in hos peregrinantes ſibi jurisdictionem arrogent.

§. CCLXXII.

In Imperio Germanico Principes ſibi invicem tranſitum, præſertim cum exercitu ſuſcipiendum concedere nullo jure cogente tenentur, ſed eundem ſibi ſæpenumero denegant. Imo ipſe Imperator, quando Imperii nomine bellum gerit, liberum quidem per Imperium, non vi ſervitutis, ſed jurium Majeſtaticorum, tranſitum cum exercitu habet, quia alias bellum cum ſucceſſu geri non poſſet. At ſi proprio nomine bellum gerit, copiis Imperialibus a Statibus tranſitus impune negatur. Sic Landgravius Caſſellanus militi Cæſareo ex Flandria venienti, Bavarus ex Hungaria venienti 1687. tranſitum negavit. Exteris autem copiis Imperii Principes nonniſi ſub certis reſtrictionibus tranſitum concedere poſſunt, ſcil. 1) ut fiat præſcio Directore & Duce circuli 2) per fidejuſſores, qui Status Imperii ſint, caveatur de damno non inferendo 3) luſtratio & dimiſſio copiarum transeuntium in Imperio non ſuſcipiatur 4) tranſitus non una ſerie, ſed diviſis copiis fiat. Vid. R. I. de 1594.

quatenus Imperatori competit

§. CCLXXIII.

§. CCLXXIII.

Jus postarum

Ad publicam transitus servitutem haud incommode refero jus *Postarum* in territorio alieno competens. Sic postas Pomeranicas per vicinum territorium Megapolitanum, Saxonicas autem & Brandeburgicas per Principatum Anhaltinum cursum habere constat. At postarum jus Imperatori in Imperio & Imperii Statibus in suis territoriis competens ipsis non jure servitutis sed summi imperii competit. Nam summæ potestatis est, vias publicas ordinare, moderare & pro re nata mutare. Ipsum autem viæ publicæ dominium summo imperanti simpliciter asserere non audeo. Quodsi enim via publica per privatorum agros dirigitur, horum remanebit dominium, sin agrorum fines utrinque ita sunt determinati, ut via maneat intermedia, ad universitatem viæ dominium pertinere existimo. Is vero, qui in loco aliquo jurisdictionem inferiorem habet, ejus obtentu jus nullum circa vias publicas prætendere potest.

§. CCLXXIV.

Cum aliquando funus nobilis cujusdam per viam, qua sæpius jam funera erant ducta, ad sepulchrum hereditarium transveheretur, magistratus pagi vicini, cujus fines via illa attingebat, querebatur de omissa denuntiatione translationis, ideoque collecta rusticorum manu fustibus & hastis armata viam obsidebat. Adveniente pompa funebri ventum ad manus, visque vi repulsa. Heredes defuncti magistratum in jus vocabant usi remedio retinendæ possessionis vel quasi, cui pars rea jus commune & consuetudinem Germaniæ universæ opponebat. Consulta desuper Facultas Juridica Vitebergensis mense Jun. 1732. respondit: Daß Klägere bey der erlangten possess vel quasi des Rechtes ihre Leichen von V. nach B. ohne solches in Beklagten Gerichten anzumelden, auf der von C. nach B. abgehenden ordentl. Strasse führen zu lassen, so lange biß Beklagter in petitorio ein anders ausgeführet billig zu schützen V. R. W. adjectis his rationibus: Alldieweilen Klägers possess vel quasi aus denen angezogenen eydlichen attestatis zur Gnüge erhellet, auch vermöge der natürlichen Freyheit einem jeden sich der ordentlichen Strasse zu gebrauchen frey stehet, also Klägere eine starcke præsumtion vor sich haben, demnach Beklagter, wenn er die Vor-

Vorbeyführung der Leichen ohne vorhergehende Requisition fernerhin nicht gestatten will, diesfalls in petitorio ein jus prohibendi anführen muß ꝛc. So ist als im Urthel enthalten billig erkannt. Conf. *Christoph. Lud. Crell* de translatione mortuorum per territorium alienum Vit. 1734.

§. CCLXXV.

Jus conducendi per territorium alienum, indeque pendens vectigal securitatis, das Geleit, servitutibus publicis haud forsan male annumeratur, secus ac vectigal commune der Zoll, quod ad dominium eminens, ordinarium quidem, referre mallim. Exempla juris conducendi Imperii Principibus in vicinorum territoriis competentis his verbis memorat *Engelbrecht* de Servit. Jur. publ. p. 172. Electorem Moguntinum per quendam districtum Darmstadinum, sive superiorem Comitatum Catimelibocensem, die Bergstrasse herab auf Franckfurt, jure conducendi uti, docet *Reinking* de Reg. Secul. Ita etiam Elector Palatinus in vicinis regionibus (scil. durch die Ober-Graffschafft Catzenelnbogen von der Bergstrasse an biß gen Franckfurt, item in der Marggraffschafft Baden biß gen Pfortzheim v. *Oldenburg.* ad Instr. Pac. p. 1. disc. 26. §. 13) Domus Saxonica in territorio Civitatis Erfurtensis, Dux Wurtenbergensis per urbem Gemundam & territorium civitatis Eslingen, & Landgravii Hassiæ per Wetzlariam, Fridbergam, districtum Huttenbergicum & per tractum Wetteraviæ, usque ad speculam Francofurtanam, biß an die Franckfurter Warte, jus conducendi habent. Pari ratione per territorium Norimbergensium a quibusdam jus conducendi exerceri testatur *Hildebrand.* de jur. Regal. in alien. territ. super. territ. non infer. Hactenus Engelbrecht. Quibus addi potest exemplum Marchionis Badensis in Palatinatu usque Brettenam jus conducendi exercentis, item Præpositi Elwangensis, von der Stadt Elwangen aus durch das Fuggersche Dorff Hütlingen, Mareschalli a Pappenheim von Creutz bey Weissenburg an biß zum Hochgericht bey Mannheim, Civitatis Hallensis in Suevia durch das Elwangische Amt Danneburg. Conf. *Linck* de jure Conducendi p. 29.

Conducendi

§. CCLXXVI.

Sequitur servitus *aperturæ*, seu jus per alterius castrum, fortalitium, aut territorium non solum transeundi, sed & eo se recipiendi, ibique castra

Aperturæ

contra hostes tuendi. Germanice Oeffnungs Gerechtigkeit. Hoc jus aperturæ vi dominii eminentis Principi in castris subditorum, Imperatori in Statuum Imperii, domino directo autem vi dominii directi in castris Vasalli, * at in territoriis prorsus alienis vi servitutis competit, & in Germania præsertim olim tempore diffidationum erat freqaentissimum.

* In transactione super investitura des Budiadinger Landes inter Daniæ Regem & Duces Brunsuicenses 1653. Hamburgi inita §. 10. habetur: Es behält sich das Fürstliche Hauß Braunschweig Lüneburg als Lehnherr das jus aperturæ oder Oefnung des Landes auch Vestung und Städte, so darin jedesmahl befindlich, auf den bedürffenden Fall und freundliches Anmelden frey und bevor, und wollen die Belehnte beyder Fürstlich-Hollsteinischen Linien dero Behuff alle Willfährigkeit und Beförderung erweisen. Ingleichen soll ohne Vorbewust und Consens derer Lehnsherrn keine neue Vestung geleget und gebauet werden. Worunter aber nicht verstanden und gemeynet, wenn eveniente subito necessitatis casu man gegen einen zu Wasser oder zu Land besorgenden Feind ein oder mehr Schantzen, so lange die Gefahr wehret, aufzuwerffen oder sich zu vergraben von der Noth befinde.

§. CCLXXVII.

ejus exempla. Sic Joannes miles de Lichtenstein in castro suo Kropfsberg tale jus seu *servitutem* constituit Consulibus & civibus Spirensibus, ut jus habeant intrandi castrum prædictum, & exeundi cum armatis, quando & quoties voluerint, de munitione castri prædicti præliandi cum hostibus &c. ceu ipsa Diplomatis de 1281. verba ferunt. Integrum illud exhibet *Lehmannus* Chron. Spir, L. 5. c. 113. Anno 1327. castrum Rheingrafenstein Episcopo Moguntino & civitatibus Maintz, Straßburg, Worms, Speyer, Oppenheim constitutum esse zu einem offenen Hause, daß darauf ihr Volck hausen, herbergen, und daraus wieder alle Feindschafft Schirm und Schutz thun sollen, testatur idem *Lehmann.* L. 7. c. 27. in fin. qui & plura ejusmodi exempla habet e. c. cap. sq. 28. Marchiones Badenses fortalitium

Ochsen-

Ochsenburg civitati Spirensi 1326. concessisse zu einem offenen Hause docet, cap. 46. Comites Leiningenses in omnibus suis castris civitati Spirensi aperturam indulsisse 1351. Cap. 84. Ludovicum Electorem Palatinum anno 1411. ad quinquennium civitati Spirensi in suis ditionibus jus aperturæ concessisse.

§. CCLXXVIII.

Hodienum Electorem Palatinum jus aperturæ habere in Eberburg, Landstuhl & Hohenburg, quæ ad Comites de Sickingen pertinent, item in Neuenhaimberg, quæ ad Moguntinum spectat, testatur *Irenicus* ad *Burgoldensem* p. 282. sq. Hassiæ Principes in arce Kronberg, Austriæ Archi-Duces in Episcopatu Tridentino, Principes Hohenzolleranos in suis ditionibus mutuum atque reciprocum jus aperturæ habere, item Archi-Episcopum Coloniensem cum Hasso, testimoniis firmat *Engelbrecht* de Servitut. Jur. publ. p. 184. *hodierna*

§. CCLXXIX.

Aliquando jus aperturæ certis additis limitationibus conceditur. Sic aperturæ Spirensibus a Ludovico Palatino concessæ addita conditio, daß sie über 200. Pferde nicht darein legen sollen, aliquando non contra omnes hostes, sed quibusdam exceptis, indulgetur. Sic Badenses Spirensibus in Ochsenberg aperturam constituentes excepere Marchiones Rudolphum seniorem & juniorem, & Landgrafium Hassiacum. Fridericum Bavariæ Ducem Episcopatui Passaviensi anno 1393. in castris Bavaricis aperturam concessisse, excepto Rege Romano Wenceslao, docet *Vitriarius* Inst. Jur. publ. L. 3. Tit. 19. §. 125. Denique nonnunquam jus aperturæ non per modum servitutis realis, sed personalis constituitur, prout Ludovicum V. Electorem Palatinum anno 1443. in civitate Spirensi jus Aperturæ NB. *ad vitæ dies*, adeoque ad personam restrictum, impetrasse testatur *Lehman.* Chron. Spir. L. 8. c. 99. *limitata*

§. CCLXXX.

Ex observantia & pactis determinanda.

Patet ex dictis, diversimode jus aperturæ concedi, nec proinde universali regula, quid illud involvat? posse definiri. Observantia & pacta hic omne punctum ferunt. In dubio illud merum hospitium involvere censet *Biedenbach* Qu. nob. 22. Anno 1668. cum de jure Palatini in vicum & arcem Neuenhaimberg lis ipsi cum Moguntino esset, hic interserebat, aperturæ jus solum tribuere asylum. At respondit Palatinus in literis d. 28. Jul. 1668. Lassen zwar dahin gestellet seyn, ob Ew. Lbden und dero Ertz-Stifft, wo sie das jus aperturæ haben, sich dessen nur als eines asyli, und zwar allein zu Vehdenszeiten gebrauchen. Dieses aber ist gewiß, daß das Oeffnungs-Recht sowohl von Chur-Fürsten, Fürsten und Ständen des Reichs, als von den höchsten Gerichten und Rechtsgelehrten insgemein nicht für einen miserablen Behelff eines asyli, sondern vor ein stattlich Stuck der superiorität und militarischen Rechtens gehalten wird. Immassen auch Ew. Lbd. Vorfahren als sie mit dem Hause Braunschweig wegen der Grafschafft Hohenstein strittig gewesen, aus dem jure aperturæ gar das jus territoriale behaupten wollen. Vid. Append. ad Contin. 16. Diar. Europ.

§. CCLXXXI.

Jus præsidii

Sicut servitus aperturæ pinguior est illa transitus, ita *jus præsidii* in castro & fortalitio alieno adhuc est pinguius illo aperturæ. Jus enim aperturæ non semper, sed in necessitatis saltem casu competit. At præsidii jus facultatem militem perpetuum in alterius castro habendi tribuit. Ita vi pacis Westphalicæ Gallis, post pacem Rysvicensem autem Imperio præsidii jus in Philipsburg competit, salvo jure territoriali Episcopi Spirensis. Sic & Elector Brandeburgicus, quamdiu Administrator Magdeburgicus erat superstes, illud in urbe Magdeburgensi exercuit. Hollandi habuerunt quondam jus præsidii in Ducatu Clivensi, per Gallorum invasionem anno 1672. extinctum. Trajectum ad Mosam ratione dominii pro parte ad Ordines fœderatos, pro parte ad Episcopum Leodiensem spectat, jus vero præsidii solis Belgis competit. Omnium vero illustrissimum exemplum præbet jus præsidii, quo Belgæ fœderati in finibus Belgii Austriaci gaudent, vulgo, Barriere,

riere, vi cujus non modo in vicinorum terris militem præsidiarium alunt, sed & pecuniam pro eodem alendo ex illis quotannis accipiunt, ita ut hic servitus & realis & personalis simul conspiciatur, realis, qua miles in territorio alieno collocatur, personalis, qua Respublica Belgica tanquam persona mystica annuos quosdam reditus ex illo territorio alieno accipit.

§. CCLXXXII.

Hactenus de servitutibus publicis affirmativis. Inter *negativas* e. c. est illa, ne quis in proprio territorio venetur. In primis autem eminet illa, quando quis vi pacti in suo territorio habere vel extruere fortalitium aut portum prohibetur. Memorabile hujus rei exemplum nostra memoria occurrit circa Dunquercam, quæ pace Ultrajectina anno 1713. Gallis quidem fuit relicta, ita tamen ut nec fortalitium nec portum unquam ibi haberent, sed utrumque destruerent. Simile in Imperio nostro exemplum præbet pagus Isselroda, qui pacto seu Recessu inter Electorem Moguntinum & domum Saxonicam anno 1665. inito, Moguntino cum superioritate, jurisdictione, jure Patronatus &c. relinquitur, hac tamen conditione, ne munimenta in eodem extruantur. Francofurtenses Comiti Solmensi 1569. pro tribus quartis pagi Niederrodt cesserunt Rœdelheimium hoc pacto, ne muniretur. Anno 1355. inter Cunonem de Falckenstein, Canonicum Moguntinum & civitatem tunc Imperialem Moguntinam pactum initum, ne Falckensteinius vicum Haselach muniret. Lubeca cum Joanne ejusque filio Henrico Ducibus Megapolitanis 1262. pepigit, ne in loco Darsove ejusque confinio usque ad oppidum Gnewesmolne munitio aut castrum unquam ædificetur. Nonnulli ei, qui in loco quodam jus conducendi habet, eo ipso vindicant jus prohibendi munimentorum extructionem. Sic cum Episcopus Spirensis Ludovicus in via, ubi Electores Palatini jus conducendi habebant, turrim ædificaret, Palatini desuper protestati sunt. Vid. Ausschreiben und Pfältzische Apologie, aus was Ursachen Chur-Pfaltz die Vestung Udenheim demoliret apud *Londorp.* Actor. publ. part. 1. L. 2. c. 17. p. 381. ubi hæ adducuntur causæ: Weil derselbe Tuhrn ihnen bey geschwinden fährlichen Läufften an dem freyen exercitio ihres Geleits Hinderung thue. Und

Servitutes negativa

obwohl derselbe von Pfaltzgraf Philip Bischoff Ludewigen Zeit seines Lebens verstattet, so ist doch dabey 1491. verabschiedet, daß derselbe zu Tag und Nacht unversperrt offen, auch nach desselben Bischoffs Tode der Pfaltz ihre Gerechtigkeit verbleiben, auch dawieder kein Jährig vorgewendet oder angezogen werden solle. Quodsi vero vi potestatis legislatoriæ, aut privilegii talis obligatio inducitur, tunc omne illud negotium ad servitutes non pertinere, mox monebitur, ubi nunc ad jura, quæ perperam servitutibus annumerantur, progredimur. Vid. Tit. sq.

§. 297.

TITU-

TITULUS III.

DE

Juribus perperam ad Servitutes Juris-publici referri solitis.

*　*
*

Ubicunque vel res serviens, vel pactum servitutem constituens deficit, ibi frustra servitus prætenditur.

§. CCLXXXIII.

Rem servientem necessario ad servitutem requiri, ipsa ejus indoles dictitat, quia scil. est jus in *re*. Pactum autem ad servitutem esse necessarium, nec sine eo ullam dari servitutem, inde colligo, quia servitus est jus in re *aliena*. Quippe cum quilibet rerum suarum sit moderator & arbiter, nemo in res alterius plus sibi juris regulariter vindicare potest, quam ipsi vi pacti est concessum. *Servitus rem & pactum requirit.*

§. CCLXXXIV.

Dixeris, non modo vi legis, sed & in casu necessitatis citra pactum alteri in alterius rebus jus esse posse. Quantum ad legem, respondeo, potestatem legislatoriam circa solas subditorum actiones, adeoque circa effectus quidem dominii versari, non autem circa dominium ipsum, quod legibus plane non subest, adeoque per eandem adimi aut servitute gravari nequit. Quodsi enim citra delictum Princeps subditis bona aufert, id non vi potestatis legislatoriæ, sed vi dominii eminentis in solo necessitatis casu fit. *an detur servitus legalis?*

Existente

Existente autem necessitatis casu opus non est, ut ad effictam quandam servitutem refugiamus. Quoties enim res domino, penes quem hactenus extitit, utilis saltem est, nobis autem absolute necessaria, toties jus nostrum alterius dominio est fortius, tunc proprio jure illam nobis durante necessitate vindicamus, ac desinit vel quiescit tantisper alterius dominium. Hoc autem sublato ne quidem concipi potest servitus, utpote jus in re aliena.

§. CCLXXXV.

An naturalis?

Deduci ex dictis facile poterit, quantus sit eorum jurium numerus, quorum apparatu servitutum realium scenam frustraneo ausu instruunt passim Doctores. *Joannes Nicolaus Hertius* in peculiari dissertatione de servitute naturaliter constituta, cum inter diversos populos, tum inter ejusdem Reipubl. cives, ad servitutes naturaliter inter liberos populos constitutas refert: 1) transitum per alterius territorium etiam cum exercitu, dummodo cautio de non nocendo præstetur, 2) transitum per mare & jus ad portum appellendi, 3) jus collocandi præsidia etiam in extera pacata regione, 4) jus utendi exteris navibus, 5) jus assiduas legationes in alia civitate habendi, 6) jus prohibendi, ne vicinus in suo territorio extruat. Servitutibus vero naturaliter inter ejusdem Reipubl. Cives constitutis annumerat: 1) servitutem aquæ recipiendæ, 2) aquæ ductus, 3) aquæ haustus, 4) itineris, actus, viæ, 5) non ædificandi per æmulationem.

§. CCLXXXVI.

An jurispublici universalis?

Commemorandus etiam est *Engelbrechtus* de Servitutibus Jurispublici, in quo Tractatu saltem de realibus servitutibus ex professo se acturum ait p. 77. Speciatim ad servitutes, quas vocat Jurispublici universalis, seu gentium refert jura in alieno territorio in casu necessitatis sine prævio pacto competentia e. c. jus pacatas regiones in casu necessitatis occupandi, præsidia eis imponendi &c. quæ tamen omnia in servitutum censum plane non veniunt.

§. CCLXXXVII.

An fortalitii in alieno?

Monui jam §. 284. jus necessitatis fortius esse alterius dominii jure. Qua in re cum omnes conveniant, in Logomachiam abire videtur, num jus pacatas regiones in bello occupandi servitutem, an aliter appellare velis?

lis? Sic & jus fortalitium in alieno solo habendi non-ens videri posset, cum absurdum sit, aream uni, alteri vero fortalitium in ea extructum tribuere. Imo etiamsi temporaria saltem munitio in alterius area extruatur, nihilominus etiam ad tempus illud, quo munitio durat, aream ad fortalitii dominum pertinere existimarem. Quodsi vero in hoc negotio servitutis vox præplacet, super voculis non erit disputandum, dum in re ipsa nullus supersit dissensus.

§. CCLXXXVIII.

Citra necessitatis casum non licere in alieno solo ædificare, manifestum; nec desinit solum esse alienum, etiamsi summa terra sublata, alia fuerit regesta. Quam veritatem cum quivis agnoscat, etiamsi eam haud docuisset *Labeo* in L. 24. §. 2. Dig. quib. mod. ususfr. amitt. facile apparet, quid sentiendum sit de extructione arcis Wartburg prope Isenacum anno 1050. facta, quam ex *Limnæi* Addit. ad Jpubl. L. 4. c. 8. n. 238. sequentem in modum refert *L. B. a Frisen* in dissertatione sub *Strykii* præsidio habita de jure Principis extra territorium c. 1. n. 110. Mons, in quo sita est arx, fuit Domini de Franckenstein. Sed cum in monte venaretur Ludovicus Salius, Thuringiæ Landgravius, arcis ibi ædificandæ cupiditas eum subibat. Ut autem dominium montis ad se transferre juris aliqua specie posset, nocturno tempore terram ex sua ditione finitima in eum portari jussit, ut in solo suo ædificare videretur. Hoc enim modo solum alienum suum facere conatus est. Dum ædificavit, accusatus est a vero soli domino coram Imperio. Is vero respondit, se ædificare in suo solo, idque se confirmaturum esse suo jure spopondit. Jussus est igitur testibus duodecim idoneis vel jurejurando rem probare. Invenit statim XII. equestris ordinis homines, qui cum eo conscenso monte enses suos in terram, quæ illuc congesta erat, figebant. Jurarunt igitur, se in terram Landgravii suos condidisse gladios, sicque obtinuit jus Landgravius quæsitum, cœptamque arcem ædificare continuavit. Sed prout plura omnino fabulosa de Ludovico Salio passim perhibentur, ita omnem hanc narrationem anilibus fabulis annumerare non dubitamus.

Exempl. Wartburg.

§. CCLXXXIX.

Illa præsertim opinio, quæ *legationum* jura servitutibus accenset, assensum passim invenit. Non modo *Hertius* loco §. 285. citato legationes assi-

Legationum jura.

assiduas servitutem vocat naturaliter constitutam: sed & *Engelbrecht* p. 64 servitutum juris publici universalis, seu gentium speciem in eo occurrere existimat, quod legatus non subsit jurisdictioni illius, ad quem mittitur *. Pariter autor libelli du droit des franchises des quartiers de Rome ou logent les Ambassadeurs de France p. 11 - 20. edit. Amstel. 1688. jus asyli legato Gallico in urbe Roma tanquam *servitutem* vindicat. Et *Kulpisius* de legationibus Statuum Imperii c. 19. §. 8. id, quod Electores sibi solis, exclusis Principibus, jus legatos primi ordinis seu Ambassiadores mittendi asserunt, quasi *servitutem* innuere, indeque pro juris hujus declaratione actione confessoria utili, econtra Principes, dum in libertate cujusvis generis legatos mittendi se fundant, actione negatoria experiri posse existimat.

* Ad ejus rei imitationem Principi in alieno territorio degenti jurisdictionem in suos domesticos recte vindicat *Fürstener* de supremate c. 6. frustra notatus *Schiltero* Inst. Jpubl. L. 2. T. 3. fin.

§. CCXC.

in servitutum numero non sunt.

Verum tamen ut taceam, ad necessitatem neutiquam pertinere, ut legatus jurisdictioni Principis, ad quem mittitur, non subsit, siquidem constat, *Agentes* subesse jurisdictioni eorum, apud quos agunt. Nec desunt exempla captivorum, qui tanquam legati nomine dominorum suorum de pace tractarunt cum iis, a quibus erant capti, ac quorum jurisdictioni sine dubio suberant. Interim licet majoris commoditatis & securitatis caussa plerumque nunc vi pacti, nunc consuetudinis legati eximantur a jurisdictione Principis, ad quem mittuntur, nihil tamen exinde juris in ipsum territorium acquiritur vel legato, vel ipsius principali, sed pro lubitu, quandocunque voluerit Princeps, legatum, ut ditione sua excedat, iterum jubere poterit. Deficiente autem in ipsum territorium jure, quomodo servitus concipi queat, non apparet.

§. CCXCI.

Nec l'entrée du Louvre.

Propius ad servitutum naturam accedere videtur jus illud, quo non modo legati exterorum sed & Principes tum exteri tum indigenæ vehendo

Regum

Regum aulas intrare. Sed cum hoc quoque jus non rei, aut areæ certæ inhæreat, ſed ubicunque Rex aulam inſtituit, indulgeatur, ad ſola ceremoniarum jura illud omne referri malim. Poteſt prorſus a finibus arceri legatus, at nemo in ſervitute impediri. Plane ab eo, qui jus aſſiduos legatos in noſtra civitate jure ſervitutis naturalis habere prætendit, pari jure ut noſtros recipiat legatos poteſt poſtulari, non quaſi detur ſervitus talis naturalis, ſed quia alter ſponte ſe obligatum profitetur.

§. CCXCII.

Ad aſyli jus quod attinet, cum legatorum comitumque ipſorum immunitas mere ſit perſonalis, nullum vero ipſis in ipſum territorium jus competat, rectius illud ipſis regulariter negatur, aut ſi expreſſa vel tacita quadam conventione indulgetur, ad pacta potius, quam ſervitutes revocatur. Kulpiſii denique ſervitutem Electorum mittendi privative legatos primi ordinis, tortuoſam nimis juris privati ad cauſas illuſtres applicationem ſapere, dudum ab aliis fuit animadverſum. Conf. *Engelbrecht.* p. 222. *Nec aſyli jus.*

§. CCXCIII.

Jura Majeſtatica quæ directe & principaliter in ſubditorum utilitatem vergunt, ex ipſa ſua natura ſervitutes eſſe non poſſe, exiſtimo. Quia enim primario ſubditorum utilitati inſervire debent, ſequitur, quod alii cuidam primario inſervire h. e. ſervitutis jure competere nequeant. Quo poſito nec res ad ſerviendum habilis, nec proinde pactum ſervitutem conſtituens, in hiſce juribus Majeſtaticis concipi poterit. Hinc quoties eadem alii, quam territorii domino, competere animadvertimus, cavendum ne ſervitutis jure eadem competere exiſtimemus. Dicendum potius erit, jura Majeſtatica, ſuperioritatem territorialem, imo ipſum forte territorii dominium inter plures eſſe diviſa, & quemlibet proprio jure in re propria, non autem ſervitutis in aliena gaudere. *Nec jura Majeſtatica.*

§. CCXCIV.

In hanc viam reducendus iterum eſt Engelbrecht. p. 114. ubi *jura Sacrorum* in alieno territorio e. c. Haſſiæ Landgraviis in Comitatu Solmenſi vi pacti, a Ferdinando II. Imperatore confirmati, competentia ſervitu- *Sacrorum*

 tibus

tibus accenset. Quod vero *Hertius* de specialibus Rom. Imp. Rebuspublicis Sect. 2. §. 35. Jurisdictionem Ecclesiasticam Papæ & Episcopis in territoriis Statuum Pontificiorum Secularium competentem ad Servitutes Jurispubl. refert, eo minus est ferendum, quo solidius ab ipsis etiam Pontificiis cordatioribus est evictum, non sine summarum potestatum præjudicio hanc sibi Pontifices jurisdictionem asserere.

§. CCXCV.

Legislatorium.

Ut superiori §. jura Sacrorum ita eandem ob rationem *jus legislatorium* in alieno territorio competens e servitutum Catalogo expungerem, quicquid contra laboret Engelbrecht. p. 125. & 118. ad servitutes referens, quod e. c. Hildesiæ in causis Ecclesiasticis Lutheranorum Ordinationes Brunsuicenses, & in pago Großen Badegast Ducatus Magdeburgici Ordinationes Politicæ Policey-Ordnung Principum Anhaltinorum sint observandæ. Fatetur quidem Dominus Engelbrecht, si universum jus sacrorum aut legum condendarum alicui in alieno territorio sit concessum, quod tunc Imperii sit particeps, sin quædam saltem horum jurium particulæ competant, tunc illas servitutum jure æstimandas esse. Sed respondeo, quantitatem nil operari; nec opus esse, ut imperandi jura æqualiter aut secundum insigniores ejusdem particulas dividantur, etiam inæqualiter & quoad minores quasdam particulas talem divisionem fieri posse, neque propterea servitutes fingendas, quæ præsertim quoad potestatem legislatoriam plane locum habere nequeunt, quia leges personis non rebus præscribuntur, & proinde palmarium servitutis requisitum, nimirum res serviens deficit.

§. CCXCVI.

Jurisdictio.

Simile de jurisdictione esto judicium, quæ sive civilis sit, sive criminalis, personas, non res respicit, neque adeo ad servitutes spectat, ad quarum tamen classem eam revocat *Ludolphus* Hugo de Statu Regionum Germaniæ c. 6. §. 15. Quodsi vero in uno pago alii jurisdictionis exercitium competit, alius vero pœnarum ac mulctarum commoda habet, quem casum excitat Engelbrecht. p. 138. tunc servitus quidem sed personalis nimirum ususfructus jurisdictionis adesse videtur. Jus supremæ in-

ſtantiæ ſeu recipiendi ex alieno territorio appellationes, quod ad ſervitutes trahit Engelbrecht p. 140. eodem jure, quo ipſa jurisdictio hinc ſeparatur. Eſt quidem jurisdictio non ipſa ſuperioritas territorialis, ſed ejus ſaltem pars. Interim id quod perhibent nonnulli, in iisque Burggravius de *Kirchberg* in diſſertatione de ſuperioritate territoriali in Allodiis Imperii. c. 1. §.21. jurisdictionem etiam in ſubditos alienos poſſe exerceri, cum grano ſalis accipiendum. Nam in iis paſſibus, quibus jurisdictio in alieno territorio exercetur, ii, in quos jurisdictio exercetur, eatenus omnino ſunt ſubditi, utut in aliis paſſibus alii ſubſint. Diſtinctio quam Dominus Burggravius affert inter Vogtbar & gerichtbar ita ut Vogtbar ſuperioritatem territorialem eique reſpondentem ſubjectionem involvat; gerichtbar vero ſaltem jurisdictionem, illa inquam diſtinctio perpetua non eſt, cum ſæpiſſime Vogteia ſit penes alium, qui dominus territorialis non eſt.

§. CCXCVII.

Privilegia cum nihil aliud ſint, quam exemtiones a lege, ex ipſo jure legislatorio merito dijudicantur, & pariter ac illud e ſervitutum claſſe eliminantur. In caſſum igitur laborat Engelbrecht dum ſervitutes effingit p.130. ex privilegiis Saxonis & Palatini, vi quorum ille buccinatorum in Imperio, hic fabrorum ærariorum in partibus Rheni, Sveviæ & Franconiæ eſt protector & judex it. p.219. ex privilegiis Civitatum Imperii e.c. Spirenſis, cui a Corolo IV. proviſum, ne cui intra tria milliaria circa urbem Spiram munimentum vel burgum erigere liceat, Norimbergenſis quæ intra unum, & Francofurtenſis ad Mœnum quæ intra 5. milliaria hoc jure gaudet, imo p. 17. omnia jura bannaria Zwang-Krüge, Zwang-Mühlen ꝛc. ſervitutibus realibus accenſet Engelbrecht, quæ tamen rectius ad privilegia revocantur. Quid enim quæſo juris habet molitor aut caupona in res incolarum, qui alibi molere aut cereviſiam emere, lege ſolas ipſorum perſonas reſpiciente prohibentur. Idem dicendum de furnis bannalibus. Quare cum res ſerviens deficiat, ipſa ſervitus deficiat neceſſe. *Privilegia.*

§. CCXCVIII.

Venatio & aucupium in alieno territorio competens, an in ſervitutum numero ſit, mire inter ſe diſſentiunt Doctores, adeo ut hoc in paſſu tot fere ſenſus, quot capita animadvertere liceat. Juris Romani Philoſo- *Nec venatio.*

 phiam

phiam si sequamur, expeditum satis est, hæc jura non servitutem, sed meram personalem obligationem, jus personale involvere. At Germaniæ moribus plerique servitutibus eadem annumerari contendunt. Ad quam vero servitutum classem referenda sint, iterum discrepant. Pauciores servitutibus personalibus eadem accensent. Quamvis enim magis personis quam rebus utilitatem afferant, non tamen aliis plerumque personis competunt, quam quæ rem certam habent. Hinc *Zasius* hæc venandi & aucupandi in alieno solo jura servitutes reales censet, & ita in Camera Imperiali judicatum testatur *Gailius*. At *Hugo* de Statu Regionum Germaniæ c. 6. §. 16. intermedium quoddam genus inter servitutes personales & prædiales putat, quia scil. non rei, sed personæ utilitatem afferunt, quod est servitutum personalium, nihilominus ad heredes transeunt, quod servitutum realium est. A qua sententia parum abest *Paurmeisterus*, dum hæc jura vocat realia innominata, seu juri civili Romano incognita. *Zoannettus* servitutem jurisdictionalem, *Engelbrechtus* p. 173. jus fundi dicere mavult, quod postremum quidem, *jus* scil. *fundi* in fundo *alieno* contradictionem involvere videtur.

§. CCXCIX.

At transitus?

Nobis si qualemcunque nostram sententiam subjicere licet, superius jam ostendi, jus Principum venandi privativum ex potestate legislatoria esse derivandum. Quodsi igitur Princeps subditorum uni fundum, alteri in eodem jus venandi concedit, hoc servitus non erit, sed privilegium. Sed quid in casu, quo alii extraneo, qui subditus non est, jus venandi Princeps indulget? Respondeo distinguendum est jus transitus a jure venandi. Jus transitus, sine quo venatio peragi nequit, servitus est, venatio ipsa non item. Deest enim in venatione res serviens. Princeps in feras nondum captas dominium non habet, ergo nec in iisdem servitutem potest constituere, secus ac in via, quæ Principis est propria ac proinde servitute ab eodem onerari potest. Hinc etiamsi Saxoniæ Duces in vicinis Erfurti sylvis vi pacti de 1665. & 1667. apud *Jrenicum* ad *Burgoldensem* p. 251. jus venandi habeant, frustra tamen hoc ab *Engelbrechto* p. 175. ad servitutes refertur. Accedit, quod Duces Saxoniæ hoc venandi jus a Moguntino teneant titulo feudi, de quo haud immerito dubitatur, an in servitute consistere possit? Feudum enim dominium proprium, servitus

jus

jus in re aliena involvit. Quam obrem servitus in feudum concessa servitus esse desinit, & in dominium minus plenum seu restrictum degenerat.*

* Jus sequelæ, vi cujus feram vulneratam in solum alterius sine clamore persequi licet, si ex pacto debetur, est species transitus restricti, & ad servitutes potest referri, secus ac in casu, quo ex lege debetur. Conf. Land-R. L. 2. art. 61. Jure Saxonico Electorali, ex quo sub 100. fl. pœna in alieno solo venari prohibitum, Doctores eo ipso jus sequelæ abrogatum existimant.

§. CCC.

Hæc occasione juris legislatorii attulimus. Parum abest, quin & jura vectigalium & collectarum ad jura Majestatica in subditorum utilitatem principaliter vergentia referamus, ideoque a servitutibus sequestremus. Interim cum hæc jura in imperantium potius, quam subditorum commoda cedere videri possint, non equidem refragabor, si collectas rerum intuitu solvendas, e. c. jus decimarum in alterius territorio competens, servitutibus non realibus quidem, at personalibus ac usufructui cuidam accensere velis. Certe collectæ, quæ personarum intuitu exiguntur, vix in servitutum censum veniunt, cum in iis res serviens desideretur. *An jure collectarum?*

§. CCCI.

Eandem ob rationem jus homagii, precum publicarum, patronatus, sequelæ die Heeres Folge, item Wildfangiatus, hominumque propriorum in alterius territorio competens intra solos obligationum personalium cancellos contineri velim, quæ tamen omnia Hugoni & Engelbrechto ad ornandam, quam extruxere, servitutum realium scenam inserviunt. Vid. *Hugo* c. 6. §. 15. & *Engelbrecht* l. c. & quidem de jure collectandi p. 168. 188. 193. de jure sequelæ p. 182. de jure homagii p. 122. de jure precum publicarum p. 116. de jure patronatus p. 191. de jure hominum propriorum in alius territorio p. 197. sqq. ubi horum jurium exempla multa erudite quidem, sed præter rem affert. Neque exinde, quod dominus territorii in quibusdam suis subditis jura hominum propriorum ab extraneo exerceri patitur, aut pati debet, protinus servitus realis conficitur, *Homagii.*

alias

alias enim toties quoties cum alterius subditis contrahitur, hique ex contracta obligantur, atque ab extraneo ad aliquid præstandum adigi possunt, eodem jure servitus effingi posset. Dixerim potius, quoad homines proprios in territorio alieno jurisdictionem inter territorii & hominum propriorum dominos esse divisam.

§. CCCII.

Advocatia armata. Servitutes publicæ in faciendo consistentes, quæ a nonnullis passim celebrantur, vel eo nomine e servitutum numero sunt eliminandæ, quod in genere faciendi obligationem servitutum indoli repugnare superius Tit. I. §. 259. ostensum. Hinc jus *Advocatiæ armatæ* & protectionis, quod *Magerus*, qui peculiari opera de eodem commentatus, servitutibus accenset, rectius ad fœdus inæquale refertur. Etenim nec clientibus absque protectoris consensu clientelam excutere licet, nec protectoribus defensioni invitis clientibus renuntiare, contra servitutis naturam, quæ remitti omnino potest. Nonnunquam etiam vi advocatiæ armatæ advocatum de summo imperio participare, recte monet sæpius laudatus *Engelbrecht* p. 216.

§. CCCIII.

Albergariæ. Albergariæ jus die Atzungs-Gerechtigkeit ad personalium obligationum classem revoco. Si enim consideratur intuitu eorum, qui præstare alimenta debent, in faciendo consistit, sin intuitu Principis, qui pati debet, ut tertius quidam in suo territorio hoc jus exerceat, tunc observari velim, hoc jus non ipsum territorium, sed personas subditas principaliter respicere, adeoque deficere rem servientem.

§. CCCIV.

Alia. Ferri hinc poterit judicium, quo jure auter Actorum Lindaviensium ex eoque Engelbrecht p. 140. in servitutum censum referat illam, qua Monasterium Lindaviense civitatis Lindaviensis patibulum & scalas reficere tenebatur, das Hochgericht und Galgen-Leiter zu unterhalten, item das Diebes-Stöcklein zu leiten & p. 119. quando in alterius territorio Ecclesia mater, in alterius autem Ecclesia filia existit, & hæc illi ad refectionem

tene-

tenetur, & p. 136. necessariam delinquentium remissionem it. p. 217. recognitionem concessi vel commercii vel jurisdictionis e. c. quod Norimberga in recognitionem commercii, ut vult *Limnæus*, seu jurisdictionis, ut scribit *Spangenbergius*, Argentoratensibus stato quotannis circa festum S. Joannis die mittere debeat einen breiten Degen, zween lincke Handschu von Leder, einen haselenen geschelten Stab bis auf den Handgriff, und eine Sonnen-Cron. Quanquam omnes has obligationes mere personales existimo, non tamen negaverim, eas etiam a personis mysticis civitatibus & Rebuspublicis posse cotrahi, eas tamen servitutem nullam realem inducere, ex ipsa hujus indole colligo. Certe in casu proposito recogniti commercii si servitutem admittere velimus, servire non foret dicenda Norimberga, quæ pro recognitione aliquid dat, sed potius Argentoratum, quod pati debet, ut Norimbergenses suum torritorium intrent, ibique merces suas divendant.

§. CCCV.

Ne vicinus extruat. Sed & ad negativas servitutes publicas nonnullas perperam referri deprehendo. *Hertius* jus prohibendi, ne vicinus in suo territorio extruat, vi servitutis naturaliter inter gentes constitutæ competere docet. Solo tamen pacti vel necessitatis jure illud niti, verius existimo. *Engelbrecht* in censum servitutum publicarum negativarum vocat p. 221. facultatem milites alendi, ad certum copiarum numerum restrictam, e. c. cum pace Travendalensi 1700. inita Daniæ Rex & Dux Holsato-Gottorpiensis promitterent, ut neutra pars ultra 6000. milites in Ducatu Slesvicensi alat. *Militem alat.* Mallem talia simpliciter gentium Principumque obligationibus annumerari, cum magis facta quam res respiciant, quo spectat κριτήριον passim a Doctoribus ad discernendas servitutes ab obligationibus aliis commendari solitum, ut distinguatur, num verba concessionis concepta sint in jus, an in factum e. c. concedo tibi jus transitus, vel permitto ut tibi transire liceat, priori casu in dubio servitutem & jus in re, posteriori obligationem saltem induci, utut alias non tam verba ipsa, quam mentem paciscentium, non tam quid scriptum, quam quid actum sit, respiciendum esse, facile largiar.

§. CCCVI.

Usus dictorum. Diligentius paulo hactenus veras servitutes a spuriis atque effictis distinximus, neque ut opinor frustra. Interest enim suo quodvis loco haberi.

beri. Quamvis quoad effectum videri posset, parum referre sive Princeps aut Respubl. ex nuda obligatione, sive servitutis jure teneatur, cum utroque casu jus contra successores ipsamque Rempubl. tanquam personam publicam, mysticam, ac nunquam emorientem persequi liceat. Aliqualis tamen accuratioris hujus distinctionis usus passim se exerit. E. c. in quæstione de jure victoris circa res hostium, post factam earum occupationem. Nam servitutes rebus istis inhærentes ipse etiam victor debebit, cum plus occupare non potuerit, quam habuerat antecessor. Jura autem vi potestatis legislatoriæ aut ex privilegio collata revocare omnino poterit, cum mutata regiminis forma penes victorem stet, in quantum pristinas leges, pristina privilegia abolere velit, necne? Porro usus hujus distinctionis cernitur in casu quo Princeps e. c. Imperii Germanici servitutem quandam, quam inter spurias retulimus, alteri constituit, si postea alienato forte territorio quæratur, num is, qui servitutem prætendit, contra territorii possessorem, an contra Principem ipsiusque heredes jus vel interesse suum persequi debeat.

TITULUS IV.

DE

Privatis Principum Servitutibus, iisque realibus.

* * *

Constituuntur illæ nec lege, nec casu fortuito, sed sola domini voluntate, ipsique rei inhærent, per cujus interitum, sicut & per renuntiationem, præscriptionem, confusionem &c. iterum amittuntur.

§. CCCVII.

Ubi jam constat, quænam servitutes publicæ sint, quæve minus, facilior de privatis Principum servitutibus evadet doctrine. Sunt illæ jura in re aliena privatæ Principum utilitatis causa constituta, seu ex quibus persona illustris privatam utilitatem immediate percipit. Hinc servitus maris, transitus, aperturæ, quas Tit. 2. publicis annumeravimus, quoties in privatam Principis utilitatem principaliter ac immediate tendunt, privatæ Principum erunt servitutes. Sicut enim supra de mari asseruimus, quod in privato Principis patrimonio esse queat, ita nihil obstat, quo minus in eodem & privatam servitutem constitui posse dicamus. Nec obstat L. 13. Dig. communia prædior. ubi dicitur, mari, quod natura omnibus patet, servitutem imponi *privata* lege non posse. Supponit enim mare nondum occupatum, ac dominii privati expers, prout ex §. 1. Inst. de Rer. divis. constat, Romanos mare rebus communibus accensuisse. At a Principe cum *Servitutes privatæ.*

occupari quædam maris pars, eaque privato ipsius dominio subesse possit, nihil prohibet, quo minus & servitus privata eidem a Principe imponatur.

§. CCCVIII.

Vel urbana vel rustica.

Utrum vero privatas maris, transitus, aperturæ servitutes ad classes peculiares revocare, an sub latiori viæ ambitu comprehendere velis, cum res sit methodi, eodem redit. Quamvis enim supra Tit. I. §. 264. divisionem servitutum in urbanas & rusticas ad servitutes publicas non quadrare dixerim, in privatis tamen Principum servitutibus eandem facilius admiserim, quia Principum quoque privata prædia, & versantia circa eadem negotia, in urbana & rustica adæquate satis distribui existimo. * Sicut igitur alias communiter ad rusticas servitutes, seu quæ prædio rusticum usum præstanti debentur, utplurimum referuntur iter, actus, via, aquæductus, aquæhaustus, pecoris ad aquam appulsus, jus pascendi (a quo differt jus compascui die Koppelweyde, quod nunc solo humanitatis, & precarii jure nititur, ac semper est revocabile, nunc mutuam pascendi complectitur servitutem, quæ communionem seu societatem involvit, a qua dimidiam pascuorum partem cedendo potest recedi **) lignandi, calcis coquendæ, cretæ, arenæ fodiendæ, lapides eximendi &c. ad urbanas vero, seu quæ prædio urbano debentur, servitus oneris ferendi, tigni immittendi, projiciendi, protegendi, subgrundiorum, altius tollendi, vel non tollendi, luminum, & ne luminibus officiatur, prospectus & ne prospectui officiatur, stillicidii & fluminis avertendi vel non avertendi, cloacæ immittendæ, fumi, positum non habendi: ita hæc omnia in privatis etiam Principum servitutibus usum præbere poterunt. At cum jura harum servitutum, & in quibus consistant ubivis in omnibus compendiis sint obvia, & ad nauseam usque tractata, eadem de charta in papyrum transcribere tædet. Breviter potius modum constituendi & amittendi, nec non effectus privatarum Principum servitutum attingemus.

* Utut id incommodi hæc habeat divisio, quod pro ratione prædii dominantis eædem servitutes, quæ rusticæ vocantur, fieri possint urbanæ, & urbanæ vicissim rusticæ. Quod tamen incommo-

commodum aliis quoque ſervitutum diviſionibus eſt commune propterea quod ejusmodi ſervitutum differentia eſt mere accidentalis. Unde una eademque ſervitus e. c. itineris, tranſitus, aperturæ modo realis, modo perſonalis eſſe poteſt, prout vel ad rem, vel ad perſonam eſt reſtricta.

** A jure paſcendi inſigniter adhuc differt jus ſtercorandi das Pfürch-Recht, da ein Nachbar gehalten iſt, des andern ſein Feld mit ſeinen Schafen zu düngen, quod ad ſervitutes & jura realia haud pertinet, cum deſit res ſerviens.

§. CCCIX.

Conſtitui privatas pariter ac publicas ſervitutes putamus ſola voluntate domini, vel mortis cauſa, vel actu inter vivos declarata, aut ex indiciis ſufficientibus præſumta h. e. præſcriptione. Sicut autem nemini de re diſponere eſt integrum, niſi qui ejus eſt dominus, liberamque ejus habet adminiſtrationem, ita hæc pariter ad effectum conſtituendi ſervitutes requiruntur *. Hinc a Principe ſolo in bonis domanialibus ſine ſtatuum conſenſu ſervitus conſtitui nequit. Princeps enim horum dominus non exiſtit. Econtra a ſubdito Principi in re plene ad illum ſpectante recte ſervitus per pactum conſtituitur. Supervacaneum quidem videri poſſet, ut Princeps, qui poteſtate legislatoria, & dominio eminente in ſubditum, ejusque bona pollet, demum mediante pacto ſibi ſtipuletur id, quod ſolo juſſu, cui refragari ſubdito eſt nefas, impetrare poterat. Et fateor omnino, Principi ſervitute opus non eſſe, quoties lege poteſt jubere, ut ſubditus publicæ utilitatis ergo in ſuo fundo aliquid vel omittat vel fieri patiatur. Sed ſi forte Princeps prædio ſuo privato, & qua privatus ſervitutem acquirere velit, id ſane nec vi poteſtatis legislatoriæ, nec dominii eminentis, ſed mediante ſolo pacto fieri debet.

Conſtituuntur voluntate domini.

* *Engelbrecht* p. 81. ad conſtitutionem ſervitutum Jurispubl. præterea requirit, ut Majeſtas aut ſuperioritas territorialis ſit penes conſtituentem, quia ſcil. ſervitutes Jurispubl. vocat illas, quæ ex publico territorio debentur, de hoc autem nonniſi ei qui Ma-

jeſtate pollet diſponere licet. Quo poſito ſequeretur, ſervitutem *privato* in publico territorio conſtitutam juris *publici* eſſe, quod cum incongruum videatur, Tit. 2. §. 266. monuimus, ſervitutes rectius dici publicas ratione utilitatis, quam præbent, adeoque are dominante, non ſerviente, ut proinde publica ſervitus ſit, quæ territorio publico debetur. At talis etiam eſſe poteſt quæ debetur in prædio privato, unde & a privato Majeſtatem non habente publicam ſervitutem conſtitui poſſe contendo. Imo ipſe Engelbrecht p. 184. ſervitutibus Jurispublici annumerat illam, qua Miles de Lichtenſtein in caſtro Kropfsberg Aperturæ ſervitutem Spirenſibus 1281. conſtituit, cui tamen Majeſtatem aut quicquam eidem analogum competiiſſe, nemo ſibi perſuadebit, cum eo tempore ne Comites quidem ſuperioritate territoriali gaviſi ſint.

§. CCCX.

Etiam a privato.

Imo exiſtere poteſt caſus, ubi *publica* ſervitus Principi bonisque domanialibus a ſubdito mediante pacto conſtituitur, ſi ſcil. forma Reipublicæ eſt mixta, & poteſtas legislatoria non penes ſolum Principem exiſtit, ſed cum ſtatibus eſt communicata. Sic cum aliquot abhinc annis Regiæ in Anglia familiæ moleſtum eſſet, quod, quoties in horto Kenſingthoniano animi recreandi cauſa obambularet, ex ædibus viciniis a ſubditis curioſe nimis obſervaretur, cumque nimios forte ambages Senatus conſultum Regni deſuper conficiendum (eine Parlaments-Acte) requiſiviſſet, huic incommodo medela afferri potuiſſet mediante pacto cum incolis inito, & ſervitute non proſpiciendi ædibus impoſita. Sed tunc quidem faciliori adhuc via nimiæ huic vicinorum curioſitati occurrebatur, murum videlicet horti Kenſingthoniani altius tollendo, eoque ipſo vicinis proſpectum adimendo.

§. CCCXI.

Vaſallo.

Vaſalli cum dominium minus plenum ac utile ſaltem habeant, quæri de iis ſolet, an valide in feudis ſervitutes conſtituant? Certum ſatis eſt, eos in præjudicium domini directi & agnatorum citra horum conſenſum feuda deteriorare aut oneribus gravare non poſſe. Interim cum pacta

ejus-

ejusmodi de ſervitute conſtituenda rem ipſam ac utile ejus dominium afficiant, atque heredes imo & ſucceſſores ſingulares e. c. emtorem obligent, etiamſi ipſe dominus a Vaſallo dominium utile emat, vid *Horn.* Jurisprud. feud. c. 10. §. 5. & 6. haud forſan male dicetur, per tale pactum conſtitui jus in re, ſed revocabile, quodque expirat, ſimul ac ſtirps Vaſalli deficit, feudumque agnatis vel domino aperitur. Conf. 2. feud. 8. utut L. 4. Dig. de ſervit. neget ſervitutem ad tempus aut ſub conditione poſſe conſtitui.

§. CCCXII.

Non autem uſufructuario.

Uſufructuarium ſervitutem ne acquirere quidem poſſe ob deficiens fundi dominium, L. 15. §. ult. Dig. de uſufr. multo minus conſtituere, expeditum. At proprietarium, uſufructuario conſentiente, recte conſtituere ſervitutem hodie plerique largiuntur, utut cit. Lex 15. in fin. diſerte ſtatuat, proprietatis dominum ne quidem conſentiente fructuario ſervitutem imponere poſſe, forte ob ſubtilem nimis rationem L. 165. de Reg. Jur. quod qui non poteſt alienare, non poſſit alienanti conſentire. Sufficit enim, uſufructuarium per conſenſum ſuum removere impedimentum, quod antea obſtabat proprietario, quo minus ſervitutem imponere potuerit.

§. CCCXIII.

Nec a lege.

Sententiæ noſtræ, qua ſola domini voluntate ſervitutes tum publicas tum privatas conſtitui aſſerimus, graviter adverſatur *Engelbrecht*, dum lege pariter ac caſu fortuito easdem conſtitui poſſe contendit. Lege dum ſervitutem imponi aſſerit, ſequitur JCtos Tubingenſes apud *Harprechtum* Conſil. 72. provocatque ad L. ult. §. 1. Cod. de ſervitutibus, ubi lege ſancitur, ne ita ædificetur, ut acceſſus venti ad aream, & conculcatio fructuum impediatur. Neque in Imperio noſtro exempla deeſſe putat ſervitutum publica lege Statuum territoriis impoſitarum. Trahit huc privilegium Caroli IV. Spirenſibus indultum, ne cui circa urbem Spirenſem per tria milliaria caſtrum extruere liceat: item quod in Inſtrum. Pac. Gallico Regi Galliæ jus præſidii in Philipsburg ditionis Spirenſis conceſſum,

§. CCCXIV.

§. CCCXIV.

Obj. 1. Hæc tamen omnia id, quod in controversia est, probare haud videntur. Potestas enim legislatoria circa solas subditorum actiones versatur, non circa res, quibus proinde servitutes imponere nequit. Neque L. ult. C. de servit. prohibitionem de non impediendo venti accessu ad vicini aream servitutibus annumerat, sed saltem dicit, aliquem vicinum suum vetasse, ita ædificium extollere juxta aream suam, ut ventus excluderetur, unde id confici quidem poterit, quod vetans hic prætenderit servitutem altius non tollendi. Sed cum animadverteret Imperator, talem citra constitutionem, quæ h. l. deficiebat, competere non posse, nihilo secius publicæ rei interesse, fructus salvos servari, lege succurrendum, ædificiisque modum ponendum censuit, quod tamen simpliciter ad potestatem legislatoriam, neutiquam vero ad jus quoddam reale, aut servitutis constitutionem est referendum.

§. CCCXV.

Obj. 2. Nonnulli servitutem legalem sibi reperiisse videntur 2. feud. 27. §. ult. ubi hæc Friderici I. Imperatoris reperitur lex: Quicunque per terram transiens equum suum pabulare voluerit, quanto propinquius secundum viam stans in loco amplecti potuerit ad refectionem & reparationem equi sui impune equo porrigat. Licitum sit etiam ipsi, uti herba & viridi sylva, & sine vastatione aliqua quilibet utatur pro sua commoditate & usu necessario. At cum nullum certum prædium serviens tali casu adsit, facile patet, nec servitutem pascendi adesse, ac proinde omnem hanc legislationem æque ac illam Deut. XXIII. 24. 25. supponere casum necessitatis ex defectu diversoriorum ortum, qui cum hodie cesset, ipsæ hæ leges quoque cessant, ac etiamsi adhuc obtinerent, nullam tamen servitutem constituerent.

§. CCCXVI.

Obj. 3. Similiter in Imperio nostro Imperator olim vi potestatis legislatoriæ, qua tunc gaudebat, eximere a lege, ac privilegia concedere potuit, quale est illud Spirensium, quod tamen eo ipso, dum privilegium est, atque a legislatoria potestate pendet, servitus esse nequit. Conf. Tit. 3. §. 297. Denique in casu necessitatis imperanti dominium eminens competere, facile

cile largior, & cum *Grotio* L. 1. c. 1. §. 6. majus agnoſco in res ſingulorum dominium Regis ad bonum commune, quam dominorum ſingularium, ſed eo ipſo quod Rex tunc eſt dominus talis rei, eidem tanquam propriæ, non autem tanquam alienæ, vi pacti, non vi legis ſervitutem imponit. Conf. Tit. 3. §. 284. Ceterum in medio relinquo, num adductum exemplum Philipsburgenſe huc quadret. Non enim vi dominii eminentis jus præſidii Epiſcopo Spirenſi Imperator ademiſſe pace Weſtphalica videtur, cum alias ceſſante neceſſitate, ac Philippoburgo per paces Neomagenſem, Rysvicenſem & Badenſem Imperio reſtituto jus illud præſidii ad Spirenſem redire debuiſſet, quod tamen penes Imperium remanſiſſe inter omnes conſtat.

§. CCCXVII.

Alii in iisque *Heineccius* in Elementis juris civilis ſecundum ordinem Pandectarum part. 2. §. 156. ut probent, ſervitutes ex neceſſitate a judice conſtitui, damnato altero, ut pretium ſolvat, provocant ad L. 44. §. ult. Dig. de legat. 1. quæ ita ſonat: Si duos fundos habens teſtator alterius mihi uſumfructum, alterum Titio leget, aditum mihi legatarius non debebit, ſed heres cogitur redimere aditum & præſtare. At in hac facti ſpecie ſervitus non demum a judice aut lege ſed ipſo teſtatore tacite conſtituta videtur, dum uſumfructum legat, qui ſine ſervitute percipi nequit. Non igitur de conſtitutione ſervitutis eſt quæſtio, ſed de eo ſaltem, an redimere eam debeat heres? Et condemnatur heres ad redemtionem, quia ſi in hereditate eſſet fundus, per quem fructuario poteſt præſtari via, ſecundum voluntatem defuncti videtur id exigere ab herede. Quare & in hac ſpecie ſervitutem ejusve redemtionem præſtet heres, nec aliter concedat Titio fundum vindicare, niſi prius jus tranſeundi uſufructuario indulgeat. L. 15. Dig. de uſu & uſufr. legatis. Paulo diſſimilis eſt facti ſpecies in L. 41. Dig. de ſervitutib. præd. urban. Sic & in caſu L. 1. §. 2. Dig. ſi uſusfr. petatur, ſervitus a teſtatore non lege conſtituta. Arbiter ſeu judex familiæ erciſcundæ in L. 22. §. 3. Dig. fam. erciſc. & L. 7. §. 1. Communi divid. ſervitutem ex partium voluntate ipſorumque nomine conſtituit: non ex legis neceſſitate. Nam poſſet & aliter pro arbitrio familiam erciſcere. Proprie per ſententiam non debet ſervitus conſtitui, ſed quæ eſt declarari. L. 8. §. 4. Dig. ſi ſervitus vind. *Obj. 4.*

§. CCCXVIII.

Nec casu fortuito.

Casu ut probet Engelbrechtus servitutem constitui posse, talem supponit p. 278. ubi quis ipsum territorium allodii, quædam autem Regalia in eodem feudi jure tenet, tunc domino mortuo, si territorium ad heredes allodiales, Regalia autem tanquam feudum ad successores feudales, aut dominum directum transeunt, vel ab hoc tertio cuidam conceduntur, tunc ait habere successores feudales servitutem in illo allodio, hancque fortuito mortis casu esse constitutam. Sed opus non est, servitutem hic fingere, & rectius sine dubio dicitur, superioritatem territorialem ibi inter plures esse divisam, mixtam adesse regiminis formam, quemvis proprio jure in re propria non in aliena, quod ad servitutem requiritur, gaudere.

§. CCCXIX.

Nec in re derelicta.

Ei, quod diximus, sola domini voluntate servitutem constitui est consequens in re nullius e. c. derelicta, servitutem constitui non posse. Sed in eadem servitus aliter quam per præscriptionem obtineri nequit, quippe quæ præsumtionem juris quondam cessi justeque acquisiti continet. Ipsum igitur dominium in re derelicta facilius per solam scil. occupationem acquiri poterit, quam servitus.

§. CCCXX.

An traditio ad servit. constit. necessaria?

Quodsi domini de servitute constituenda voluntas mediante pacto est declarata, naturali jure, quo ad ipsum dominium transferendum traditio necessaria non est, non modo jus ad rem seu obligatio, sed ipsum etiam jus in re est acquisitum. In Germania vero, ac ubi vi legum Romanarum traditio ad dominium acquirendum requiritur, ad jus servitutis reale acquirendum quasi traditione opus est (nisi per ultimam voluntatem transferatur, tunc enim ipsum jus reale statim ipso jure citra traditionem transit:) Unde accuratius res sic effertur, acquiri servitutem sola promissione (olim jure Romano contractu vel pacto legitimo) at constitui quasi-traditione, quæ in affirmativis fit usu & patientia, in negativis autem ipso pacto, ita ut tunc promissio & constitutio servitutis coincidant. Quare in possessione servitutis negativæ statim quis esse dici pote-

poterit, ſimulac eſt promiſſa & acceptata, quia ipſum hoc negotium involvit prohibitionem, in qua alter acquievit, hanc vero ſervitutum negativarum poſſeſſionem operari extra controverſiam eſt poſitum.

§. CCCXXI.

Effectus ſervitutum, præcipue realium, in eo conſiſtit, ut ipſam rem afficiant, eique conſtanter inhæreant, adeo ut cum eadem, quomodocunque transferatur, tanquam onera realia ſemper tranſeant. Hinc per ſervitutis conſtitutionem dominium prædii ſervientis quodammodo imminui, ejusque partem inde decerpi, ac rei dominantis poſſeſſori attribui, vulgo aſſeritur, accuratius tamen loquendo non tam dominii particula ad dominum rei dominantis transfertur, quam ſaltem effectus quidam dominii delentur, atque imminuuntur. Unde & ei, cui ſervitus conſtituta ſola actio confeſſoria indulgetur, nulla autem rei vindicatio, quæ neceſſario competere deberet, ſi de ipſa dominii particula participaret. Qua in re magis nos confirmat, quod dominium proprie ſaltem de rebus corporalibus prædicatur, de incorporalibus autem nonniſi abuſive ac improprie. *Servitutum effectus.*

§. CCCXXII.

Media, quibus ſervitutum jura perſequi licet, vel petitoria vel poſſeſſoria ſunt. Ad petitorium ſpectat actio confeſſoria, qua actor probat, ſibi ſervitutem competere, ſeque in ejusdem uſu a reo impediri, cui opponitur negatoria, in qua actor deducit, reum ſervitutem prætendere, quodſi autem in libello ſimul aſſerit, reum in quaſi-poſſeſſione ſervitutis eſſe, tunc pro reo præſumitur, & actor vitium poſſeſſionis probare tenetur, cum alias reo incumbat probare, quod ſibi ſervitus competat, utut in praxi potior dominii quam poſſeſſionis ratio haberi, ac etiam reo ſervitutem quaſi poſſidenti probatio juris ſibi competentis injungi, & donec illa fuerit peracta pro libertate prædii, ejusque domino pronuntiari ſoleat, quia nimirum actio negatoria ad petitorium pertinet, & in eadem non de ſola poſſeſſione eſt quæſtio. *Actio confeſſoria & negatoria.*

§. CCCXXIII.

In poſſeſſorio ſervitutum intuitu dantur notiſſima illa remedia adipiſcendæ, retinendæ & recuperandæ poſſeſſionis. Ubi ſupponi velim id, quod *Remedia poſſeſſoria,*

quod alibi deducetur, naturali jure potius censeri jus possessoris ultimi, quam pristini domini, civili econtra domini antiqui potius quam possessoris præsentis. In possessorio sufficit probasse possessionem & adversarii turbationem. Quoad publicas servitutes, & ubi de Regalium possessione quæritur, *Engelbrecht* p. 383. simul requirit justificationem tituli, qua tamen opus non esse videtur. Nulla quippe apparet ratio, quare ibi minor esse debeat nudæ possessionis favor, quam in aliis rebus, dummodo possessio illa fuerit quieta, nec turbulenta. Hinc quoties titulus simul in possessorio allegatur, illud non tam de necessitate, quam solius possessorii colorandi causa fit.

§. CCCXXIV.

Actio finium regundor. Novi operis nuntiatio.

Denique ad tuendas servitutes conducere utilem finium regundorum actionem ad definiendos jurium limites, Weid-oder Huth-Steine, Zehend-Steine, Geleit-Steine, Geleit-Seulen, ostendit *Engelbrecht.* de servitutibus Jurispubl. p. 399. nec non novi operis nunciationem, quæ alias cum remediis possessoriis magnam affinitatem habet. Præjudicia hanc in rem vide apud Engelbrecht. l. c. p. 390. sq. Inter ipsas liberas gentes novi operis nunciationem adhibitam, novissimum testatur exemplum Gallo-Britannicum. Cum enim Galli portum Dunquercanum contra tabulas Pacis Ultrajectinæ restaurarent, novum opus 1730. Gallis nunciabant Angli per Colonellum Armstrong, quo facto a cœpto labore statim destiterunt Galli.

§. CCCXXV.

Amittitur servitus Renuntiatione,

Inter modos amittendi servitutes *primo* loco merito referimus *renunciationem* domini rei dominantis. Sicut enim voluntate domini rei servientis servitutum jura constituuntur, ita nihil est convenientius, quam ut contraria ratione, voluntate nimirum domini rei dominantis eadem iterum dissolvantur & amittantur. Nihil autem interest, sive hæc domini voluntas sit expressa, sive tacita, sive denique præsumta.

§. CCCXXVI.

Præscriptione,

Unde *secundo* loco inter modos amittendi servitutes ponimus *præscriptionem*, quæ jure Romano ad 10. annos inter præsentes, 20. inter absentes,

tes, jure Saxonico indiſtincte ad 31. annos, 6. ſeptimanas, tres dies eſt adſtricta. Cum autem ad præſcriptionem termini habiles præſupponendi ſint, ac regulariter ſolo non uſu jura non amittantur, ſed præciſe requiratur, ut prohibitus fuerit uſus, ac alter in illa prohibitione acquieverit, hinc videri poſſet, & ſervitutes ſolo non-uſu ne longiſſimo quidem tempore amitti, cum res ſit meri arbitrii, num quis jure ſuo uti velit nec ne? At enim vero id, quod dicitur, ſolo non-uſu jura non amitti, ad ſolas res meræ facultatis reſtringendum, de quibus infra L. 4. T. 4. §. 496. Unde Doctores recte docent, ſervitutes affirmativas non-uſu, negativas vero facto contrario amitti, quod ii, qui ſervitia ſervitutibus accenſent, eousque extendunt, ut contra eum, qui pro ſervitiis tempore longiſſimo uniformem pecuniam ſumſit, jus ſervitiorum præſcribi aſſerant. Conf. *Kœppen.* deciſ. 13.

§. CCCXXVII.

Confuſione,

Tertio ſervitus extinguitur *confuſione*, ſi utriusque rei dominantis & ſervientis idem ſit dominus, tunc enim deſinit res aliena, quam ſervitus omnis ſupponit. Bene autem monet *Engelbrecht* p. 442. ad extinguendam ſervitutem publicam non ſufficere, ſi territorium ſerviens & dominans uni Principi ita forte ſubjiciantur, ut quodlibet ſeparatas retineat rationes, ſed præciſe requiri unionem & conjunctionem, quæ fit ad unum ſummum imperium h. e. *incorporationem.* Quod vero nonnulli ex L. 18. Dig. de ſervit. evincere cupiunt, reviviſcere ſervitutem per dominiorum unionem confuſam, ſi alterutrum iterum alienetur, id inquam vel plane falſum, vel civile ſaltem eſt, nec ad ſummos Principes pertinet. Denique totali rei interitu ſervitutem tolli, res ipſa loquitur. Sublato tamen ædificio eoque poſtea reſtituto, ſervitus redit, quia areæ inhæſiſſe videtur. Conf. L. 20. §. 2. Dig. de ſervit. urb. præd.

§. CCCXXVIII.

Juſſu ſuperioris.

Coronidis loco meminiſſe juvabit calliditatis, qua Lubecenſes aboleverunt jus aperturæ, quod habebat Epiſcopus, dum quotiescunque & quo tempore vellet, per certam portam egredi & ingredi poſſet. Cum enim Carolus IV. Imperator 1375. urbem intraret & per decendium ſplendidiſ-

 ſime

ſime a civitate haberetur, & dein per eandem portam, aperturæ ſervitute Epiſcopo obnoxiam, egrederetur, opportuna hæc videbatur Senatui occaſio amoliendi ſervitutis onus. Nam precibus a Cæſare impetrabat poteſtatem, lapidibus obſtruendi portam, quam itinere ſuo honoratam & ſanctam reddiderit, ne ullius infra Cæſarem poſiti itu redituque quaſi profanaretur. Quo ipſo callide jus Epiſcopi ſub ſpecioſa Cæſarei cultus & obſequii allegatione eludebant. Vid. Autor Apologiæ Electoralis contra civitatem Colonienſem.

TITULUS V.

DE

Servitutibus Perſonalibus.

* *
*

Et habitationis, & uſus, & uſusfructus jura Principibus recte quidem applicantur, cavendum tamen, ne Princeps tanquam Reipublicæ uſufructuarius per omnia conſideretur.

§. CCCXXIX.

Servitutes Perſonales.

Lustravimus ſervitutes reales, quando nimirum res rei ſervit. Accedamus ad perſonales, quando res perſonæ ſervit, quæque hoc ipſo differunt a ſervitutibus perſonarum, quando perſona perſonæ ſervit. Dum autem ſervitutes perſonales perſonis deberi dicimus, non excludimus perſonas myſticas integrasque Respublicas, utpote quibus eorumque membris pariter ſervitutes perſonales concedi poſſunt. Illuſtre hujus rei exemplum ſupra

supra tit. 2. §. 281. de Republica Belgica adduximus, cui annuus quidam ususfructus pro militibus præsidiariis alendis Barriere-Gelder ex Belgio Austriaco debetur.

§. CCCXXX.

Servitutes personales omnes commode ad tres classes revocantur, habitationem, usum, & usumfructum. Quarta enim, quæ olim addi solebat, servitus operarum seu jus omnem utilitatem ex operis servi alieni percipiendi cessare hodie videtur, cum servi ac subditi, imo & homines proprii rectius personis, quam rebus annumerentur. Adde dicta Tit. I. §. 261. *triplicis sunt generis.*

§. CCCXXXI.

Dicitur autem *habitatio* die Wohnung, jus omne emolumentum ex habitatione alienarum ædium percipiendi, *usus* der Gebrauch jus rebus alienis ad suam necessitatem ac utilitatem utendi, *ususfructus* denique die Nutz-Niessung jus omne commodum ex re aliena percipiendi. * Differentia horum jurium ex vocum significatione & quotidiano earum usu videtur repetenda. ** Ita autem Justinianus in Tit. Inst. de usu & habitatione distinguit, ut minus sit juris in usu quam in usufructu, nam is qui usum habet, in suum saltem usum quotidianum uti debet, at qui usumfructum habet, suum jus & alii locare, cedere potest. Ab habitatione autem usus ita differt, ut pinguior quidem sit habitatio usu eo, quod habitator etiam alteri locare ædes possit, cui vero usus concessus ipse saltem eodem uti possit. §. 5. Inst. de usu & habitat. inquilinum tamen recipere, non vero seorsim ac sine se locare. L. 8. Dig. eod. At vicissim usus pinguior est habitatione eo, quod & in aliis rebus quam ædibus, habitatio autem in solis ædibus constituatur, item quod usus ad omnem necessitatem & utilitatem etiam ultra habitationis emolumentum referatur. Hinc habitatorem pecora alere, frumentum in areis reponere non posse, præjudicio firmat *Titius* ad Lauterbach. Obs. 237. ibi: daß der habitator nicht weiter denn zur Wohnung, nicht aber zu Haltung Viehes, wie auch Einerndnung und Einbringung Futters in die Scheuern berechtiget. Facile autem animadvertitur, respiciendum hic esse ad conditionem habitatoris. Illustri quippe habitatori *Habitatio, Usus & Usufruct.*

bitatori denegari facultas jumenta alendi, Kutsch und Pferde zu halten, non poterit.

* Dici solet hic ususfructus *formalis* a proprietate separatus, ad differentiam *causalis*, qui competit in re propria & est effectus dominii, non autem servitus. Vid. Lib. 1. Tit. 16. §. 195.

** Exerit se illa inprimis in Reservato, dem Auszug, ubi ad cognoscendam negotii indolem probe ad verba, quidque actum sit, respiciendum. Describitur reservatum generatim per jus reale in plena rei translatione nominatim exceptum. Variare id multis modis potest. Nunc reservatur *particula* fundi, & tunc reservans habet dominium. Nunc saltem *ususfructus* in particula reservatur, & tunc reservans domino invito illam ingredi & fructus auferre potest. Sin *soli fructus* certi reservati, hi actione quidem reali possunt peti, non autem propria autoritate decerpi & auferri. Nec in sterilitatis casu plus, quam perceptum, præstatur, quia licet post emtionem perfectam casus spectet ad emtorem, reservatum tamen non ex personali obligatione debetur, sed realiter ex prædio, arg. L. 39. §. 1. Dig. de Contr. emt. A cautione, quam usufructuarius præstat, reservans, vel mansionarius aut alimentarius est immunis. Cautio autem Mutiana locum habet, si reservatum sub conditione perpetuæ viduitatis relinquitur. *Alimenta* reservata cedi tertio nequeunt, secus ac fructus certi reservati. Si *habitatio* reservata, cedi & locari potest, multoque magis habitator inquilinum potest recipere, quod nec usuario negatur. L. 2. & 4. Dig. de Us. & habit. Qui *usum* ædium sibi reservat, uxorem retinere, eademque mortua aliam inducere potest. Nam qui uni conjugi usus reservatus, etiam est alteri ob individuum vitæ consortium. Imo conditio reservato addita, si a viro divortisset uxor, pro non adjecta habetur. L. 8. §. 1. Dig. de usu & habitat. Qui *solas præstationes annuas* (sine addita mentione reservati vel simili e. c. aus dem Guthe) simpliciter sibi stipulatur, solam personalem obligationem, non autem reservatum habet.

§. CCCXXXII.

§. CCCXXXII.

Neque dubitandum, omnes has servitutes inter Principes quoque & illustres personas frequentari. Usum & habitationem præsertim viduis illustribus sæpissime constitui, quotidiana docet experientia. Aliquando etiam usus saltem restrictus indulgetur, quo referrem jus aperturæ personæ certæ concessum, cujus exemplum in Ludovico V. Palatino hoc jus a Spirensibus impetrante vidimus Tit 2. §. 279. Sed & ususfructus Principibus passim constitui animadvertitur. Illustre exemplum suppeditat Instrum. Pac. art. 14. in Christiano Wilhelmo Brandeburgico Friderici Electoris Brandeburgici filio & Administratore Magdeburgensi. Hic quod bello Danico arma contra Cæsarem tulerat, proscriptus erat anno 1628. Pace Pragensi 1635. Magdeburgensis Archi-Diœcesis cesserat Augusto fratri Joannis Georgii Electoris Saxoniæ, in qua transactione Cæsar Christiano Wilhelmo pactus erat 12000. thl. ex Archi-Episcopatu quotannis solvendos. In dicto autem art. 14. loco illius pecuniæ substituebatur ususfructus in cœnobio Zinna & Præfectura Loburg, verbis: conventum est, ut cœnobium & præfectura Zinna & Loburg dicto domino Marchioni statim tradantur cum omnibus pertinentiis & omnimoda jurisdictione, solo territorii jure excepto, atque his præfecturis idem Marchio *utatur fruatur* ad dies vitæ absque ulla rationum redditione. Hactenus Instr. Pac. Mortuo igitur Christiano Wilhelmo anno 1658. ususfructus hic fuit extinctus, ceu pluribus rem omnem exponit *Oldenburger* ad Instr. Pac. part. 3. disc. 17. *Exempla usus fruct. illustr.*

§. CCCXXXIII.

Sic etiam viduarum illustrium dotalitium, imo mariti jus in dotem uxoris, item Apanagium in terris constitutum usumfructum esse, suis locis sigillatim deducetur. Et contributiones rerum intuitu solvendas, decimasque ususfructus naturam sequi, dixi Tit. 3. §. 300. Quidquod plerique eousque progrediuntur, ut Principem Reipublicæ faciant usufructuarium, & domania definiant per usumfructum certarum possessionum Principi ad tuendum dignitatis splendorem tributum. Quæ tamen cum grano salis accipi velim, quo spectat illud *Bodini* de Republ. L. 6. c. 2. p. 1001. minus juris Principi in bona publica tribuentis quam marito in dotem, quoniam *Princeps Reipubl. usufructuar.*

maritus dotis fructibus abuti suo jure potest, L. 30. C. de jure dotium, Principi vero publicæ dotis fructibus uti quidem licet, abuti non licet. Pro confirmanda hac sua sententia Bodinus inter alia exempla subjicit illud Antonini Pii, qui nihil de fructibus prædiorum publicorum ac Vectigalium in privatos usus convertit. Interim Principem in dubio fructus fisci ac territorii pleno jure sibi acquirere dixi & confirmavi L. 1. T. 4. §. 57.

§. CCCXXXIV.

durante regimine. Alii plus juris Principi circa domania tribuunt quam usufructuario. Hunc enim ajunt fundi faciem mutare non posse, nec fundum invito domino meliorare aut deteriorare. Conf. *Hellfeld* de restricta illustrium alienandi facultate p. 25. At enim vero ad ejusmodi angustias ne privatum quidem usufructuarium, nedum Principem constringendum existimo. Conf. §. 340. Quod ex L. 13. 44. & 73. Dig. de usufructu vulgo exsculpitur, usufructuarium rem in aliam meliorem formam mutare non posse, ita capiendum, quod meliorationum nomine nil reposcere queat. L. 13. §. 5. Dig. de usufr. L. 7. §. 13. solut. matrim. Plane *Leyserus* Meditat. ad Dig. Specim. 50. medit. 9. ipsum dominium omne, nisi quod pacto exceptum, in Monarcham translatum existimat. Quod populus in Republica libera potuit, id postquam ad unum imperium translatum est, hunc unum jam posse. In regno patrimoniali dominium Regi posse tribui, facile largior. At in nonpatrimoniali imperium atque regendi potestas in Regem translatum, dominium non item. Quodsi domania sunt bona Principis familiæ & mensæ destinata, contra ipsorum indolem foret, plenam de iis statuendi facultatem Principi tribuere. Quamobrem nil impedit, quo minus Principem domanialium usufructuarium dicamus.

§. CCCXXXV.

post abdicationem. Ad usumfructum quoque referri possunt præstationes, quas Principes imperio abdicantes sibi reservant. Christina Sueciæ Regina ducenta millia Imperialium sibi assignari voluit. Cassimirus Polonorum Rex trecenta fere millia florenorum ex regni proventibus sibi reservavit. Victor Amadeus Sardiniæ Rex ducenta & quinquaginta millia Imperialium. Philippus V. Hispa-

Hispaniæ Rex arcem Ildefonſe & annuos 150000. Ducatos pro quolibet Infante. Conf. *Martin. Haſſen* de conditione Principis, qui Imperio ſe abdicavit p. 22. ſqq.

§. CCCXXXVI.

Circa modum conſtituendi ſervitutes perſonales certum eſt easdem conſtitui voluntate domini rei ſervientis, ſive mortis cauſa, ſive inter vivos, nunc expreſſe, nunc tacite declarata, imo & præſumta ut præſcriptione. Sed num & legis diſpoſitione? Supra quidem de ſervitutibus realibus negavi, easdem lege imponi. Hic autem circa ſervitutes perſonales id, quod dici ſolet, legem conſtituere uſumfructum patri in bonis liberorum, item dotalitium in bonis mariti, facilius & eatenus admitto, quatenus ejusmodi lex voluntatem domini non excludit, ſed præſumtam ſaltem ſupplet. Habet ſcil. pater in liberorum bonis uſumfructum intuitu & in compenſationem onerum & ſumtuum educationis, ſuper quorum liquidatione, cum in ſingulis fere caſibus difficultates oriri poſſent, lex in genere eorum loco patri attribuit uſumfructum bonorum adventitiorum, cumque paria onera & matrem & tutorem premant, iis quoque apud Germanos uſumfructum indulgeri vidimus de patria poteſt. §. 297. Simul autem ac liberi ſunt majorennes, ſibique proſpicere valent, & proinde ceſſant onera & ſumtus educationis, filius ſe ſeparando a patris poteſtate emancipare ſeu liberare, eoque ipſo hunc uſumfructum ipſi intervertere poterit, manifeſto certe documento, ſolius educationis intuitu, & ex præſumta liberorum ac pupillorum voluntate leges hunc uſumfructum concedere. De Romanorum legislatione, qua & in liberorum majorennium ac invitorum bonis pater uſufructu gaudebat, num dura & iniqua vel plane injuſta ſit, cum recepta nobis nunquam fuerit, in præſenti parum ſum ſollicitus. Certe ſi vera ſunt, quæ ex *Rhetio* monuimus de patria poteſt. §. 251. patres illuſtres uſumfructum in bonis, quæ liberis ab extraneo ſunt donata, non habere, ſique eadem ad donationes mortis cauſa, & ad ea, quæ ex aliorum hereditatibus capiunt, applicare licet, vix inter illuſtres dabitur caſus, ubi citra prævium domini factum, indeque elicitam ipſius voluntatem, ſolo legis vigore uſusfructus vel alia ſervitus perſonalis debeatur.

Modi conſtituendi ſervitutes perſonales.

§. CCCXXXVII.

Objectum ususfructus. Res in quibus servitus personalis constituitur, varia esse potest. In habitatione præcise ædes, in usu res, quæ usu non consumuntur, præsupponi ipsa negotii indoles efflagitat. At ususfructus in quibuscunque rebus potest constitui, immobilibus æque ac mobilibus. Numorum antiquorum, statuarum & imaginum usumfructum esse posse, docet ICtus L. 28. & 41. Dig. de usufructu. De usu & usufructu jocalium conf. *Klein.* de jure circa Margaritas c. 2. §. 13. ubi permissum jocalium usum commodum pro vitæ statu & dignitate non solum ipsi usuario sed & uxori & liberis conferre docet, adeo ut virgini relictus, ea nubente cum filiabus & neptibus communicetur. Imo & in rebus, quæ usu consumuntur e. c. pecunia, constituitur quasi-ususfructus, ubi per earum traditionem dominium quidem transit, sed cautio de tanta pecunia, vel æstimatione rei traditæ post mortem ab heredibus restituenda, aut si cautio remittitur, obligatio ad res in genere earumve æstimationem restituendas loco proprietatis remanet penes constituentem ejusque heredes. Mallent quidem plerique, hanc obligationem semper loco proprietatis esse, non cautionem (quia remitti possit, nec ad formam servitutis pertineat) quod tamen in exceptione, si cautio remittitur, verius, quam in regula esse existimo, quia nimis irregulare videtur, proprietatem consistere in obligatione. Add. §. 2. Inst. de usufr. ubi Imperator & vestes e. c. pretiosas ad quasi usumfructum refert, quas tamen alii in vero usufructu esse, & in specie, non solam earum æstimationem restitui debere contendunt. Tolli forte difficultas potest distinguendo, an æstimatio accesserit nec ne? Priori casu in quasi-, posteriori in vero usufructu esse videntur.

§. CCCXXXVIII.

Emolumenta usufructuarii. Effectus ususfructus tum circa emolumenta, tum circa onera se exerit. Ad emolumenta quod attinet, usufructuarius omnem utilitatem ex re, in qua usumfructum habet, quæ salva hujus substantia percipi potest, percipit, omnesque fructus pleno jure acquirit, vendit, locat &c. Hinc constituto in integris territoriis usufructu, usufructuarius Regalia annexa, jurisdictionem, jus venandi, patronatus, detractus exercet, laudemia, census

sus emphyteuticos, mulctas percipit, bona vacantia sibi vindicat, thesauris casu inventis fruitur, ex iisque usuras capit, data opera autem eos non indagat, nec casu inventos quoad sortem ad heredes transmittit. Idem quoque regulariter obtinebit quoad marmora fossibilia & metalla, utpote quorum fructus renasci non præsumuntur, adeoque sorti æquiparantur, ita ut usuræ saltem exinde provenientes usufructuario cedant. Hoc tamen restringendum esse ad metallifodinas ante usumfructum constitutum institutas, at venas metallicas ab usufructuario de novo apertas vi investituræ ad usufructuarium tanquam inventorem pleno & irrevocabili dominii jure juxta Germanorum instituta pertinere bene monet *Titius* ad Lauterbach Obs. 220.

§. CCCXXXIX.

Palus bituminosa, (quam terram famelicosam veteres vocabant teste *Festo*,) ex qua effodiuntur glebæ, quæ ad solem siccatæ, ignem præbent, vulgo Torff dictæ, magnam similitudinem habent cum metallifodinis & quidem iis, quæ non renascuntur. Ideo senatus supremæ Frisiorum Curiæ censuit, in hujusmodi palude usumfructum consistere eatenus, ut pretium glebarum effossarum ab usufructuario fœnori exponi, & usuræ inde percipi possint, ipsa autem pretii sors mortuo usufructuario territorii domino restitui debeat, ceu notat *Myler.* in Gamolog. c. XI. n. 4. qui & §. sq. simili ratione quoad ligna recte distinguit inter sylvam cæduam, & non cæduam, Gallis *bois de haute futage & bois des coupes ordinaires.* Hinc usufructuario ex sylvis, quæ cædi & lignari singulis trienniis vel quinquenniis vel septenniis aut decenniis solent, quæque succisæ denuo repullulant, sive ex stirpe sive ex radice renascantur, vulgo hauige Wald, ligna cædere & vendere licet, L. 7. §. 12. Dig. Soluto matrim. L. 22. Dig. de usu & habit non autem ex sylvis non cæduis, quæ consistunt excelsis & grandibus arboribus ad ædificandum destinatis, & nonnisi per longissimum tempus renascentibus, quibus & annumerantur sylvæ, quæ animi recreandi causa conservantur, Lust- und Irr-Wälder, item vivaria feris destinata, Thier-Garten und Parke, in quibus omnibus usufructuario glandes quidem legere, & ex pascuis usumfructum percipere, ligna autem vendere non licet, sed saltem ad suum usum & necessariam ædificiorum refectionem cædere. Sed datur & medium genus Sylvarum, ubi in modica arborum etiam grandiorum excisione, Sylvarum *in sylvis,*

formam haud mutante, utilitas & fructus Sylvæ consistit, qua de re videatur Responsum ICtorum Lugduno-Batavorum de 1691. ap. *Ludolf.* de jur. foem. illustr. append. 3. lit. y.

§. CCCXL.

in fundo. In superficie fundi usufructuario est integrum, exquisitam magis ac diligentiorem, quam hactenus a domino factum est, adhibere culturam, ac ampliores inde percipere reditus. Poterit igitur fundi faciem mutare, atque ex lacu magno terram arabilem facere, & uno verbo omnia ea peragere, quibus fundus melior redditur, non autem quibus deterior. Conf. §. 334. Unde *Myler.* Gamolog. c. 11. §. 7. negat usufructuarium aut viduam Doariam jubere posse, ut agri lino & avena, utpote quibus uruntur, præter morem & consuetudinem conserantur. Meliorationes tamen usufructuarius a proprietario repetere nequit, imo ne quidem ædificia, quæ de novo erexit, finito usufructu tollere, utpote quæ solo cedunt. Land-R. L. 2. art. 21.

§. CCCXLI.

Onera. Ad onera usufructuarii pertinet, boni viri arbitrio re uti, i. e. mediam diligentiam circa eandem adhibere, necessarios conservationum ac refectionum sumtus ferre, * onera & tributa solvere, greges ex foetu supplere, pro annosis arboribus novas substituere. Jure civili Romano præterea statutum, ut usufructuarius quivis, patre & fisco excepto, caveat proprietario, se non modo boni Viri arbitratu usurum, sed & cum ususfructus ad eum pertinere desinet, rem restituturum. Vid. tot. tit. Dig. Usufructuarius quemadmodum caveat. In primis mirum videri posset, quod hæc cautio servitute inter vivos constituta a proprietario quidem, & si mortis causa ab herede, non autem a testatore potest remitti (ne scil. ad delinquendum usufructuarius per cautionis remissionem invitetur) cui tamen integrum fuisset, rem plene cum ipsa proprietate in legatarium transferre. Viduam ratione dotalitii licet usufructuaria sit, tamen a cautione esse immunem infra dicetur §. 795. Ad debita solvenda ne quidem omnium bonorum usufructuarium teneri, sed illa prius ex ipsa bonorum aut hereditatis massa & substantia esse deducenda, difficultate caret.

* Hinc usufructuarii heredes meliorationes prætendere nequeunt, pro quibus tamen successor in feuda heredi allodiali Satisfacere debet. Confer. de hereditatib. §. 803.

§. CCCXLII.

Extinguitur usfructus *consolidatione*, quæ accidit, si usufructuarius vel ipse proprietatem acquirit, vel jus suum domino cedit, vel expresse, vel tacite ac præsumte per præscriptionem jure Saxonico 31. annorum, 6. septimanarum & trium dierum, jure Romano 10. annorum inter præsentes, 20. inter absentes. Non sufficit ad consolidationem possessio simultanea, sed requiritur redactio in unum corpus. Hinc ad usfructus consolidationem non sufficit accrescere usumfructum, sed redire debet ad proprietatem juxta *Ulpianum* in L. 3. Dig. de usufr. accresc. Quodsi vero usufructuarius jus suum tertio cuidam cedit, non tam ipsum usumfructum, quam fructuum perceptionem suo nomine peragendam cedit. Ipse enim usfructus usufructuarii intuitu est personalis, & mortuo usufructuario simul cessionarii jus expirat. Jure Romano id peculiare est, quod per cessionem tertio sive extraneo factam nil actum dicatur §. 3. Inst. de usufr. sed tunc usumfructum extingui, & ad dominum proprietatis reverti L. 66. Dig. de jur. dot. *Definit usfructus consolidatione,*

§. CCCXLIII.

Porro usfructus tollitur totali rei *interitu*. Hinc usfructus ædium iisdem incendio vel terræ motu consumtis extinguitur, nec in area debetur, quia scil. non areæ, sed domui inhærebat, quod secus se habere in servitute reali domui inhærente dixi tit. præc. §. 327. in fin. Usumfructum ornamenti ex gemmis confecti, si illud fur rapuerit, dissolverit, transfiguraverit, & gemmæ postea ad dominum redeant, ac priorem iterum formam nanciscantur, tamen extinctum arg. L. 6. §. 1. de aur. & arg. leg. & L. 10. §. 6. & 8. quib. mod. usfr. amitt. colligit *Klein* de jure circa Margar. c. 2. §. 14. p. 55. *interitu rei,*

§. CCCXLIV.

Morte usufructuarii usumfructum perire ipsa servitutum personalium indoles dictitat. Cum autem Princeps qua talis immortalis, semperque in *morte usufructuarii,*

suc-

ſucceſſore ſuperſtes exiſtat, ſequitur & uſumfructum publicum, qui Principi qua tali debetur, & cujus intuitu Reipublicæ fructuarius dicitur, eſſe æternum, neç unquam extingui, ſed ſemper de ſucceſſore in ſucceſſorem tranſire. At uſusfructus privatus, qui Principi, qua privato competit, cum ipſius perſona & morte expirat, quo ſenſu in Principem pariter quadrat, quod *Salvianus* L. 3. contra avaritiam ſcribit, uſufructuarium vivere quaſi locupletem, ſed mori quaſi mendicum.

§. CCCXLV.

niſi heredibus quoque conſtitutus.

Quod vero L. ult. C. de uſufr. propter fictam Romanis perſonarum inter patrem & filium unitatem ſtatuitur, uſumfructum filiofamilias relictum tamdiu durare, ac pater & filius vivit, mere civile eſt, nec ad ſummos Principes pertinet. Sed num in caſu, quo expreſſe diſponitur, ut uſusfructus ad heredes ſummi Principis tranſeat, applicari debeat L. 14. eod. qua tali caſu nonniſi primi gradus heredes eſſe intelligendos deciditur, dubium videtur. Ipſa naturalis ratio & æquitas talem ſuadet interpretationem, quæ proprietatem relictam non plane reddit inutilem, quod accideret, ſi uſusfructus ad omnes in infinitum heredes tranſiret, ut proinde tali caſu nomine heredum ſoli proximi intellecti videantur. Magis civilem atque a naturali verborum ſenſu alienam dixerim diſpoſitionem Legis 56. Dig. de uſufr. quæ uſumfructum univerſitatibus conceſſum ad centum ſaltem annos reſtringit, quia is finis vitæ longævi hominis eſt. Vide tamen L. 68. Dig. ad L. Falcid. ubi ſi Reipubl. uſusfructus legatur, triginta annorum computationem fieri dicitur. Ceterum poſſe pacto expreſſo uſumfructum ad heredes tranſeuntem conſtitui, videmus exemplo annuorum redituum, qui nihil ſunt aliud, quam uſusfructus perpetuus ad heredes tranſiens.

§. CCCXLVI.

Fructus pro rata temporis dividuntur.

Mortuo uſufructuario lis ſæpenumero inter hujus heredes & proprietarium oritur ſuper fructibus illius anni, quo deceſſit. Ad quam terminandam naturalis æquitas ſuadet diviſionem pro rata temporis, quo ſupervixit uſufructuarius, ſuſcipiendam tam quoad fructus civiles, cenſus, de-

cimas,

cimas, tributa, mercedes &c. quam naturales ac industriales, ita tamen ut sumtus atque impensæ itidem pro rata dividantur. Confer dicenda §. 806. ubi hanc in sententiam & olim responsum fuisse ex *Wesenbecio* notabimus. Idemque apparet ex responso antiquo Scabinorum Brandeburgensium ap. *Engelbrecht* de Servit. Jur. publ. p. 145. quod ita fert:

Unser willig Dienst bevor Ehrenvester und Ehrbarer besonder guter Freund.

Auf Euer zugeschickte Frag-Schrifft sprechen wir Schöppen, beeder Städte Brandenburg zu einer Belehrung des Rechten: Ist Euer Vetter Reymert von Alvensleben ohne Leibes-Erben um Walpurgis verstorben, und Euch seinen nächsten Lehnsfolgern, und denn seine Töchter als Land-Erben hinterlassen, so werden Euch die Früchte im Felde, sogleich die Fische in den Teichen, Heldern und Gräben unter Euch und dieselbe seine Land-Erben nach Gelegenheit der Zeit gleich getheilt. V. R. W. Uhrkundlich mit unsern Secret besigelt. Sonnabends nach Jacobi anno CIↃLXVIII.

§. CCCXLVII.

Jus Romanum ad separationem a fundo respicit, & fructus saltem a solo separatos usufructuarii heredibus adjudicat, pendentes autem utut maturos pro fundi parte habet, ac proinde proprietario attribuit, hac tamen lege, ut usufructuarii heredibus impensas in culturam factas reddat. L. 27. Dig. de usufr. §. 37. Inst. de Rer. divis. L. 36. §. ult. Dig. de heredit petit. Pendentium fructuum nomine non poma sola, sed & segetem venire, quod olim negarunt *Azo* & *Accursius*, hodie vix quisquam ambiget. Ex fructibus civilibus jus Romanum usufructuarii heredibus relinquit illos, quorum dies ante ejus mortem venerat.

Jus Rom. separationem a fundo respicit,

§. CCCXLVIII.

Ex jure feudali Longobardico, si argumentando a Vasallo ad usufructuarium decisio nostræ quæstionis foret petenda, magis ad culturam & operas foret respiciendum. Nam 2. feud. 28. feudi fructus heredibus Vasalli successionis incapacibus tribuit, si intra Kal. Martii & finem Augusti de-

feudale Longob. culturam peractam,

cessit Vasallus, domino autem, si Vasallus ante vel post illum terminum moritur.

§. CCCXLIX.

it. Jus German. Proxime huc accedunt Germanorum instituta, quæ usufructuarii heredibus fructus adjudicant simulac ager rastro subactus, & quoad vineas, si dies Urbani, circa quem vineæ cultura maxime censetur peracta, præteriit. Wenn die Egge über die Saat gegangen, und der Garten gesäet und geackert ist. Land-R. Lib. 2. art. 58. ubi & censuum tempora sequentem in modum definiuntur: An St. Martins-Tag sind allerhand Pfleg und Zinß verdienet. An S. Walpurgen-Tag ist der Lämmer Zehend verdient, zu unser Lieben-Frauen-Tag Würtz-Weyhe- und Gänß-Zehend, an S. Johannes-Tag des Täuffers allerhand Fleisch-Zehend, da man mit Pfennigen den Zehend jährl. löset, wo man ihn aber nicht löset, da ist er verdient, wenn das Vieh geworffen wird. An S. Margarethen-Tag ist verdient allerhand Korn-Zehend, was aber eher geschocket ist, darnach ist der Zehend eher verdienet. An S. Urbans-Tag ist Weingarten- und Baumgarten-Zehend verdient. . . . Gelt von Mühlen und Zöllen und Müntzen und von Weingarten ist verdienet auf den Zinßtag, der ihm bescheiden ist.

§. CCCL.

Quoad pœnas pecuniarias quæri potest, si delictum commissum vivo usufructuario, sententia autem post ejus mortem lata, num pœnalis pecunia cedat successori, an usufructuarii heredi? Demum a tempore latæ sententiæ pœnam deberi verius.

§. CCCLI.

Aliter in Principatu. Utut autem Principem sano sensu usufructuarium dicere queas, cave tamen inde colligas, mortuo Principe fructus Principatus illius anni dividendos esse inter heredes ejus & successorem in Principatu. Erat hæc superiori Seculo mortuo Electore Palatino prætensio sororis ipsius, Ducissæ Aurelianensis, a qua tamen mox ipsa destitit. Sicut enim duplicem Princeps sustinet personam, publicam alteram, alteram privatam, ita ususfructus,

ctus, quæ publicæ perſonæ competit, qualis eſt ille quem Princeps in territorio publico habet, confundendus non eſt cumprivato. Publicus ſpectat ad Principem, qua perſonam publicam ſuſtinet, & quatenus eſt immortalis, ſemperque in ſucceſſore ſuperſtes, quo ipſo publicu mejusmodi uſumfructum pariter eſſe æternum & ad ſucceſſorem tranſire intelligitur. At privatus Principis uſusfructus cum ipſius perſona expirat, atque tunc locum invenit fructuum illius anni diviſio inter privatos Principis heredes, & proprietarium rei, ex qua percipiebatur uſusfructus. Accedit, quod impenſas, quas Princeps qua talis territorii fructibus impendit, non de ſuo ſed Reipublicæ ærario petit, ut adeo nec ipſius heredibus aliquid compenſandum aut reſarciendum ſuperſit. Add. *Ludewig* de fructuum attributione circa fin.

LIBER III.
DE
PIGNORE ET HYPOTHECA ILLUSTRI.

TITULUS I.

Quid a Principe valide oppignoretur?

* * *

Publica bona oppignorare regulariter Princeps non valet, nec ipſe Imperator hodie in Germania. Principes Imperii eadem ratione, qua alii Vaſalli, feuda ſua pignori ſubjicere prohibentur. In partibus tamen quantitativis majori libertate fruuntur.

§. CCCLII.

Pignus quid? Pignus ſeu jus in re debitoris creditori in debiti ſecuritatem conſtitutum * naturali juri haud eſſe incognitum, ſed eidem potius originem debere,

nemo

nemo inficiabitur ſecum reputans, quod naturalis quidem ratio, mutua ſe invicem proſequi benevolentia, proximumque indigentem pro viribus juvare, homines jubeat, neutiquam autem præſenti corrupto hominum ſtatu exigat, ut nos noſtraque bona lubricæ ac incertæ creditoris fidei, quæ vel exinde, quod egere ille incipit, ſubleſta nobis redditur, committamus, ſed potius ob officia nobismet ipſis debita ejusmodi diffidentiæ genus, quod pignora circumſpicit, probet.

* Præplacet hæc definitio præ illa, qua pignus aliis deſcribitur per traditionem rei a debitore factam creditori ad debiti ſecuritatem. Non enim omnes pignorum ſpecies complectitur e. c. hypothecas, quæ ſine traditione conſtituuntur, it. pignora judicialia & legalia, in quibus traditio non fit a debitore. Ceterum notio, qua pignus pro arrha, ſ. arrhæ pro datæ fidei *pignore* accipiuntur, hinc eſt aliena.

§. CCCLIII.

Eo autem ipſo dum pignus in debiti ſecuritatem conſtituitur, apparet illud ſaltem eſſe negotium quoddam acceſſorium, & principalem quandam obligationem, debitum principale præſupponere, utpote ſine quo ne concipi quidem poteſt. Solet principale illud debitum plerumque eſſe mutuum, nonnunquam tamen & aliis debitis quibusvis pignora accedere deprehendimus. Sic antiquiſſimum omnium, cujus memoria ſuppetit pignus, non mutuum, ſed mercedem pro corporis uſura, in hœdo conſiſtentem, a Juda Thamari promiſſam reſpexiſſe docemur Genes. XXXVII. 17. 18. *Accedit mutuo.*

§. CCCLIV.

Illuſtriora ac recentiora ſi deſideras exempla pignorum, quæ aliis præter mutuum negotiis cautionem deſiderantibus acceſſerunt, huc refero, quod Ferdinandus II. Imp. Joanni Georgio I. Saxonum Electori pro ſumtibus bellicis Luſatiam oppignoravit, quam 1635. hereditario jure ei demum ceſſit. Item cum Hiſpani vi pacis Oſnabrugenſis oppidum Franckenthal evacuare deberent, ejusque rei moram facerent, interim Electori Palatino in ſecuritatem tradita eſt Heilbronna, donec alterius vacua poſſeſſio *Aliisque debitis.*

in

in ipsum transferri posset. Vid. Haupt-Recess Friedens Execution §. 45. qui insertus R. J. 1654. Item in Pace Noviomagensi art. 26. Rex Galliæ pro Guarantia dicti articuli retinuit oppida & urbes Chastelet, Huy, Verviers, Aquisgranum, Duren &c.

§. CCCLV.

Exempla plura.

Plura exempla habet *Strauch* de Oppignorationibus rerum Imperii c. XI. p. 45. de quibus tamen notari velim, quod debitum principale prius ad certam pecuniæ summam fuerit reductum, atque adeo omnino pecuniam creditam continuerit. Sic eo refert, quod Archi-Episcopus Moguntinus Dieterus Electori Palatino Friderico 1463. Stratam Montanam die Bergstrasse ob præstitum auxilium contra Adolfum Comitem Nassovium & sumtus belli, atque proinde ex causa mandati vel negotii gesti, oppignoravit tamdiu possidendam, donec a sede Moguntina NB. centies mille floreni refundantur, quibus refusis 1651. Strata Montana ad pristinum dominum rediit. Item quod Bavaro ab Imperatore Ferdinando II. pro sumtibus bellicis NB. XIII. myriadum sive millionum Rhenanorum Austria superior Oesterreich ob der Enß in securitatem pignoris nexu quondam cessa.

§. CCCLVI.

Incipit demum cum debito principali.

Posito autem, quod pignus vim omnem ac robur suum a principali obligatione habeat, sponte sequitur, quod pignoris jura prius non incipiant, quam ipsum debitum principale, licet forsan in casum debiti de pignore inter paciscentes jam dum prius convenerit, unde & dotis hypothecam demum a tempore dotis solutæ ac illatæ currere colligo. Quodsi autem ipsa principalis obligatio nullitatis quodam vitio e. c. ob SCtum Macedonianum, Vellejanum, aut quod dolo vel metu elicita, laborat, ipsum quoque pignus accedens evanescere ac nulla ipsius jura intelligi, manifestum. De cetero necessarium præcise non est, ut valor pignoris respondeat debiti quantitati. Sicut itaque res cujus pretium debitum vel decies excedit, nihilo secius pro eodem potest oppignorari, ita creditori non succurritur per beneficium L. 2. C. de Rescind. Vend. etiamsi res oppignorata ne dimidium quidem debiti pretium attingat.

§. CCCLVII.

Securitas, quæ per pignus obtinetur, in eo consistit, quod dominus rem oppignoratam non aliter quam cum inhærente pignoris onere alienare possit, prius quam debitum fuerit solutum, quodsi autem in solvendo sit morosus, ad pignoris alienationem cogi plane possit. Quamvis igitur pignus alienationem præcise non involvat, viam tamen ad eandem parat. Unde perpetuum fere ab alienatione ad oppignorationem ducitur argumentum: quicunque alienare prohibetur, idem & oppignorare: quodcunque alienari, * idem & oppignorari prohibetur, ** quod ubi ad illustres personas applicamus, & quærimus, quid principi liceat oppignorare, id statim omni caret dubio, quod res in pleno privato Principis dominio existentes libere ab eodem oppignorentur.

Quæ alienari nequeunt, nec oppignorantur.

* Hinc res humano commercio exemtæ idoneum pignoris objectum haud constituunt. Vladislaus Hungariæ Rex, induciis decennalibus cum Amurathe Turcarum Imperatore pactis, hostiam Ecclesiastico ritu consecratam pignus pacis observandæ dedit ap. *Leuenclav.* Pand. Turc. fol. 327. Ludovicus IX. sive Sanctus Galliæ Rex pro debito quater mille auri librarum ad se redimendum Saracenis solvendarum hostiam & Ciborium pignori dedit, auroque soluto recepit. Ex quo tempore in Æegypti insignibus hostia cum Ciborio conspecta. *Serre* Invent. Hist. Franc. in Ludov. IX. p. 150. De Friderico Imperatore refert *Jo. Carol. Veranus* in Historia Brundusii, ipsum a Turcarum Imperatore captum consecratam hostiam victori pro obside dedisse, eandemque pro pecunia promissa redemtam Brundusium, ubi ventorum vi appulerat, absportasse. Sed falsam plane esse Friderici captivitatem, eique superstructam narrationem docet *Becman* de pignorib. Rerumpubl. c. 1. §. 6. & circa justitiam ac moralitatem harum oppignorationum rectissime monet, eam non sine ingenti religionis Christianæ profanatione fieri. Quæ enim sigilla spiritualis gratiæ esse debebant ad abusus profanos non sunt transferenda. Ac etiamsi quis transsubstantiationem Pontificiam admittat, quid tamen indignius, quam eum, qui omni potestate huma-

humana major est, alterius potestati subjicere. Sanctorum reliquiæ cum non omni commercio humano exemtæ sint, facilius & meliori forsan jure pignori subjiciuntur. Balduinus junior Imperator Constantinopolitanus passi Domini monumenta, in quibus sertum spineum, ut socerum Brennum Hierosolymorum Regem bellumque Græcum juvaret, Venetis grandi pecunia accepta oppignoravit. Quod nomen postea luit Ludovicus S. Franciæ Rex, sanctissimumque pignus in Franciam allatum reverentissime excepit *Æmil.* Hist. Gall. in Ludov. IX. p. 212. Quodsi verendum, ne creditor reliquiis oppignoratis ad superstitionem abutatur, earum oppignoratio merito intermittitur.

** Fallit autem hæc argumentandi ratio quoad personam, cui aliquid oppignoratur, adeo ut argumentari non liceat, cui aliquid vi pacti aut legis nequit alienari e. c. extraneo, eidem nec oppignorari. Ratio est, quia pignus in casu deficientis solutionis quidem alienandi necessitatem involvit, non autem, ut præcise creditori fiat venditio. Res enim tertio vendi & ex pretio creditori satisfieri potest, adeo ut pignus impedimento non sit, quo minus exitum capiat sanctio, quæ extraneo res emere aut acquirere prohibet. Add. L. 24. Dig. de pign. & *Böhmer.* de diverso pignoris & hypothecæ jure c. 1. §. 7. & c. 2. §. 7. ubi hinc infert, quod licet Judæi res immobiles acquirere prohibeantur, non tamen a pignoribus & hypothecis in easdem sibi constituendis ideo arceantur. Ubi vero & conducere res immobiles prohibentur Judæi, ibi nec pignus antichreticum poterunt habere, quia sub antichresi locatio quædam tacita latitat.

§. CCCLVIII.

An bona publica?

De publicis bonis magis ardua est quæstio. *Grotius* L. 2. c. 6. §. 13. rem ex potestate tributa imponendi metitur. Partes, inquit, patrimonii (publici) pignori opponi ex causa possunt a Regibus, qui plenum habent imperium i. e. qui jus habent ex causa tributa nova indicendi. Nam sicut populus tributa ex causa indicta solvere tenetur, ita & rem ex causa pignori oppositam luere. Luitio enim ista tributi quædam est species. Est autem

popu-

populi patrimonium Regi pro debitis populi pignoris jure obligatum. Poteſt autem pignori dari etiam res mihi pignorata. Hactenus Grotius, in cujus doctrina h. l. ſedulo animadvertendum, quod ſaltem pro *debitis populi* & *ex cauſa* h. e. pro debitis in populi utilitatem converſis Regibus oppignorandi facultatem largiatur, quo ipſo innuit, pro debitis in rem populi non converſis Reges populi patrimonium oppignorare non poſſe, & ſi oppignoraverint, pignora a populo citra debiti ſolutionem recte revocari concedit.

§. CCCLIX.

Penitius igitur ſi rem inſpiciamus, populus tunc non ex pignore, ſed de in rem verſo tenebitur, & rectius proinde in dubio, & niſi Regni formula aliud fert, Regi oppignorandi facultas plane negatur. Aut enim agitur de oppignorando ipſo imperio, ac jure Regis in quosdam ſubditos, & hoc ne quidem in ſummo neceſſitatis caſu, accedente licet Comitiali ac Procerum conſenſu poſſe oppignorari, ſed præterea & partis oppignorandæ conſenſum requiri, ex ipſo Grotio L. 2. c. 6. §. 4. & 9. colligitur. Aut agitur de bonis domanialibus oppignorandis. Atque hæc in caſu extremæ neceſſitatis (qui tamen non ad regulam ſed exceptiones potius pertinet) vi dominii eminentis a ſolo Rege citra populi conſenſum ut alienari, ſic & oppignorari poſſe, facile largior. In ſolo autem utilitatis caſu, qui potiſſimum ſpectandus venit, populi præterea conſenſus requirendus videtur, etiamſi Regi jus tributa imperandi competat. Minus enim eſt, ſe obligare ad tributa ſolvenda, quam conſentire in bona pro debitis tertio in poſſeſſionem danda. Populus igitur, qui conſentit in minus, tributa ſcil. ſolvenda, non protinus conſenſiſſe quoque cenſetur in majus, jus ſcil. oppignorandi. Hinc licet in Galliæ Regno Reges tributorum jus exerceant, Carolus VII. tamen prædiorum publicorum oppignorationem fieri noluit, niſi ſenatus id procuratore fiſci rogante decreviſſet, teſte *Bodino* de Republ. L. 6. c. 2. p. 1002.* *Negatur.*

* Inter exempla pignorum a Regibus contractorum memoratu dignum eſt, quod Sigismundus Imperator & Hungariæ Rex tredecim oppida Comitatus Scepuſienſis Poloniæ Regi titulo pignoris pro mutuo datis 80000. fl. Pragenſ. inſcripſit *Cromer.* Rer. Polon.

Polon. L. 17. in fin. Quorum reluitio postea varie in Hungaria deliberata & 1681. in Comitiis Sopronienſibus ab Epiſcopo Colocenſi recepta. Vid. Artic. Sopronienſ. 25. Similiter Orcades a Chriſtiano I. Daniæ Rege Jacobo III. Scotiæ Regi pignori datæ, donec dos Margarithæ Chriſtiani filiæ ſolveretur. *Buchanan.* Rer. Scot. L. 12. Quo nomine legati Danici adhuc in Pacificatione Bredana 1667. inſtiterunt irrito quidem ſucceſſu, reſervato tamen Regis ſui jure. Vid. Acta Pacis Bredan. in Diar. Europ. Contin. 20. p. 114. Inter Eliſabetham Angliæ Reginam & Belgii Ordines. 1585. convenit, ut Regina Belgis 5000. pedites & 1000. equites in auxilium mitteret, iisque durante bello ſtipendium ſolveret, quod Belgæ pace compoſita redderent, & Reginæ interim Vliſingam & Bredam pignoris loco traderent. *Strada* de Bell. Belg. Dec. 2. L. 7. Conf. *Becman.* de Pignorib. Rerumpubl. c. 1. §. 2.

§. CCCLX.

Bona Imperii.

De Imperio Romano Germanico ſpeciatim quæritur, an res ejus oppignorare valeat Imperator? Olim id ſibi juris Imperatores tribuiſſe, ſolidis argumentis evincit *Joannes Strauchius* Anteceſſor Jenenſis de Oppignorationibus rerum Imperii cap. 9. varia hanc in rem afferens exempla e. c. Henrici VII. qui Boppardum & Veſaliam Archi Epiſcopo Trevirenſi, Ludovici IV. qui Advocatiam Monaſterii Lindavienſis 1334. Hugoni Brigantino pro debito 200 marcarum argenti, & Egram 1325. Joanni Bohemiæ Regi, item Caroli IV. qui præfecturam civitatis Buchavienſis Comiti de Helfenſtein, Electoribus autem Imperii vectigalia pro pecunia, quam ipſis pro filii Wenceslai in Imperatorem electione promiſerat, oppignoravit. Addi poteſt oppignoratio urbis Landavienſis Spirenſibus a Ludovico Imperatore facta 1317. Tabulas exhibet *Lehmannus* Chron. Spir. L. 7. c. 24. Cumque hæc omnia ſine Statuum conſenſu ſint peracta, & Carolus IV. civibus Francofurtenſibus ſpeciale privilegium. quod habet *Limnæus* Jur. publ. L. 7. c. 16. n. 14. conceſſerit, ne ipſorum urbs oppignorari poſſit, omnino videtur priſcis temporibus ad res Imperii ejusque partes oppignorandas Imperatoribus nec Statuum nec ipſius partis oppignorandæ conſenſu opus fuiſſe.

§. CCCLXI.

Alii contra ut *Sprengerus* in Lucerna p. 229. (quem frustra pro se allegat Strauchius) & *Limnæus* ad Capitulat. Caroli V. art. 9. p. 165. nec non *Conring.* de Finib. c. 19. *Lyncker* de potestate Imperatoris alienandi bona Imperii c. 2. th. 5. & 15. ac *Struv.* Syntagm. Jur. publ. c. 12. §. 36. sqq. Imperatores nonnisi cum Statuum consensu alienare & oppignorare potuisse contendunt. Sed quod a tutela argumentum petit *Limnæus*, dum Imperatorem tanquam Imperii tutorem non magis res Imperii alienare & oppignorare posse existimat, quam quemvis pupilli privati tutorem, justa destituitur consequentia, cum a privata tutoris autoritate ad publicam Imperatoris argumentari non liceat. *Conringius* suæ sententiæ præsidium quærit in juramento Ottonis IV. apud *Matthæum Parisiensem* ad an. 1210. quo jura Imperii dispersa *pro possibilitate revocare* promittit it. in textu Land-R. L. 3. art. 54. ubi Rex sacramento adstringendus dicitur ad Imperii *jura defendenda* it. in depositione Wenceslai, inter cujus causas alienationes referuntur. Sed iis reponit *Strauchius* p. 29. sermonem ibi non esse de rebus rite ab Imperatoribus alienatis & oppignoratis, sed ab alienis raptoribus & invasoribus injuste substractis. Wenceslai denique depositio cum turbulenta fuerit, nec omni saltem vitio caruerit, argumentum idoneum vix præbet, præsertim cum non tam oppignorationes quam alienationes ipsi fuerint exprobratæ. Majus robur habere videtur citatum a *Struvio* Diploma Friderici II. de 1216. quod ita habet: decernimus & perpetua firmitudine observandum judicamus, quod non liceat ulli successorum nostrorum Romanorum Regi seu Imperatori Principatum aliquem ab Imperio aliquo modo alienare &c. Ibi tamen non tam est sermo de Ordinum Imperii, quam de partis alienandæ consensu ad alienationem necessario.

An oppignorare Impp. potuerint?

§. CCCLXII.

Mediam quasi viam inire conatur *Itterus* de feudis Imp. c. 7. §. 31. p. 351. distinguendo inter potestatem & officium Imperatoris, quasi quidem in potestate ipsius oppignorationes fuerint, at contra officium boni imperantis, quo ipso id innuere videtur, juste satis in foro externo, sed minus prudenter Imperatores res Imperii oppignorasse, alienase &c. *Gundlingius* in diss. de jure oppignorati territorii retur, potuisse forte Cæsarem

Distinctim.

in Italia & Regno Arelatensi quædam alienare & oppignorare, at susceptas in Germania oppignorationes nec salvis legibus, nedum salva officii ratione fieri potuisse, sed facti esse, cui Status Imperii pro status sui ratione, & si utilitatem exinde speraverint e. c. ex teloniorum oppignoratione a Carolo IV. Electoribus facta, connivere, sin parum sibi utilitatis exinde affulgeret, aliæque politicæ rationes iram & aversionem inspirarent, e. c. tempore Wenceslai Imperatoris contradicere satius duxerint.

§. CCCLXIII.

Traditur.

Aliam adhuc distinguendi rationem init *Christoph. Ludov. Koch* de de jure Oppignorationem Imperialium §. 10. Si illud agebatur, ut regio vel alia res Imperii majoris momenti penitus ab Imperio avelleretur; Statuum Imperii consensum adhibendum fuisse ab Imperatore: si vero res Imperii sub ejus nexu relinqueretur, si eadem non penitus alienanda, sed pignoris jure Statui vel membro Imperii ad tempus obliganda esset, liberiorem Imperatorum fuisse in antiquis potestatem: Electorum consensum nonnunquam ad creditoris instantiam cautelæ non necessitatis causa fuisse adhibitum.

§. CCCLXIV.

Hodie cum Statuum consensu.

Quomodocunque priscis temporibus se res habuerit, inde tamen a Caroli V. temporibus dubium omne publica legis Regiæ sanctione est sublatum, & sicut in alienationibus, ita & oppignorationibus rerum Imperii consensus Electorum collegialis * requiritur. Namque art. 9. Capitul. Carol V. diserte cavetur: Zu dem und insonderheit sollen und wollen wir dem H. R. R. und dessen zugehörigen nicht allein ohne Willen und Zulassen gemelter Churfürsten sämbtl. nichts hingeben, verschreiben, verpfänden, versetzen, noch in andre Wege vereussern. Quod in sequentibus Capitulationibus semper repetitum, speciatimque in ultima Caroli VI. art. 10. num. 1. qui exacte cum projecto Capitulationis perpetuæ convenit, & præter Electorum etiam reliquorum Principum & Statuum consensum collegialem requirit verbis; Weiter und insonderheit sollen und wollen wir dem H. R. R. und dessen Zugehörungen nicht allein ohne Wissen und

und Willen und Zulassung derer Churf. Fürsten und Ständen sämbtl. nichts hingeben verschreiben, verpfänden, versetzen ꝛc.

* Differt consensus collegialis sämbtlicher, ab unanimi seu einhelligen Schluß aller und jeder, qualis in vectigalium concessione requiritur Capit. Carol. VI. art. 8. n. 1.

§. CCCLXV.

Principes aliique Imperii Status num & in quantum sua territoria ejusve particulas oppignorare valeant, itidem est controversum. Bona Principum Imperii duplicem recipiunt respectum. Sunt enim vel publica vel privata. Publica e. c. bona domanialia Cammer-Güther sine Ordinum Provincialium consensu ut alienari, ita nec oppignorari possunt. Facit huc memorabile responsum Facult. Jur. Viteb. de 1664. apud *Zieglerum* de Jurib. Maj. L. 1. c. 4. §. 29. Receperant nimirum Ordines Provinciales debita Principis Cameralia 16000. fl. solvenda hac lege, ut bona oppignorata, quæ hac pecunia reluebantur, sine Ordinum consensu nemini iterum obligarentur. Hæc Principis promissio quidem ad successores expresse non erat extensa, nec addita clausula annullatoria. Cum igitur tum ipse Princeps tum successores ipsius brevi post de novo bona hæc Cameralia oppignorarent, & antecessorum debita usuras solvendo agnoscerent, serioribus autem temporibus successorum quidam hæc debita agnoscere nollet, responderunt JCti: Quamvis in Principum Imperii pactis & contractibus jus Romanum observari debeat, hoc autem, non obstante prævio pacto de non alienando, factam alienationem sustineat, ac solam actionem personalem ad interesse indulgeat, quia tamen pactum ab Ordinibus in Comitiis intuitu Principatus & ad conservanda bona Cameralia initum sit, jura privatorum hic applicanda non esse, sed potius irritam pronunciandam omnem post hoc pactum initum dictorum bonorum oppignorationem, nec successores (qui heredes simul non existunt) ad eam agnoscendam teneri, præsertim cum actio ad interesse contra oppignorantes institui commode nequeat.

Principes Imp. bona domanialia non oppignorant.

§. CCCLXVI.

An allodialia?

Quando autem Principum bona ut privata considerantur, tunc illa vel allodialia sunt vel feudalia. In feudalibus ut valide pignus constituatur, domini & agnatorum consensum requiri mox dicetur. Allodialia sicut libere alienari, ita & oppignorari posse, extra controversiam est positum, id quod tamen *Rhetius* Inst. Jur. publ. L. 4. T. 4. §. 1. argumento art. 39. Capitul. Leopold. ibi: die vom Lehnthum keine dependenz haben recte restringit ad allodialia feudis non incorporata. Super iis enim, quæ feudis incorporata sunt, necessarius omnino tum Cæsaris tum agnatorum consensus videtur, quia ejusmodi allodialia, si non quoad onera, certe quoad successionem feudis sunt exæquata.

§. CCCLXVII.

An feudalia?

Imo quoad ipsa territoria feudalia liberiorem disponendi Statuum potestatem agnoscunt *Frantzkius*, *Merckelbach*, *Struvius*, *Schilterus*, *Lynkerus*, *Stryckius*, *Itterus*, *Hornius*, *Titius*; quos specifice citat *Engelbrecht* de Servitut. Jur. publ. p. 246. Regulariter Vasalli propter minus plenum, quod in feudis suis habent, dominium eadem alienare sine seniorum h. e. dominorum directorum & agnatorum consensu prohibeantur. Conf. Constitutio Lotharii 2. feud. 52. cui consequens est, quod nec eorum pignoratio sit licita, prout Fridericus Imperator 2. feud. 55. diserte prohibet, feudum vel totum vel partem aliquam vendere vel *pignorare* sine domini promissione, scribam vero, seu Notarium, qui instrumentum desuper sciens conscribit, post amissionem officii infamiæ periculo manum amittere jubet. At Principes Imperii Germanici liberiori facultate gaudent circa feuda sua, in tantum scil. ut licet eadem integra ob qualitatem eorum feudalem sine Cæsaris & agnatorum consensu alienare aut pignori subjicere nequeant, partes tamen quantitativas, quæ intuitu totius non adeo magni momenti sunt, libere citra ullum requisitum consensum alienare & pignori dare possint. Breviter rem omnem complectitur *Seckendorf* im Fürsten-Staat part. 2. c. 3. §. 6. Weilen auch die meisten Fürstenthümer Land und Herrschafften dem Heil. Reich oder an dessen statt einen andern Stande lehnbar sind, daß daran nicht allein der Lehnsherr seinen Heimfall, sondern auch die Vettern und agnaten die von demjenigen der solches Lehn

am

am ersten empfangen herstammen oder mit dem Besitzer in gesamter Hand und Mitbelehnschafft stehen, ihre Erbfolge haben, so folget daraus, daß ein Landes-Herr auch so weit gebunden ist, daß er ohne Wissen und Einwilligung seiner mitbelehnten Brüder und Vettern, und denn des Lehn-Herrn solche seine Lande oder einen ansehnlichen Theil davon, oder die Lands-Fürstl. Regalien Gerechtsam und Herrlichkeiten nicht verkauffen, verschencken, im letzten Willen auf andre, als denen es von rechtswegen gebühret, verordnen, auch mit Bestand nicht verpfänden, wiederlößl. einräumen, oder dergleichen mehr thun kan, was die gebräuchl. Lehn-Rechte verbiethen, wiewohl über diesen Punct vieler Orten sonderbahre Verträge und Erbeinungen verfasset sind, auch sonst bey ansehnl. Land und Leuten wegen ein und andern Amts Guth und Nutzung durch die Lands-Herren, ohngeacht der Lehnbarkeit, viel freyer als etwa bey geringen Ritter Lehn und Güthern verfahren, und solches vieler Umstände halber so genau nicht gesucht wird. In eandem sententiam responderunt JCti Vitebergenses 1663. apud *Ziegler* de Jur. Maj. L. 1. c. 4. §. 27. Exteris tamen tales præfecturas oppignorari non posse, respondit *Merckelbach* apud *Klock.* Consil. XI. n. 141. sqq.

§. CCCLXVIII.

De eo autem dubitatum aliquando, num Princeps Imperii solus, sine consensu Ordinum provincialium, & domini directi particulam bonorum domanialium oppignorare valeat ad tempus ultra suam vitam duraturum. Tenet Duces Brunsvicensen Vogteiam in urbem Helmstadiensem feudi jure ex investitura ab Abbate Werthinensi, Ottoni Duci pro se & liberis facta. Oppignoraverat Dux Magnus 1351. hanc Vogteiam Senatui Helmstadiensi. Postulata postmodum reluitione, Duces Rudolphus Augustus & Antonius Ulricus ad supplices Senatus preces 1702. hanc oppignorationem ad 50. annos prolongarunt. At cum horum progenies in Ludovico Rudolpho desineret, & feudum ad agnatum Ferdinandum Albertum devolveretur, hic pignus revocavit 1734. cum memoratis quinquaginta annis octodecim adhuc deessent. Et recte omnino. Quamvis enim ex quorundam opinione descendentes Vasalli ipsius facta præstare teneantur, secus tamen se res habet in collateralibus, qui non beneficio ultimi defuncti sed ex pacto

An ultra vitam?

cto & providentia majorum proprio jure ſuccedunt. Sed nec ipſos liberos in ſucceſſione feudali teneri ad facta parentum præſtanda dixi de hereditat. Tit. 41. §. 852. ſq. quod inprimis obſervandum, ubi agitur de bonis familiæ, Stamm-Güther, & domanialibus.

§. CCCLXIX.

Conſentiente domino & agnatis.

Utrum autem dominus directus expreſſe an tacite in oppignorationem feudi conſentiat, nil intereſt. * Sic tacite conſentire videtur, ſi ſibi ipſi feudum oppignorari patitur, quo caſu ſi dominus ſimul fructus feudi percipit, eo ipſo Vaſallus a ſervitiis, utpote quæ fructuum intuitu præſtantur, liberatur. Conf. cap. I. X. de feudis. At dominus, qui oppignorationi ſubſcribit *ſalvo jure ſuo* ſaltem contractus confirmandi, non autem juris ſui remittendi cauſa conſenſiſſe præſumitur, nec feudo aperto ad debiti ſolutionem tenetur. (Diſſentit *Schrader* de feud. part. 8. c. 4. n. 34. Conf. ex *Carpzov. & Stryck.* *Horn.* Juriſpr. feud. c. 19. §. 4. & 9.) Quodſi vero agnati in oppignorationem citra dominii conſenſum conſentiant, ipſa quidem oppignoratio ob hunc defectum eſt irrita, agnati tamen feudo ad ſe devoluto propter conſenſum interpoſitum actione perſonali creditoribus tenentur. Conf. *Rauchbar.* Quæſt. 45.

* Jure feudali Alemannico c. 26. & Saxon. art. 69. dominus quidem, ſine cujus conſenſu feudum oppignoravit Vaſallus, intra 6. hebdomatas & diem a die ſcientiæ poteſt exigere, ut feudum liberet & redimat, id quod Vaſallus ſi modo præſens ſit, intra triplex ſpatium 6. ſeptimanarum & diei facere debet. Quodſi autem intra annum & diem dominus non contradicat, oppignoratio *tacito conſenſu* convaleſcit, ita ut dominus feudo devoluto debitum agnoſcere debeat, modo dominus non ignoraverit oppignorationem. Sed hæc in foro negligi monet *Horn.* Juriſpr. feud. c. 19. §. 3.

§. CCCLXX.

Differt feudum

De cetero feudum oppignoratum cum pignoratitio confundendum non eſt. *Pignoratitium* dicitur, quando dominus creditorem in debiti ſecuritatem

tem feudo investit, quod licet improprium sit, & debito soluto expiret,* tamen est feudum, nec in eo regulariter fœminæ succedunt, utut jus retentionis habeant, & de pecunia reddita tanquam allodiali participent. Feudum vero *oppignoratum* est, quando in feudo Vasalli cum consensu domini pignus vel hypotheca constituitur, & hæc hypotheca mere est allodialis. Vid. *Horn.* Jurispr. feud. c. 4. §. 9. *pignoratitium ab oppignorato.*

* Quamobrem reversales dabantur super feudis pignoratitiis, & ipsa talia feuda vocabantur *reversiones*, quia revertebantur debito extincto, quemadmodum & reversionis feuda in genere vocabantur illa, quæ revocari quocunque tempore poterant.

§. CCCLXXI.

Melior ut in aliis multis, ita & circa oppignorationem est emphyteutæ conditio, quam Vasalli. Emphyteuta enim licet directum domini dominium teneatur agnoscere, potest tamen libere citra domini consensum pignus in emphyteusi constituere, qua tamen ubi ob non solutum canonem a domino privatur, ipsum etiam pignoris jus evanescit. L. 31. Dig. de Pignorib. Ratio in eo est sita, quia emphyteutæ jus alienandi est integrum, ita ut domino solum jus protimiseos competat, quod per oppignorationem solam ipsi non intervertitur. Add. L. 3. C. de jur. Emphyteut. *Emphyteusis valide oppignoratur.*

§. CCCLXXII.

Si prædium castrum aut præfectura cum pertinentiis oppignoratur, jurisdictio simul oppignorata intelligitur, ac immissione facta creditor ipsam jurisdictionis administrationem postulare potest, nec solis jurisdictionis fructibus ac emolumentis debet esse contentus, quia causa pignoris est individua, utut sub nomine & sigillo debitoris omnia expediri debeant, quia hic nihilominus dominus jurisdictionis manet. Præjudicium vide apud *Gustav. Henr. Mylium.* de Oppignoratione jurisdictionis §. 10. *it. jurisdictio cum prædio.*

§. CCCLXXIII.

Circa familiæ fideicommissa meo quidem judicio id dubio vacat, quod bona, quæ quis tanquam fideicommissa aliis relinquenda accepit, onerare pigno- *an famil. fideicommiss?*

pignorique ſubjicere nequeat, quia dominium, quod in iis habet, eſt limitatum & reſtrictum ad conditionem, ne onera illis imponat, quorſum & facit ex ipſo jure Romano L. 48. Dig. de pactis. Exiſtimat quidem *Stryck.* de ſucceſſ. ab inteſtat. diſſ. 8. c. 7. §. 44. & *Bœhmer* de diverſo hypothecæ & pignoris jure cap. 1. circa fin. teneri nihiloſecius moribus noſtris ſucceſſores in familiæ fideicommiſſis pignus & hypothecam in iis conſtitutam luere, quoniam ſint ſucceſſores non ſingulares, ſed univerſales, adeoque anteceſſorum facta præſtare teneantur, in tantum, ut nec fideicommiſſa familiæ ab anteceſſoribus alienata revocare poſſint. Sed quis non videt, hanc ſententiam e diametro adverſari paciſcentium intentioni, & evertere finem, ob quem familiæ fideicommiſſa conſtituuntur, imo in verbis ſaltem ludi, dum heres fideicommiſſarius ſucceſſor univerſalis vocatur, quod quidem intuitu totius fideicommiſſi admittitur, ſed negatur ſi de tota defuncti hereditate eſt ſermo, ejus enim intuitu ſucceſſor in familiæ fideicommiſſo potius eſt ſucceſſor ſingularis, & repudiare poteſt reliquam defuncti hereditatem, fideicommiſſo haud obnoxiam, quo poſito nec ad facta defuncti præſtanda heredem fideicommiſſarium teneri, manifeſtum.

§. CCCLXXIV.

Neg. Sed nec aliter noſtris ſaltem moribus ſe res habet, quoad fideicommiſſa quibus quis de novo onus fideicommiſſi mediante conventione & pacto ſucceſſorio impoſuit. Quamvis enim ex juris Romani philoſophia tale pactum (ſi apud Romanos licitum fuiſſet) tanquam mere perſonale tertio poſſeſſori ipſiusque juri reali, ex pignore quæſito, fraudi eſſe non potuiſſet, ſed ſaltem perſonalem actionem producere contra eum, qui contra datam fidem pignori rem dedit. arg. L. 61. Dig. de pactis, ſecus tamen noſtris moribus ſentiendum, quibus eo ipſo dum pacta ſucceſſoria valida habentur, per eadem dominium ita limitatur ac reſtringitur, ut alienandi ac onerandi aut oppignorandi facultas excludatur. Vid. dicta de heredit. T. 7. §. 137. heredibus autem pactitiis jus in re hereditarium acquiratur, quod ipſis ſemel mediante pacto irrevocabili quæſitum & radicatum interverti, aut minui per pignoris vel hypothecæ conſtitutionem nequit, adeo ut etiamſi ſcientes non contradixerint hypothecæ conſtitutioni, tamen ſibi non præjudicent.

cent. Taciturnitas enim non præjudicat ei, qui ſcivit, jus ſuum ſalvum manere. L. 8. §. 18. Dig. quib. mod. pign.

§. CCCLXXV.

Res dotales a marito ob reſtituendi obligationem & deficiens plenum earum dominium pignori dari non poſſe, res ipſa loquitur. Quod autem fundus dotalis ne accedente quidem uxoris conſenſu hypothecæ ſubjici poſſit per L. un. §. 15. C. de rei uxor. act. mere civile eſt, & hodie apud nos ne quidem inter plebejos, nedum inter illuſtres uſu ſervatur. Ut tamen validum ſit pignus in re dotali conſtitutum, expreſſus requiritur uxoris conſenſus, nec tacitus ſufficit, adeo ut uxor hypothecæ conſtitutioni præſens nec contradicens potius reverentiæ cauſa tacuiſſe, quam in hypothecam conſenſiſſe cenſeatur. Conf. *Myler.* Gamolog. cap. 18. §. 8. *Dos uxore conſentiente.*

§. CCCLXXVI.

Firmant hactenus deducta regulam ſuperius traditam, poſſe nimirum ea ſaltem, quæ valide alienantur, oppignorari. Unde regulariter res omnes in pleno dominio exiſtentes oppignorari poſſe animadvertimus, ſive mobiles ſint, ſive immobiles, ſive corporales ſive incorporales. Unde & fructus feudi, item jus uſufructuarii. Quamvis enim uſusfructus cedi nequeat, §. 3. Inſt. de uſufr. commoditas tamen & emolumenta ex uſufructu oppignorari poſſunt L. 11. §. 2. Dig. de pign. & hypoth. Imo & nomina ausſtehende Schulden pignori ſubjici poſſunt, item bona pluribus communia, L. 2. C. Commun. divid. modo oppignoratio non fiat potentiori. vid. de heredit. §. 555. ſqq. & de pactis §. 129. add. L. 2. C. ne lic. pot. Communione autem per diviſionem ſoluta, quæritur, num hypotheca uni ſaltem inhæreat parti? Communiter propter L. 7. §. ult. Dig. quib. mod. pign. ſolv. pignus ſicut ſervitutes individuum volunt. Poſſunt & omnia bona pignori ſubjici, qua occaſione quæri poſſet, an ſub hypotheca omnium bonorum comprehendantur Clinodia a Principe in ſui memoriam donata, aut num forte iisdem applicari poſſit L. 5. C. quæ res pignor. dar. coronas athletarum pignorari prohibens. *Omnia bona.*

§. CCCLXXVII.

De hypotheca in re aliena.

Exadverso bona aliena, vel quorum dominium dubium saltem existit, e. c. litigiosa ad pignus suapte natura sunt inhabilia, quia in iis securitas nulla, quæ tamen per pignus intenditur, obtineri potest. Quodsi vero hypotheca in re aliena sciente creditore constituitur, ejusque rei dominium postea forte ad debitorem pervenit, jus civile creditori nullum jus agendi, possidenti autem pignus in re aliena constitutum retentionis jus indulget L. 1. pr. Dig. de pignor. & hypoth.

§. CCCLXXVIII.

Ii, quibus administratio interdicta, oppignorare nequeunt.

Sicut autem ad alienandum non sufficit, ut quis rei alienandæ sit dominus, sed præterea liberam ejus administrationem habere debet, ita & ad rem pignori dandam non sufficit ejusdem esse dominum, sed requiritur etiam ejusdem habere administrationem. Hinc minorennes oppignorare nequeunt. (In quantum autem tutores illustres & Principes, qui ætatis veniam impetrarunt, alienare & oppignonare valeant, dixi de Tutela §. 481. & 566. Hinc porro pignus constituere nequit, cui bonorum administratio interdicta, quod in Creditorum concursu per emissam ad liquidandum citationem fieri intelligitur. Num, & in quantum debitor propriam suam aut aliam sibi subditam personam possit oppignorare in Obligationum doctrina Titulis de Obstagio & obsidibus dicetur. Cum enim exinde jus nullum reale oriatur, non est ut h. l. desuper simus solliciti.

TITU.

TITULUS II.

DE

Quomodo pignus conſtituatur,

ſpeciatimque de

Hypotheca illuſtri.

* * *

Requiritur ad pignoris conſtitutionem potiſſimum utriusque contrahentis conſenſus. Traditio ad majorem ſaltem ſecuritatem accedit. Pignus ſine traditione conſtitutum hypotheca audit, atque exiguum inter ſummos Principes uſum præbet.

§. CCCLXXIX.

Ad pignus requiri dico conſenſum tum creditoris, hujus enim eſt judicare, num in pignore oblato ſufficiens adſit ſecuritas, tum debitoris, ceu domini & de cujus re obliganda agitur. * Utrum autem hic conſenſus ſit purus an conditionatus, nihil refert. Hinc pignori pacta varia poſſunt accedere. Talia ſunt, ut creditor ex fructibus pignoris creditum recipiat †: ut creditor uſurarum loco fructus pignoris percipiat, quod pactum antichreticum ** audit; ut creditori pignus pro certo pretio locetur, hoc effectu, ne exceſſus legitimarum uſurarum in ſortem imputetur; ut pignoris interitus debitorem liberet a debito; ut res oppignorata, ſi debi- *Pacta pignori addi ſolita.*

 tor

tor ſtato tempore eam non luat, creditori pro debito *ſimpliciter* cedat, quod pactum legis commiſſoriæ nomine venit, ab eoque differt pactum, ut creditor pignus, ſi ſtato tempore non luatur, *juſto pretio* emtum habeat, atque reſiduum reddat, quod pactum in effectu nihil eſt aliud, quam venditio conditionata creditori facta, a qua iterum differt ceſſio pignoris a debitore facta, ſeu pactum, ut pignus, ſi ſtato tempore non luatur, poſſit a creditore ſine prævia denuntiatione *aliis* vendi, ut ultra ſummam pecuniæ creditæ major ad rem reluendam reſtituatur. Quæ pacta omnia naturali jure ſunt licita, & inter ſummos Principes ſuſtinentur, quoad ſubditos autem legibus noſtris civilibus ita temperantur, ut lex commiſſoria plane ſit prohibita, L. fin. C. de pact. pign. adject. in pacto autem antichretico fructuum perceptio ad modum legitimarum uſurarum redigi debeat, atque exceſſus in ſortem imputari, L. 14. C. de uſuris, ita tamen ut modicum propter incertos fructuum proventus negligatur. Pactum de pignore majori pretio reluendo, quam erat creditum, improbatur cap. 4. X. de pignor. Pactum denique, ut dominium pignoris tranſeat in creditorem, pignoris naturam mutat, & pignus tunc deſinit eſſe pignus, ſeu jus in re NB. *debitoris.* ***

* Hinc a pignore differt *pignoratio*, quando ob debitum contractum, aut damnum datum debitori vel a læſo vel a judice aliquid eripitur, & tantisper retinetur, donec pro damno ſatisfactum. Fundamentum illa habet non in domini conſenſu, ſed defenſionis jure, & facultate jus ſuum, quam fieri poteſt breviſſime, perſequendi, ac in tantum eſt licita, in quantum via facti permiſſa. Unde in bonis legatorum ceſſat. *Grotius* L. 2. c. 18. § 9. Aliam pignorationis ſpeciem, pactitiam nimirum, adducemus. §. 282. in fin.

† Tunc duplex negotium ſubeſt, & pignoris & ſolutionis partiariæ, ac creditor rei & ſolutionis & ſecuritatis & fructuum cauſa inſiſtit. Alexander Poloniæ Rex 1504. ſanxit, ne bona Regia alienentur, niſi in uſum Reipublicæ & Senatorum in Comitiis conſenſu, neve alio modo antiquæ ſummæ, quibus bona pignorata, augeantur, ut pignorationes ſub extenuationis conditio-

dictione fiant, quo illud, quod ex proventibus annuis usuris supercurreret in sortis deminutionem computaretur. Vid. *Lengnich* Jus publ. Polon. P. 1. L. 2. c. 10.

** Tacite & citra prævium pactum antichresin posse constitui, evincere nonnulli cupiunt ex L. 8. Dig. in quib. caus. pignus vel hypoth tacite contrahitur, quæ ita habet: cum debitor gratuita pecunia utatur potest creditor de fructibus rei sibi pignoratæ ad modum legitimum usuras retinere. At restringenda hæc lex videtur ad casum, quo debitor est in mora reddendi debitum, quod sine usurarum mentione accepit. Alias enim creditor fructus pignoris in sortem computare jubetur L. 1. & ult. C. de pign. act.

*** Ad quam horum pactorum speciem *Fiducia* priscorum Romanorum sit referenda, non conveniunt inter se Doctores. Definiunt illam per contractum, quo res creditori mancipabatur, ut soluta ad diem pecunia remanciparetur, non soluta pleno jure creditori committeretur. Incertum est an fructus creditor ex fiducia perceperit it. an ipsum dominium ad eum transierit. Ait *Strauchius*. Negat *Thomasius*.

§. CCCLXXX.

An retentione concessa pignus constitutum?

Perinde quoque erit, num expresso an tacito consensu constituatur pignus. Tacite e. c. pignus constitui videtur, quando dominus rem alteri commodatam, locatam &c. prius recipere renuit, quam debitum exsolverit, quo forte commodatario aut conductori est obæratus. In genere hic oritur quæstio, an concesso jure retentionis pignus tacite constitutum censeatur. Videri posset, quod sic, quoniam pignoris constitutio & concessio retentionis æquipollentia sonare videntur. Penitius tamen si examinemus indolem retentionis, eadem non semper uniformis esse deprehenditur. Quando e. c. in locis, ubi obtinet bonorum communio inter conjuges, de vidua dicitur, quod habeat jus retentionis, certe innuitur jus, quod ipso pignore est pinguius, & ipsam dominii portionem involvit. At quan-

quando de hypothecario dicitur, quod habeat jus retentionis in pignore intuitu debiti, pro quo pignus non præcise erat obligatum, vid. Tit. 4. §. 426. tunc hoc retentionis jus pignore est debilius, nullumque jus reale inducit, & contra solum dominum, non autem contra tertium e. c. domini creditores vim suam exerit. Ex substrata igitur materia erit dijudicandum, quid & quantum juris per retentionem concessam sit tributum.

§. CCCLXXXI.

Traditio an in pignore necessaria?

Quod vero dicitur, solum creditoris & debitoris de pignore pactum & consensum ad pignus constituendum nondum sufficere, sed præterea rei oppignorandæ traditionem requiri, arcendum est a securitate majori, quæ per pignus intenditur, quæque sine possessionis translatione h. e. traditione obtineri commode nequit.* Paradoxon videri posset, traditionem ad pignoris constitutionem naturali jure velle requirere, cum eadem ne quidem ad dominii (quod tamen sine dubio jus pignore pinguius continet) translationem opus præcise esse, superius fuerit adstructum. Sed animadverti velim, per solum paciscentium consensum naturali jure non modo obligationem personalem ad pignus dandum, sed & ipsum etiam jus quoddam pignoris reale, quod rei inhæret, & cum re ad quemvis possessorem transit, induci (hoc effectu ut si forte pignus a debitore alienetur, revocari illud a creditore possit ac retineri, donec ipsi satisfactum, quia vi pignoris constituti alienatio suscipi valide a domino non potuit) possessionem autem, quæ maximam securitatem tribuit, non solo consensu, sed prævia traditione transferri, eadem prorsus ratione, qua nudum dominium naturaliter sine traditione, at in sua perfectione spectatum & cum possessione conjunctum demum mediante traditione transfertur. *

* Quæ circa traditionem rite perficiendam sunt observanda repetere hic nolo. Eadem enim, quæ circa dominii traditionem juris sunt, etiam in pignoris traditione obtinent. Unde in Saxonia sicut ad dominium rerum immobilium transferendum, ita pariter ad pignus in iisdem constituendum interveniens judicis competentis autoritas requiritur. Reservari tamen potest hypotheca ratione

tione pretii in re immobili vendita ſine judiciali conſenſu, modo reſervatio in continenti, non ex intervallo, fiat.

§. CCCLXXXII.

Hypotheca quid?

Ferri hinc poterit judicium, in quantum naturali juri ſit cognita, ac inter ſummos imperantes uſum præbeat differentia inter pignus & hypothecam. Olim hanc ſignificationem fuiſſe receptam, ut rerum mobilium pignus, immobilium hypotheca diceretur, apparet ex L. 238. §. 2. Dig. de Verb. Signif. qua ſignificatione ſuppoſita diſcrimen inter pignus & hypothecam, tanquam ab ipſa rerum oppignoratarum indole, petitum naturalis juris eſſe, atque ad Principes applicari poſſe, dubio caret. Sed dudum ab uſu receſſit hæc ſignificatio, ac hodie differentia, quæ inter pignus & hypothecam intercedit, a traditione repetitur, adeo ut licet quandoque pro ſynonimis accipiantur L. 5. §. 1. Dig. de pignorib. proprie tamen loquendo pignoris appellatione contineatur res, quæ ſimul creditori in ſecuritatem traditur, * ſive mobilis ſit ſive immobilis, hypothecæ autem, quæ penes debitorem remanet, ** & in qua ſine traditione, conventione ſola, creditori ſecuritas conſtituitur. §. 7. Inſt. de Actionib. *** Atque de hoc diſcrimine in præſenti quærimus, an uſum inter ſummos imperantes præbeat?

* Utut forte traditione ſymbolica, prout documento tradito ipſum debitum oppignoratum cenſetur.

** Patet hinc pinguiora eſſe pignoris, quam hypothecæ jura, nec valide ab illo ad hanc duci argumentum. Sic res pignori ſupponi prohibita non protinus excludit hypothecæ conceſſionem, quia hæc potuit eſſe prohibentium intentio, ne in alium rei transferatur poſſeſſio. Hæc autem in hypotheca non transfertur.

*** Medium inter pignus & hypothecam genus conſtituit pactum, quo debitor creditori in caſum non ſecuti implementi permittit, bona ſua invadere ac pignorare. Memorabile talis pacti exemplum occurrit in Ludovico IV. Imp. qui per mandatarium ſuum Gottfried Paider tale quid permiſit ſubdito ſuo Lerkelio de

Durmstein. Ipsæ tabulæ, quas exhibent *Casp. Lerch a Durnheim.* von des Reichs-Adels ritterlichen Herkommen part. I. p. 5. & *Jo. Petr. a Ludewig* de donationib. p. 25. ita se habent. Ich Gottfried Paider Vice-Dom an den Rheine, des hochgebohrn Herrn Herrn Ludewigen des Röm. Königs, und Herrn Rudolffen des edlen Pfaltzgrafen beym Rhein und Hertzog in Beyern, verricht und thu kund allen denen, die diesen Brief ansehen, oder hören lesen, daß ich von meiner vorgenanten Herrn wegen han gelobet Jacob Lerkeln von Durmstein 60. Pfund Heller. Und da soll er jetzund um dienen meinem vorgenanten Herrn dem Könige. Die vorgenante Heller soll man den vorgenanten Jacoben geben auf St. Georgen Tag der ine nächst kommt. Gebe man aber dem vorgenanten Jacob das vorgenante Geld nicht auf das vorgenante Ziel, so möcht und solt der vorgenante Jacob meinen vorgenanten Herrn den König pfänden, und die Pfand treiben und führen in meines Herrn Hertzogs Rudolff Vesten ohn seinen Zorn, und ohne seiner armen Leute Zorn. Wäre es aber, daß der vorgenante Jacob meinen vorgenanten Herrn den König nicht möcht gepfänden ohne alles Gefehrde, so möchte er und solte meinen vorgenanten Herrn Hertzog Rudolffen angreiffen und pfänden ohne seinen und seiner armen Leute Zorn. Und darüber zu einer Urkund so geb ich ihm diesen Brieff mit meinem Innsiegel versiegelt. Der ward geben, da man von Christi Geburth zehlte 1300. Jahr und darnach im 15ten Jahr am nächsten Dienstag nach Bartholomæi Tag.

§. CCCLXXXIII.

Ejusdem inter Principes usus.

Pro affirmativa faciunt Diplomata Regum passim obvia, quibus inserta reperitur clausula sub hypotheca bonorum. Sic Ludovicus Bavarus in fœdere cum Philippo Valesio Galliæ Rege 1337. ipsi rerum suarum & Imperii hypothecam constituit apud *Leibniz.* in Cod. Jur. Gent. Diplom. & Ludovicus Rex Hierosolymorum & Siciliæ in Instrumento procuratorio apud *Ludewig* de Matrimoniis Principum per Procuratores in Append. p. 20. pro-

promittit in verbo Regis & sub hypotheca & obligatione omnium bonorum, quorumcunque præsentium & futurorum, ubicunque existentium, se ratum & gratum habere velle &c. In pace Osnabrugensi art. 16. §. 12. Electores Principes & Status Regi Sveciæ se obligant sub hypotheca omnium suorum bonorum. Æquipollens est clausula *sub obligatione* omnium bonorum præsentium, futurorum &c. quæ reperitur in pace Aquensi inter Gallum & Hispanum inita 1668. & alibi passim.

§. CCCLXXXIV.

Valde exiguus.

At *Leibnizius* in præfatione ad Codicem suum Diplomaticum & *Eisenhard* de jure Diplomatum p. 87. hanc clausulam inter superfluas & inutiles referunt. Nobis ejusdem utilitas non quidem nulla, exigua tamen videtur. Id enim operatur, ut ejusmodi hypothecam constituens bona sua hypothecata prius alienare valide nequeat, quam promisso satisfecerit, & si de facto alienaverit, is cui hypotheca est constituta, eadem recte revocet. Interim cum summi imperantes, qui ipsi sibi jus dicunt, armisque vindicant, rem bona fide acquisitam sub ejusmodi hypothecæ prætextu vix sint dimissuri, & metuendum omnino sit, ut talem hypothecam tanquam rem inter alios actam possessioni suæ bona fide acquisitæ fraudi esse patiantur, facile apparet, parum magnifice de hac clausula esse sentiendum. Hinc *Puffendorff* de J. N. & G. L. 5. c. 10. n. 16. inter eos, qui in libertate naturali vivunt, hypothecas inutiles pronuntiat, & *Bœhmer* de jure hypothecæ & pignoris diverso p. 40. vix esse ait, ut inter gentes rudera hypothecæ sint apparitura, etsi in eo nimis videtur progressus, dum scribit, hypothecam in ratione naturali non fundari, nec aliunde venire, quam ex juris civilis inventione. Ante ejus determinationem vix concipi posse, quomodo securitas alicui dari possit in re, quam non possidet. Certe eatenus aliqualis securitas se exerit, quod res hypothecata & de facto forte alienata repeti juste a tertio possit. Exemplum hypothecæ illustris præbet Lusatia, in qua Joannes Georgius I. Elector Saxo 1620. d. 6. Jun. hypothecam consecutus, cui traditio demum accessit 1623. Proprio tandem dominii jure eam 1635. pace Pragensi acquisivit. Memorabilis quoque est controversia, nostra memoria agitata. Nonnulli Belgarum subditi Svecis certam pecuniæ summam crediderant hypotheca sibi in vectigali Rigensi consti-

constituta. Riga postmodum a Russis occupata, Sveciæ Rex nolebat luere pignus a tertio occupatum. Russi vero negabant, se obligari ex debito, quod nec contraxerint, nec in rem suam fuerit versum. Consultationibus desuper inter legatos Hagæ Comitum subsistentes habitis plerorumque sententia salvum creditoribus existimabatur jus in pignore constitutum. Conf. dicenda de Pactis Princip. L. 1. T. 9. §. 324. Tandem Sveci hoc debitum solvere decreverunt.

§. CCCLXXXV.

Tacitæ hypothecæ juri nat. incognitæ.

Plane quod ad distinctionem attinet hypothecarum in expressas seu conventionales, & tacitas seu, prout rectius vocantur, legales* expeditum est, quod tacitæ seu legales naturali juri sint incognitæ, nec ad summos Principes applicari debeant. Quare vix ferendus videtur flosculus ille *Arnisæi* in Relect. polit. c. 4. Sect. 4, n. 39. dum alimentorum nomine tacitam hypothecam in bonis paternis *naturam* liberis dare scribit. Ejusmodi hypothecas si admitteremus, facile foret indistincte intuitu quarumcunque obligationum perfecte debitarum tacitam naturæ hypothecam effingere. Omnis potius hypotheca tacita a legislatoris humani voluntate ortum trahit, qui eam propter favorem vel causæ vel personæ indulget & constituit. ** Utrum vero hæc legislatoris voluntas expresse an tacite declaretur, eodem recidit. Unde ex consuetudine hypothecas tacitas nasci posse sequitur.

* *Legales* hypothecæ dicuntur, quia immediate a lege constituuntur, & distant a *judicialibus* gerichtliche Verschreibungen, eo quod judiciales non lege, sed contrahentium consensu nituntur, ac saltem judicis autoritate confirmantur. Quare accuratius hypotheca dividitur in conventionalem & legalem. Utraque est vel tacita vel expressa. Expressa conventionalis iterum vel judicialis vel extrajudicialis. Hic prius de legali dispiciemus, mox §. 390. de conventionali.

** In Saxonia saluberrimo instituto omnes hypothecæ tacitæ sunt sublatæ per Ord. Proc. Recogn. tit. 45. ut & jura prioritatis personaliter privilegiatis alias competentia tit. 49.

§. CCCLXXXVI.

Ceterum cum Imperii nostri Principes in caussis suis privatis Romanis legibus vivant, dubitandum non est, quin & tacitæ seu legales hypothecæ inter ipsos usum præbeant. Quando autem illæ locum habeant, notum satis est. Competit scil. tacita hypotheca 1) fisco. Vid. Tit. Dig. de jure fisc. & Cod. de privil. fisc. L. 2. C. in quib. caus. pign. contrah. Hæc hypotheca & ad privatum Principis & Augustæ patrimonium extenditur L. 6. Dig. de jur. fisc. in debitis autem ob delicta locum non habet. L. 17. eod. 2) uxori ob dotem, donationem propter nuptias, & dotalitium. Vid. dicenda de dote §. 636. 653. 729. 783. 3) legatariis fideicommissariis. §. 2. Inst. de leg. L. 18. de leg. 2. Distat tamen hypotheca legatarii ab illa uxoris, eo quod hæc eligere queat, contra quem ex mariti creditoribus bona ipsius tenentibus actione hypothecaria in solidum agere velit, legatarius autem legati intuitu unum ex heredibus in solidum convenire nequeat L. 1. in fin. C. commun. legator. 4) minoribus (ipsorumque heredibus, ceu contra *Lauterbach* ostendit *Titius* Obs. 663.) in bonis Tutorum (L. 42. Dig. de administr. tutel.) & rebus ipsorum pecunia emtis, L. 7. Dig. qui potiores in pign. (frustra usum harum legum inter Principes tum demum agnoscit *Titius* spec. Jur. publ. L. 4. c. 6. §. 25. si Principis tutor privatæ sortis sit) nec non in bonis vitrici, si uxor ejus, quæ antea fuit tutrix ante initas secundas nuptias rationes non reddidit. L. 6. C. in quib. caus. pign. contrah. 5) liberis in bonis patris ratione administrationis bonorum maternorum. L. 6. §. ult. C. de bon. quæ liber. 6) iis qui in refectionem ædium pecuniam crediderunt. Nov. 97. c. 3. 7) locatori prædii rustici in fructibus in feudo locato natis, at urbani in rebus illatis. L. 7. Dig. in quib. caus. pign. contrahitur ibique *Gothofred*. L. 5. C. de locato.

Quibus competant?

§. CCCLXXXVII.

De patrinorum muneribus, Pathen præsent, seu pecunia lustrica quæri solet, num ejus intuitu liberi hypothecam tacitam habeant in bonis parentum. Qui eam ad peculium profectitium referunt, vel plane non liberis sed parentibus dari contendunt, pro qua sententia laborat *Thomasius* in diss. de hypotheca tacita propter pecuniam lustricam, nullam plane hic agnos-

An liberis intuitu munerum patrinorum?

agnoscere possunt hypothecam. Sed cum hæc sententia ad illustres saltem personas plane non quadret, eorum mihi præplacet opinio, qui ex moribus Germanorum, vi quorum pater est tutor legitimus bonorum ad liberos spectantium, eundem liberis intuitu munerum lustricorum hypothecam tribuunt, quæ pupillis in bonis tutorum competit. Nec officit, quod objicit Thomasius, inconveniens esse patrem, qui jam dum pinguiore jure, patria nimirum potestate, & vi ejus plenissima bonorum ad liberos spectantium administratione gaudeat, liberorum suorum tutorem velle constituere. Etiamsi forte ex juris Romani philosophia paradoxon hoc videri posset, ex Germanorum tamen moribus nil monstri alit, utpote quibus patris eandem, quam tutoris esse potestatem, alibi fuit ostensum. Usuras autem liberis ex pecunia lustrica a parentibus non deberi, recte monet & contra *Beutherum* evincit *Thomas.* l. c. p. 57. quia nimirum datur, non ut fœnori exponatur, sed ut liberis asservetur, quod eo magis inter illustres locum habet, qui usuras ex muneribus patrinorum non capiunt, eo quod illa si in pecunia, saltem non in communi, sed rariori (Medaillen und Schaustück) ac asservari solita consistunt. Nomina si donant patrini, wenn Capitalien eingebunden werden, debentur usuræ. Si prædia integra, quod inter illustres nonnunquam fit, a patrinis offeruntur, ne tunc quidem parenti illustri ususfructus tribuendus videtur per dicta de patria potestate T. 12. §. 256.

§. CCCLXXXVIII.

Hypotheca spuria. Spuriis autem merito annumerantur & rejiciuntur prætensæ passim tacitæ hypothecæ, quæ consuetudine ac lege nulla nituntur, quorsum pertinet hypotheca, quam domino rei ablatæ in furis, ecclesiis piisque causis in debitorum bonis tribuunt nonnulli. Num vero hypothecæ piarum causarum, ecclesiarum, civitatum, collegiorum in bonis NB. *administratorum*, & absentium majorennium in Curatorum bonis in hunc censum vocandæ sint? a præjudiciali pendet quæstione, num idem vel major esse debeat favor piarum causarum, collegiorum, absentium quam minorum, ad quorum imitationem hypotheca tacita hic fingitur. Sane ubi ratio legis est manifesta, licet verba expressa deficiant, hypotheca tacita neganda non videtur, quam proinde sponsæ ratione dotis prænumeratæ æque tribuerem ac uxori, ei, qui ad navem reficiendam credidit, æque

ac

ac ei qui ad domum reficiendam, ei denique qui ad extruendam de novo æque ac ei qui ad reficiendam. Nonnunquam etiam Doctores hypothecas fingunt, ubi earum adminiculo plane opus non videtur e. c. pro alimentis, annuo reditu ac salario ex fundo certo debitis. Ibi enim fundo tali inhæret servitus ususfructus, jus hypotheca pinguius, qua proinde plane non opus. Sic & pro alimentis uxori debitis ad hypothecæ tacitæ refugium se recipere vix videtur opus.

§. CCCLXXXIX.

Peculiaris prorsus hypothecæ tacitæ seu legalis species est, quando judex competens h. e. rei sitæ * prævia summaria debiti demonstratione creditori in bonis debitoris *arrestum* indulget, quod a tempore, quo impetratum est, vim hypothecæ habet. Præsupponit illud legem aliquam civilem, ex qua proinde ejus jura & solennia unice sunt dijudicanda. Conf. dicenda de Processu §. 184. Not. 3. *Arresta.*

* Si bona debitoris diversis judicibus, qui tamen omnes ab eodem Principe pendent, subsunt, in Principis Cancellaria Arrestum impetrari potest, quæ de arresto imposito judices inferiores reddit certiores. Si tamen ante Notificationem alius creditor apud judicem inferiorem arrestum impetravit, hic posterior præfertur, utut alter in Curia Principis eum prævenerit.

§. CCCXC.

Hactenus de hypotheca legali. Sequitur conventionalis, qua paciscentium consensu securitas constituitur creditori in re debitoris apud eundem remanente. Dispesci solet in publicam & privatam. Privata dicitur, quæ solo paciscentium consensu nititur, publica quæ coram judice constituitur. * Unde apparet, hanc distinctionem iterum ad summos Principes non pertinere, sed civile præsupponere institutum. Quare & effectus hujus distinctionis, vi cujus in creditorum concursu ex legum civilium placitis, L. 11. C. qui potior. in pign. hypotheca publica præfertur, privatæ utut antiquiori inter solos subditos se exerit. *Hypotheca publica præfertur privatæ.*

* Hypo-

* Hypotheca coram Notario constituta judicialis vocari nequit. Sed an publica? Affirmat *Gabriel Schweder* de autoritate publica ad pignoris constitutionem necessaria Tubing.. 1716. Negat *Lyncker* in Respons. de 1681. Quasi publica, ejusdemque cum publica valoris esse, privatisque utut anterioribus præferri jubetur trium probatæ atque integræ opinionis virorum subscriptione munita, L. 11. C. qui potiores in pign. quod tamen ob contrarias leges & observantias passim negligitur. Sic talis hypotheca in Saxonia quondam chirographariis quidem præferebatur, at hypothecis judicialibus utut junioribus postponebatur. Ord. Proc. Tit. 46. §. 3. At in Ordinatione Recognita omnis plane effectus & validitas tali hypothecæ denegatur.

§. CCCXCI.

Constitui debet coram judice competente.

De judiciali hypotheca quæritur *primo* an præcise coram judice competente sive rei sitæ sit constituenda? Dubitandi ratio hæc est, quod hypothecæ constitutio sit actus voluntariæ jurisdictionis, qui coram quocunque etiam incompetente judice potest peragi. Verius tamen omnino est, quod hypotheca judicialis præcise fieri debeat coram judice competente seu rei sitæ. Finis enim & effectus hypothecæ judicialis est, ut præferatur extrajudiciali utut antiquiori, ne creditor, rem sibi obligatam aliis debitis haud obnoxiam credens, decipiatur a debitore, qui forte antea eam jam alii creditori obligaverat. Huic fraudi ut præveniretur, inventæ sunt hypothecæ judiciales, quas judex der die Untergerichte hat, in librum peculiarem in das Consens-Buch solet referre, ut exinde certiorem reddere queat creditorem, an res ipsi obliganda jam dum alii sit obligata. Hoc autem commodum obtineri non posset, si coram quovis judice incompetente hypothecas judiciales constituere liceret. Nec coram Camera domaniorum, vor der Fürstl. Rent-Cammer, hypotheca judicialis potest constitui, quia illa jurisdictionem plane nullam habet, nec proinde actus judicialis ibidem potest celebrari.

§. CCCXCII.

Qui tamen suis

Secundo quæritur, an ipse dominus jurisdictionis in rebus suis hypothecæ subjiciendis autoritatem interponere valeat? Affirmativa communior est,

&

& senatus passim res civitatis coram se oppignorant. In nobilibus autem Doctores requirunt, ut hypotheca constituatur coram directore judicii, dem Gerichtshalter, nec sufficere rentur consensum judicis pagani seu Sculteti & Scabinorum, des Dorff-Richters und der Schöppen, cum hi destituantur jurisdictione, & pro ministris saltem sint habendi, quæ sententia & in Saxonia per Decis. Nov. 38. & Ord. Proc. Rec. tit. 2. §. 3. publice est approbata. Alias autem graviter obstat, quod director judicii itidem est minister. A lege & consuetudine particulari animum si abstrahamus, tali casu judex superior erit adeundus. Quamvis enim jurisdictio patrimonialis privative concessa intelligatur, illa tamen saltem in inferiores competit, non in se ipsum, & nemo sibi ipsi autoritatem interponere potest. Id certe dubio vacat, quod dominus valide consentire possit in hypothecam sibi a subdito constituendam. *rebus hypothecæ subjiciendis autoritatem interponens.*

§. CCCXCIII.

Tertio si dominus directus vel jurisdictionis in hypothecam non simpliciter, sed ad certum saltem tempus e. c. quinquennium consentit, quæritur, num eodem elapso hypotheca & actio hypothecaria expiret? Decisio ex tenore negotii celebrati petenda. Si enim debiti solutio *intra* quinquennium, binnen 5. Jahr, promissa, hæc domini consentientis mens videtur, ut quinquennio elapso hypotheca penitus expiret, quare creditor ante ejus lapsum actionem hypothecariam movere debet. Si vero debiti solutio promissa *post* quinquennium, nach 5. Jahren, creditor actionem hypothecariam intra illud tempus instituere nequit, sed illa velut ignis inter cineres jacet sepulta. Quare dominus qui in hypothecam consensit, etiam quinquennio elapso admittere debet actionem hypothecariam, cui demum a finito quinquennio currit præscriptio. *De hypotheca ad tempus concessa.*

TITULUS III.

DE

Effectu Pignoris.

* * *

Jus quod per pignoris vel hypothecæ constitutionem creditori acquiritur, est reale, ipsamque rem oppignoratam vel hypothecatam afficit, adeo ut cum eadem ad quemvis possessorem transeat. Dominium tamen haud tribuit, secus ac die Pfandschafften veterum Germanorum, quæ propius ad emtionem cum pacto retrovendendi, quam pignus accedebant.

§. CCCXCIV.

Pignus possessionem tribuit,

Quoniam in hypotheca ipsa possessio in creditorem haud transfertur, videri quidem posset, ac si omne negotium meram quandam personalem obligationem involveret. Verum tamen cum per superius dicta ipsum etiam dominium sine traditione possit transferri, nulla apparet ratio, cur non pariter per nudam assignationem reale quoddam hypothecæ jus, quod dominio longe est minus, possit transferri. Interim dum in pignore accedit ipsa possessionis translatio seu traditio, pinguius jus per pignus acquiri quam per hypothecam, facile apparet. Hinc Creditor in hypotheca plus juris non habet, quam prohibendi, ne per ejus deteriorationem

secu-

ſecuritas per hypothecam intenta minuatur. At creditor cui pignus eſt traditum, ipſa poſſeſſionis jura exercet, remediis poſſeſſoriis utitur, novum opus nuntiat; poſtulat damni infecti cautionem, inſtituit condictionem furtivam, utilem actionem finium regundorum, communi dividundo, ſervitutis petitionem ſive actionem confeſſoriam nec non negatoriam &c.

§. CCCXCV.

Non tamen fructus.

Id tamen, quod diximus, habere creditorem in pignore poſſeſſionis jura, ita eſt reſtringendum, ut procedat ſaltem in tantum, quantum ſecuritas, quæ per pignus intenditur, poſtulat, neutiquam autem ad ſatisdationis & præſcriptionis jura ipſi vindicanda eſt extendendum, quia non ſuo, ſed alius nomine poſſidet. Eandem ob rationem regulariter, & niſi aliud inter paciſcentes actum doceatur, creditor fructus ex pignore perceptos ſuos non facit, ſed debitori reddere, aut pro circumſtantiarum ratione in uſuras aut ipſam ſortem computare tenetur. Quæ omnia ſicut naturali nituntur ratione & æquitate, ſic Romanis confirmantur legibus, quas aliunde notas huc apponere ſuperſedeo. Conf. *Bœhmer* de diverſo pign. & hypothecæ jure p. 57-63.

§. CCCXCVI.

Cedi poteſt.

Sed numne cedere ac alienare pignus aut hypothecam poterit creditor? Res diſtinctim ita ſe habet. Ipſum pignus vel hypothecæ jus creditor tum debitori tum tertio cuivis * valide cedit, idque vel cum vel ſine principalis debiti ceſſione, quo ſpectat caſus Legis 2. C. ſi pign. dat. quando nimirum pignus alii creditori pignori datur. Imo poterit creditor ſolam pignoris detentionem vel alii, vel ipſi debitori ita cedere, ut nihilo ſecius reale pignoris jus, imo ſano ſenſu ipſa ejus poſſeſſio, utpote quæ & per alium poteſt exerceri, ſibi ſalvum remaneat, quod accidit in caſu, quo creditor pignus debitori locat L. 37. Dig. de pignoratitia actione. At ipſam rem oppignoratam ipſum ejus dominium creditor, quamdiu debitor in mora ſolvendi haud exiſtit, alienare nequit, quia ſecuritatem ſaltem, non dominium habet. Quodſi autem debitor in ſolvendo ſe præbet moroſum, pignoris pariter ac hypothecæ finis, debiti ſcil. ſecuritas, poſtulat ut creditori indulgeatur facultas pignus vendendi, ſibique ex pretio inde re-

dacto solutionem procurandi. Inutile prorsus foret celebratum pignoris vel hypothecæ negotium, nisi hanc alienandi produceret licentiam, unde eidem ne pacto quidem expresso renuntiari posse, sed illud pro non adjecto esse habendum videtur, nisi forte pignori accessit pactum antichreticum, quo casu omnino putarem, validum pactum, quo alienandi facultati a creditore renuntiatur, ac reluitio in mero debitoris arbitrio relinquitur.

* Quo casu neque ad hypothecæ cessionem judicis autoritas requiritur, bene tamen domini directi, si agitur de cedenda hypotheca in feudo constituta. Imo in Saxonia indistincte cessio hypothecæ, utut in re allodiali constitutæ, judicialiter fieri debet per Ord. Proc. Recogn. tit. 46. §. 2.

§. CCCXCVII.

Vendi si debitor morosus. At ubi creditor pignus debitoris morosi vendit, ipsa naturalis ratio dictitat, ut omnia bona fide peragantur, nec debitor per pignoris vili pretio factam venditionem decipiatur. Unde saluberrime leges civiles creditorem a pignoris conventionalis emtione arcent, adeo ut ne quidem per substitutum illud emere possit. L. 10. C. de distract. pign. Hypothecæ autem & pignora judicialia cum publice sub hasta vendantur, ac omnis fraudandi suspicio exulet, non modo creditores, sed & præ reliquis admittunt emtores.

§. CCCXCVIII.

An dominium tribuit? Magna satis sunt jura, quæ creditori in pignore competere modo audivimus, sed ulterius progrediuntur recentiores nonnulli, ipsumque dominium pignoris in creditorem posse transferri contendunt. Imo jure Germanico & inprimis in Oppignorationibus territoriorum Imperii ipso jure per pignoris traditionem ejusdem dominium in creditorem transferri interserunt. Trahunt huc tum Land-R. L. 2. art. 24. ein jeglich Mann mag sein Guth mit Recht wohl loß werden, als ob ers verkaufft, versetzt cui suffragatur Spec. Svev. c. 311. tum textum Instr. Pac. Westphal. art. 5. §. 27. ubi debitori directum quoddam pignoris jus tribuitur, unde ex natura correlatorum creditori utile tribuendum censent.

§. CCCXCIX.

Nobis nihilosecius videtur contra pignoris naturam esse, ut ejus dominium ad creditorem transeat. Stante certe pignoris definitione, qua dicitur jus in re *debitoris*, simulac ejus dominium in creditorem transfertur, & res creditoris esse incipit, pignus esse desinit, & aliud potius negotium celebratum intelligitur. Nec juvabit dixisse, plenum quidem pignoris dominium in creditorem transferri non posse, bene tamen minus plenum, utile saltem. Nam & utile tale dominium tunc desinit esse debitoris, quare pignus in eo concipi nequit, sed alius potius celebratus quidam contractus. Sic in feudo pignoratitio celebratur contractus fe. dalis, & improprii cujusdam pignoris qualitas saltem extrinsecus accedit, quo ipso & a feudo oppignorato differt. Par esto de revocabili dominio judicium. Nam ne hoc quidem in pignore potest transferri. Sufficit enim tunc ad tempus desinere rem esse debitoris, & per consequens durante illo tempore ad pignus inhabilem esse. Quidquod temporarium seu revocabile dominium pro pecunia translatum infallibile potius est indicium celebratæ emtionis cum pacto de retrovendendo. Quæ cum ita sint, aut mutanda erit pignoris definitio, & tunc super solis voculis lis erit, aut dominii translationem pignori plane repugnare dicendum. *Neg.*

§. CD.

Quod vero in specie de pignore juris Germanici adducitur, difficultate non caret. Crucem illud eruditissimis jam dum fixit viris, utpote qui facile animadverterunt, recedere illud immane quantum ab ordinaria pignoris natura, unde hactenus saltem inter eos haud convenit, ad quodnam negotii genus illud debeat referri. *Strauchius* de Oppignorationibus Rer. Imp. totus in eo est, ut ostendat, pignus hoc Germanicum nihil esse aliud, quam fiduciam veterum Romanorum, quæ mediante Codice Theodosiano, in quo ejus mentio occurrit, ad Francos transierit. Vestigia Strauchii legit *Lynckerus* de potestate Imperatoris alienandi bona Imp. th. 20. Sed *Thomasius* in diss. de usu distinctionis inter emtionem cum pacto de retrovendendo & contractum pignoratitium negat, in fiducia Romanorum transiisse dominium, negat fructus percipere potuisse creditorem ex fiducia. Conf. dicta Tit. 2. §. 1. Quæ si ita essent, frustra ad fiduciæ naturam revocaretur *Pignus Germ. ad fiduciam refert Strauchius.*

pignus Germanorum, in quo creditorem dominium nancisci hactenus constanter fuit creditum, certe fructus ex eodem creditorem suos facere, sole meridiano est clarius. Accedit, quod Strauchius nondum satis demonstraverit, quomodo mediante Codice Theodosiano fiducia ad Germanos transierit. Licet enim eodem Franco-Galli fuerint usi, de Germanis tamen idem hactenus a nemine est ostensum. Neque est, cur a Romanis demum Germanos petiisse dicamus contractum, quem sibi relicti ex propria ratione & commoditate invenire poterant.

§. CDI.

alii ad pactum antichretic.

Alii hoc pignoris genus malunt esse pignus cum pacto antichreseos, quibus *Strauchius* de Oppign. rer. Imp. c. 10. §. 32. objicit, quod creditor in pacto antichretico fructus non ut pensionem seu reditum, sed ut partem sortis accipiat, secus ac in Oppignorationibus Imperii, ubi reditus in sortem non imputantur. Non levem tamen Strauchius commisit errorem, dum in antichresi fructus ut partem sortis accipi perhibet. Contrarium enim, quodque in antichresi fructus usurarum loco percipiantur, in vulgus constat, & tum ex L. 14. C. de usuris, tum ex ipsa ἀντιχρήσεως voce, quæ mutuum usum innuit, addiscitur. Obtusis igitur armis contra adversarios pugnat, & rectius iis opponitur, ideo oppignorationes Germanicas ad pactum antichreticum referri non posse, quia in illis dominium rei oppignoratæ in creditorem transfertur, in hoc non æque. Minorem assensum meretur *Martinius* de jure censuum c. 1. n. 177. qui oppignorationem Germanicam dicit esse peculiarem contractum, quem *impignerationem* vocat. Tantum enim abest, ut hac ratione rem expediat, ut potius impedire eam magis videatur.

§. CDII.

alii ad emtionem censuum

Quæ cum ita sint, cumque nulla pignoris species ad oppignorationes Germanicas exacte quadret, ad emtionem alii omne hoc negotium referre malunt. Sunt qui illas dicunt esse emtionem census, speciatimque totius negotii originem ex jure Canonico repetunt, quod usuras quidem damnat, earum tamen loco annuos reditus & census redimibiles permittit. Posito

autem

autem principio translati dominii temporarii cum reservata reluitione, cuncta jura singularia pignorum Germanicorum commode satis inde deduci existimant. Vide hanc in sententiam differentem Dominum *Sebastian. Eberhard. Ihering* in seinen vorläuffigen Grund-Lehren der Bürgerlichen oder Privat-Rechts-Gelahrtheit der Reichs-Stände in Teutschland. §. 49.

§. CDIII.

Sed cum in census emtione dominium rei, ex qua census est solvendus, haud transferatur; in pignore autem Germanico ipsum rei oppignoratae dominium in creditorem transferatur: propius ad rem accessisse, eamque acu tetigisse videntur, qui oppignorationes Germanicas nihil esse aliud, quam emtionem cum pacto de retrovendendo contendunt. Sunt in horum numero *Wesenbecius*, *Zasius*, *Webnerus*, *Arumaeus*, *Besoldus*, *Colerus*, *Boehmerus* aliique, quibus ipse Strauchius nil aliud opponere novit, quam quod aliud tinniat formula concepta, quae negotium nostrum non emtionis, sed pignoris nomine insignire solet. Sed caveamus, ne ambiguo nominis sono decipiamur. Infrequens non est in jure, ut voces relicta propria significatione aliis rebus applicentur. Ex jure publico constat, Majestatem proprie summam in subditos denotare potestatem, qua licet uxores Regum destituantur, Majestatis tamen nomen iis tribui animadvertimus. Pariter in jure privato venditionem & locationem, quae alias & proprie loquendo pretium praesupponunt, de contractibus innominatis praedicari exemplis legibusque confirmat ipse Strauchius §. 30. Nonnunquam etiam temporis tractu verborum significationes mutantur.

Nos ad emtionem cum pact. retro-vend.

§. CDIV.

Eadem prorsus ratione se res habet cum priscis Germanorum oppignorationibus. Aestimabant veteres Germani dominium ex possessione, uti vel ex restricta eorum vindicatione, secundum paroemiam Hand muß Hand wahren, liquet. Hinc eum, cui res commodata vel in crediti securitatem tradita erat, pro domino temporario saltem agnoscebant. Quo posito sponte sequitur, ignorasse Germanos pignus in hodierno juris Romani sensu pro jure in re *debitoris* creditori concesso acceptum, ac emtioni cum pacto retrovendendi oppositum, imo eos per voces Pfandschafften,

Olim Pfand-schafft und wieder-kauff *synonim.*

Pfand-

Pfandschilling nihil aliud, quam ipsam emtionem cum pacto de retrovendendo designasse. Postea cum una cum usu juris Romani dominii jura a possessione diversa receperint, apud eos quoque frequentari cœperunt pignora antichretica, solius securitatis causa cum fruendi facultate sine dominio translata, iisque nomen derer Pfandschafften, Pfandschilling, quod antea emtioni cum pacto de retrovendendo erat proprium, communicatum, hæc vero distinctionis causa Wiederkauff appellata, ita tamen ut subinde voces Pfandschilling, Pfandschafften vi antiquæ suæ significationis emtionibus cum pacto de retrovendendo adhuc applicarentur.

§. CDV.

quod probatur. Confirmant hanc sententiam Acta publica & Diplomata, quæ *lo* verkauffen & verpfänden diserte pro synonimis accipiunt. Sic in Diplomate de dato Bacherach 1368. quo Wilhelmus Juliacensis Ruperto Palatino castrum & oppidum Kaiserswerth oppignoravit, quodque habetur in Justitia possessionis Palatinæ super Cæsaris insula Wetzlariæ 1708. 4. edita p. 40. sq. verba ita fluunt: Wir bekennen ꝛc. daß wir unser Vesten Kaiserswerth Burg und Stadt ꝛc. recht und redlichen Verkofft und in rechter Pfandsweise ingegeven und ingestellt haven für 57594. fl. ꝛc. Huc etiam facit Instrum. Pac. art. 5. §. 27. dum debitori in terris oppignoratis dominium directum eoque ipso creditori aliud dominii genus directo oppositum tribuit, ac proinde pignoris nomine compellat negotium, quo dominium in creditorem translatum, uno verbo emtionem cum pacto de retrovendendo. Autor Meditationum ad Instr. Pac. h. l. lit. T. hanc Instrumenti Pacis locutionem minus accuratam esse censet, & fatendum omnino, eam inusitatam valde videri. Equidem si de feudis pignoratitiis sermo esset, sensus planus satis foret. At cum oppignorationibus Imperii qualitas feudalis tribui in regula nequeat, potius erit dicendum, dominium directum ibi non eo, quo jure feudali sensu accipi, & quatenus dominium minus plenum ac in partes divisum denotat. Nam existimo creditorem in territorio oppignorato integrum habere dominium, eodem modo quo antea penes debitorem existebat: sed directum dominium in genere ibi opponi videtur dependenti, quod sicut a debitore profectum est, ita revocari ab eodem debito soluto iterum potest.

§. CDVI.

§. CDVI.

Cum igitur olim vox Pfandschafft emtionem cum pacto de retrovendendo denotaverit, nec sequiori ævo hæc significatio penitus ab usu recesserit, sed promiscue nunc de dicta emtione, nunc de pignore usurpetur, quæritur, quid in dubio statuendum, & num potius pro emtione an pro pignore pronunciandum sit. Certe recepto semel inter pignus & emtionem cum pacto retrovendendi discrimine, in dubio per Wiederkauff hæc, per Pfandschafft illud intelligendum, ac probe dispiciendum num res vel territorium cedatur wiederlößlich an wiederkäufflich. Illud enim contractum pignoris, hoc emtionis cum pacto de retrovendendo innuit. Utut facile largiar, magis ad mentem quam verba contrahentium esse respiciendum, & potius quid actum, quam quid scriptum, considerandum. Facile enim concipientis imperitia accidere posset, ut in instrumento hæ duæ voculæ wiederlößl. und wiederkäuffl. inter se confundantur, præsertim cum probabile valde sit, easdem priscis temporibus, ubi Germanis pignora ignorabantur, eorumque loco semper emtiones cum pacto retrovendendi celebrabantur, prorsus fuisse synonimas, earumque discrimen demum introducto apud Germanos pignorum usu cœpisse. *hodie differunt.*

§. CDVII.

Neque frustranea est, aut solas voculas captat hæc inter pignus & emtionem cum pacto retrovendendi, inter cessionem, quæ fit auf wiederlößl. & quæ fit auf wiederkäuffl. differentia. Diversa admodum utrinque cernuntur jura. Fac, rem traditam a possessore alii cedi, in tertium quendam transferri, quomodo eandem primus possessor recuperabit? Si pignoris jure fuit cessa, primus possessor tanquam ejusdem dominus a quocunque eandem vindicabit. Sin jure emtionis cum pacto retrovendendi fuit tradita, ipsum dominium translatum, tunc pristino domino contra præsentem possessorem nulla plane erit actio & sola personalis contra emtorem dabitur. Conf. Sächs. Land-R. L. 2. art. 60. *discrimen cernitur alienato pignore.*

§. CDVIII.

Fac adhuc, rem pro pretio traditam penitus interire, aut plane inutilem reddi, poteritne is, qui eam accepit, nihilominus pretium repetere? Resp. *vel intereunte.*

Reſp. Aff. ſi pignoris jure in ſecuritatem accepit, tunc ſublato licet pignore, evaneſcente ſecuritate, manet nihiloſecius debitum principale, resque ſuo domino periit. At ſi res jure emtionis tradita, dominium translatum, pretium repeti neqit, quia res itidem ſuo periit domino. Applica huc caſum §. 384. memoratum. Atque hoc vult Land=R. L. 3. art. 5. dum per interitum rei oppignoratæ creditorem ſummam debitam amittere ait. Fruſtra hæc juris Germanici diſpoſitio *Stryckio* naturali juri repugnare, & *Colero* contra omnia jura mundi eſſe videtur. Non enim de pignore proprie dicto, utpote priſcis Germanis ignorato, ſed emtione cum pacto retrovendendi eſt accipienda & proinde æquiſſima, nec ad hodierna pignora applicanda, quippe quæ demum cum jure Romano recepta, atque ex eodem dijudicanda.

§. CDIX.

vel deteriorato. Quodſi res non quidem penitus interiit, ſed deterior ſaltem reddita, aut in caſu contrario ſi meliorata fuerit, itidem differentia ſe prodit inter pignus & retrovenditionem. Ubi enim pignus celebratum, debitor illud recipere debet in eo ſtatu, quo citra creditoris culpam & caſu forſan deterioratum deprehenditur: ſicut viciſſim meliorationum obtentu, ſi illæ non fuerint ſumme neceſſariæ, vid. Tit. 4. §. 426. creditor nihil prætendere, nec proinde earum intuitu retentionis jus exercere poteſt, quia ſolam habebat ſecuritatem. At ſi emtio cum pacto retrovendendi celebrata, non modo periculum eſt emtoris, ac in reluitione tantum de pretio detrahitur, quanti minoris res eſt facta: ſed etiam in caſu meliorationis emtor retentionis jure gaudet, donec de meliorationibus ſatisfactum. Cum 1369. Eberhardus de Eppenſtein venderet Ulrico de Hanau & civitati Gelnhuſanæ præfecturam Grundavienſem pro 1800. fl. additum: Wenn Herr Eberhard zu Eppenſtein und Frau Agneſa ſeine eheliche Frau und ihre Erben und Nachkommen kommen vor S. Peterstag den man nennet ad Cathedram zu Uns, und zu unſern Erben, und zu unſern Nachkommen, und bitten uns um einen Wiederkauff des vorgenannten Gerichts zu Gründaue, ſo ſollen wir daſſelbe als es denn beſſer oder ärger iſt ohn gefährde wieder zu kauffen geben um die vorgenannte Summe Geldes minder oder mehr, was daſſelbe Gericht denn zu der Zeit ſtehet. Vid. *Senckenberg* de reluitione oppignorati territorii in Adjunctis num. 5.

§. CDX.

§. CDX.

Porro si de territorio pro pretio cesso quæritur, quisnam ibidem superioritatem territorialem ejusque jura exercere debeat? iterum haud exigua se prodit differentia inter pignus utut antichreticum, & emtionem cum pacto retrovendendi. In *illo* sola securitas cum fructibus (quorum tamen intuitu possessori dem Pfands-Innhaber homagium potest præstari die Pfands-Huldigung) usurarum loco cessa, dominium remanet penes debitorem una cum pendente ex eodem superioritate. Atque hinc est, quod dicitur, pignus non tribuere qualitatem Status Imperii, possessoribus, quibus immediatæ Statuum terræ sunt oppignoratæ, In *hac* vero ipsum dominium cum omnibus juribus annexis traditum e. c. patronatus, homagii *, confiscandi, reformandi **, leges ferendi, jurisdictionis, appellationis *** &c. ac proinde talis emtor, si reliqua rite se habent, omnino qualitatem Status Imperii acquirit. *item in translatis dominii juribus.*

* Putat quidem *Gail.* L. 3. Conf. 15. tale juramentum nil præter homagii nomen habere, notatus propterea *Hertio* diss. de Subject. territ. §. 14. Significanter res exprimitur in Oppignoratione Stratae Montanæ der Bergstrasse apud *Tolner* Hist. Palat. p. 70. Und also schwuren die vorgemelte Städte Burger, und auch das gemein Bauer-Volck in den Dörffern an der Bergstrasse, dem Pfaltzgrafen, seinen Nachkommen, und der Pfaltz zu ewigen Tagen getreu und hold zu seyn, auch ihn vor ihren Herrn zu han, und nimmer von ihm zu weichen und von der Pfaltz, biß daß er oder seine Nachkommen der Pfaltz sie ihres Eydes ledig zehlten, auch ihm wäre denn vorausgemacht hundert tausend und zwantzig tausend Gulden. Neque tamen homagium præstitum dem Pfands-Herrn obesse ei, quod civitas oppignorata præstabat Cæsari observat *Koch* de jure oppignorationum Imperialium §. 22. in fin. Hinc cives Fridbergenses homagio quod Ruperto Imperatori præstabant, adjiciunt: Doch unschädlich uns an solche Pfandschafft, als wir unsern rechten Herrn von Schwartzburg und von Hohnstein von des heil. Reichs wegen verpfändet seyn. Vid. *Ahasv. Fritsch* disc. histor. c. 5. §. 11.

 ** De

** De jure reformandi in territorio oppignorato controversia mota 1649. in civitate Egrana quam Ludovicus Bavarus Imperator 1315. Johanni Behemiæ Regi pro 20000. Marcis argenti oppignoravit.

*** Hæc tamen cum & in fructu esse possint, cedi quoque in antichresi poterunt. Sed quid si creditor habet jus de non appellando, numne nihilominus ex territorio ab Imperio oppignorato ad summa Imperii tribunalia appellabitur? Affirmativam nonnulli tuentur, quia res cum causa transfertur talis, qualis esset futura, si apud debitorem mansisset. Hinc & in Oppignorationibus Austriacis Cameram appellationes recipere testatur *Meisner* Tom. 3. Decis. 26. Contraria tamen sententia aliis præplacet ideo, quod jurisdictio in fructus computatur. Juvabit hanc in sententiam apponere verba *Gylmanni* in Decis. dubior. Voce Pfandschilling ibi: Oppignorationes immobilium sunt contractus stabiles de jure scil. emtionis venditionis cum pacto de retrovendendo, & ita conclusum in Camera: Unde cum venditur civitas Imperii, veluti Oppenheim est vendita ab Imperio Palatino Electori Rheni, tunc intelligitur vendita cum fructibus jurisdictionis, ut sunt pœnæ, sportulæ &c. Si igitur Palatinus ibi est dominus merito ergo a sententia ibidem lata appellatio ad ipsum fieri debet. . . . Et sic judicatum in causa Meintz contra G. Kerres & Consorten scilicet daß die Sache durch beschehene Appellation an Kayserl. Cammer-Gericht nicht erwachsen, sondern wolle der Ertz-Bischoff seine Appellation vollführen, daß er solches im Chur-Pfältzischen Hof-Gericht thun solle. Add. *Strauch* de Oppignorat. Imp. §. 45. sq. Quilibet facile videt, distinguendum esse, num fiat oppignoratio ab ipso imperio, an a statu Imperii? Priori casu suprema instantia simul oppignorata, adeoque appellatio dirigenda ad creditorem: posteriori ad summa Imperii tribunalia, quia oppignorans supremam instantiam non habuit, ac proinde nec oppignorare potuit.

§. CDXI.

§. CDXI.

Denique in pignore antichretico fructus legitimarum usurarum modum excedentes computantur in sortem, quod secus se habet in emtione cum pacto retrovendendi, ubi omnes fructus jure dominii acquiruntur. Carolus IV. Imperator civitati Moguntinæ Oppenheimium aliaque loca 1356. oppignorans apud *Lehman.* Chr. Spir. L. 7. c. 50. promittit: Was sie davon Nutzens oder Gefälle aufgehoben han, darum sollen wir oder unsre Nachkommen an dem Reich ihnen an der vorgenannten Summe Geldes nicht abschlagen, und ihnen darum nimmer zugesprechen ohne gefehrde. * *in fructibus*

* Memorabile quoque est, quod Imperator in hac oppignoratione promittit: Auch versprechen wir, daß wir solch verpfändet Guth, als wir der vorgenannt freyen Stadt zu Meintz versetzt haben, niemand von ihr sollen lassen lösen, wenn wir oder unsre Nachkommen am heil. Reich mögen es lösen mit unsren eigen Guth. Wäre es auch daß wir das andre unser halbe Theil der vorgenannten Städte, Burg, Dörffer, und Zoll jemanden versetzen wolten, das sollen wir gönnen der vorgenannten freyen Stadt zu Meintz vor dasselbe Geld, das uns ein andrer drauf leihen wolt.

§. CDXII.

Priusquam ab effectibus * pignoris discedamus operæ pretium erit, inquirere, quos effectus pignus producat in creditorum concursu? Inter subditos omne hic dubium leges civiles tollunt **. At inter Principes nemini subditos, ac in statu naturali viventes, quæstio hæc plus difficultatis quam utilitatis habet. Rarius inter eos ejusmodi concursus excitantur, & si forte moventur, id extra omne dubium est positum, quod creditor pignus proprie sic dictum h. e. cujus possessio ipsi est tradita prius dimittere, & in concursus massam conferre non teneatur, quam ipsi pro debito, super quo pignus erat datum, fuerit satisfactum. Quodsi autem hypothecam solam sine possessione habet, naturaliter præventioni locus esse videtur, adeo ut ejus conditio potior sit, qui prior possessionem rei ad debitorem *Effectus pignoris in concursu.*

ſpectantis eſt nactus, ſive ad hypothecarios ſive ad chirographarios creditores pertineat.

* De actione Serviana ſeu hypothecaria vid. §. 7. Inſt. de Actionib. & dicenda L. 4. T. 2. §. 460.

** Notum eſt, in creditorum concurſu ante omnia dominos res ſuas penes debitorem extantes jure ſeparationis vindicare; poſtea deduci ſumtus inventarii & funerum neceſſariorum, nec non debita fiſcalia: deinde ſuccedere hypothecarios juxta temporis prioritatem (uxor tamen debitoris dotis intuitu & hypothecis tacitis anterioribus præfertur.) Porro ſuccedunt perſonaliter privilegiati, e. c. deponens cujus depoſitum amplius non extat, it. qui ad comparandam vel reficiendam rem credidit, nec hypotheca ſibi proſpexit. Denique chirographarii pro rata debiti quantitate in tributum vocantur. Uſuræ in eandem qua ipſa ſors claſſem referuntur. In Saxonia hypothecæ tacitæ, jus prælationis perſonaliter privilegiatorum non attenduntur, uſuræ etiam quæ non ex re judicata debentur, demum omnibus debitis principalibus ſolutis ſolvuntur. Num vero Princeps jubere poſſit, ut creditoribus tempore prioribus præferantur alii juniores, dubitari propterea poſſet, quod Princeps jus quæſitum nemini poteſt auferre. At enimvero Princeps primo vi poteſtatis legislatoriæ poteſt jubere, ut in poſterum nonniſi ſub certis ſolennitatibus e. c. publica confirmatione creditori ex debito jus acquiratur, adeo ut debita utut antiquiora, confirmatione tamen deſtituta, junioribus confirmatis poſtponantur, vel plane pro nullis reputentur. Deinde etiam vi dominii eminentis in caſu neceſſitatis publicæ e. c. invaſionis hoſtilis, aut annonæ jus alteri jam dum perfecte quæſitum auferre, multoque magis alii juniori poſtponere poteſt. Memorabile exemplum præbet Mandatum Saxonicum de 1707. quo Creditoribus, qui ad Contributionem Suecicam pecuniam crediderunt jus prælationis præ creditoribus aliis antiquioribus utut hypothecariis conceditur.

§. CDXIII.

§. CDXIII.

inter liberos Principes.

Ubi vero creditores omnes in arbitrum compromittunt, quasnam regulas hic tali casu sequi debeat, omnia dubiis sunt plenissima. Num e. c. chirographarios anteriores hypothecariis posterioribus debeat praeferre? num hypothecarios juxta temporis prioritatem, an in tributum seu pro rata praetensionis suae ad solutionem debeat vocare? Num itidem inter chirographarios antiquiores recentioribus praeferendi, an omnes pro rata in tributum vocandi? Primam quaestionem affirmabunt ii, qui naturali jure dari hypothecas negant, vel saltem easdem nullos producere effectus contendunt. Neganda nihilosecius videtur ideo quod jus quoddam reale sine traditione acquiri potuit, & in hypothecis reapse acquisitum. In secunda temporis prioritas palmam reportabit, eo quod omnes hypothecarii magis res hypothecandas, quam fidem debitoris secuti sunt, jus vero prioribus acquisitum omnem reliquis securitatem ademit. Sed quid si uni generalis hypotheca in omnia bona, alteri specialis in certum agrum data, num specialis junior praeferenda generali antiquiori? Non sane putarem. Tertia denique quaestio resolvitur in quaestionem praejudicialem, numne creditores chirographarii magis fidem & personam debitoris quam res & bona ipsius respexerint? Res in utramque partem potest, disputari. Quoad subditos autem lex civilis personam magis fuisse spectatam retur, ideoque debitores pro rata in tributum vocat L. 6. C. de bonis autoritate judicis possidendis.

TITU-

TITULUS IV.

Quibus modis pignus tollitur.

* *
*

Tollitur pignus debiti remiſſione, pignoris interitu, præcipue autem reluitione, cui demum a negata reluendi facultate currit præſcriptio. Inter Imperii tamen Germanici Principes pignora ante hominis memoriam contracta relui prohibentur.

§. CDXIV.

Tollitur pignus Reluitione

Supereſt ut videamus modos, quibus pignora ſolvuntur ac eſſe deſinunt, quorum primus & potiſſimus ex ipſa pignoris natura eſt reluitio ſeu debiti ſolutio. Cum enim in debiti ſecuritatem pignus contrahatur, ceſſante hoc fine ipſum pignus debere ceſſare manifeſtum. Hæc autem debitum ſolvendi pignusque luendi facultas regulariter ſemper & in perpetuum debitori ſalva intelligitur, & contra ipſam naturam pignoris eſt pactum ne unquam reluatur. Vid. *Grotius* L. 2. c. 4. §. 15. Nec quoad hunc paſſum differunt die Pfandſchafften veterum Germanorum ſive emtiones cum pacto retrovendendi. Ipſum enim hoc retrovendendi pactum excludit tanquam e diametro ſibi contrarium pactum de non reluendo.

§. CDXV.

an eidem præſcribatur?

Dirimi hinc poterit controverſia, utrum juri pignoris luendi præſcribatur? Affirmativam nonnulli propugnant adeo, ut quamvis pacto convenerit, reluitionem quandocunque in infinitum competere debere, tamen exiſtiment,

ſtiment, certam æternitatem juridicam finitam eſſe præſcriptam, ne hominibus finitis in orbe finito actiones humanas plane infinitas reddere liceret; ac cenſeri eos, qui in æternum ſibi reluitionem ſunt ſtipulati legum placitis eatenus ſe conformaſſe, nec voluiſſe tranſcendere tempora a legibus cuique actioni præfinita. Vulgaris doctrina eſt, præſcribi jure Romano actioni pignoratitiæ & hypothecariæ, extraneo bona fide poſſidente, longo tempore, decem annorum inter præſentes, viginti inter abſentes, L. 1. & 2. C. ſi adv. cred. præſcr. extraneo mala fide poſſidente 30. annis, L. 7. C. de præſcript. 30. vel 40. an. debitore ipſo poſſidente 40. annis, ibid. Atque hinc ſæpius pro pignorum præſcriptione pronuntiatum in Parlamento Pariſienſi, Burdigalenſi, in Senatu Mantuano ac alibi paſſim.

§. CDXVI.

Atenim vero quicquid leges civiles circa pignoris præſcriptionem diſponunt, intelligendum eſt poſitis terminis habilibus, ut ſcilicet adſint bona fides & juſtus titulus, ac præſcribens ignoret, rem præſcribendam qualitate pignoris eſſe affectam. Dabimus præſumi naturaliter in poſſeſſore bonam fidem & juſtum titulum. Eliditur tamen hæc præſumtio, ſimulac producuntur tabulæ, quibus pignus eſt conſtitutum. Has ſi diffiteri nequit pignoris poſſeſſor, ne centenaria quidem præſcriptio ipſi quicquam proderit, ſed alteri ſemper pignus luendi facultas erit integra. Pignori rem acceptam uſu non capimus, quia pro alieno poſſidemus, ipſa naturæ vox eſt, non ſolius L. 13. §. 1. Dig. de uſurpat. & uſucap. Non melior hoc in paſſu eſt conditio ejus qui pignus poſſidet, ac depoſitarii, uſufructuarii, vel procuratoris, qui nulla ſe præſcriptione defendere valent, ſed furtum facere videntur, ſi incipere velint ſibi poſſidere.

non quatali.

§. CDXVII.

Regulariter pignus luere res eſt meræ facultatis, cui aliter non præſcribitur, quam ſi præceſſerit prohibitio. Quare hoc caſu ut pignori præſcribatur, requiritur, ut debitori prius reluendi facultas fuerit prohibita h. e. pignoris qualitas negata, & res oppignorata non pignoris ſed dominii jure poſſeſſa. Plane præſcripto prius ipſo mutuo, tanquam negotio principali, dubitandum non eſt, quin pignus, tanquam negotium acceſſorium

Sed negata pignoris qualitate

eo ipſo extinguatur * , nec nova præſcriptione aliter indigeat, quam ad excludendam rei vindicationem, a domino inſtituendam, qui ſi in dominio probando deficit, poſſeſſor ſola poſſeſſione eſt tutus. Quamdiu autem adverſario non fuit negata pignoris qualitas, ſed cum ipſo debito principali ſemper per intervalla agnita, etiam poſt plurima adhuc Secula integra erit reluendi facultas.

* Jure Romano 30. annis, quibus actio ex mutuo præſcribitur. Si vero ſubſiſtente principali obligatione, & facta deſuper interpellatione ſolum pignus a creditore præſcribitur, 40. anni requiruntur L. 7. §. 1. Dig. de præſcript 30. vel 40. an. Computantur autem quadraginta hi anni ab illo tempore, quo primitus pignoris qualitas negata.

§. CDXVIII.

diſtinctiones

Nonnulli ut *Kœppen* Deciſ. 1. & *Berger*. Reſol. Lauterbach. tit. de pignoratitia actione diſtinguunt inter pignoris reluitionem, quam nunquam præſcribi putant, & jus redimendi id, quod ſub retrovenditionis pacto eſt venditum, quod præſcriptioni obnoxium cenſent, quia hoc caſu de alieno acquirendo, illo autem de proprio conſervando agatur. Nullius momenti hæc videtur diſtinctio, cum utrobique & reluitio & redemtio tam diu liberæ ſit facultatis, quam denegata ab adverſario non fuit, utpote a quo demum tempore termini ad præſcriptionem habiles adſunt, ut hæc currere incipiat.

§. CDXIX.

examinantur.

Mallem diſtinguere, num reluitio intendatur contra ipſum creditorem, an ejus heredem, vel plane ſucceſſorem ſingularem, qui pignoratitiam qualitatem ignorat. Hic reluere volentem præſcriptionis exceptione recte repellit. L. 3. & 11. Dig. pro herede vel poſſeſſore L. 3. C. de præſcript. 30. vel 40. annor. Ipſe autem creditor ejusve heres pignoris haud ignarus reluendi facultati tunc demum præſcribere incipit, ex quo reluendi facultatem pignorisque qualitatem negat, & alter in tali denegatione acquieſcit. Alias reluendi facultas ſemper intelligitur integra.

§. CDXX.

§. CDXX.

Hinc in Imperio Germanico, ejusque ſummis tribunalibus plures occurrunt caſus reluitionis pignorum poſt diuturnum ſatis tempus intentatæ. Famoſum exemplum actionis pignoratitiæ poſt 400. annos inſtitutæ habet *Brunneman* Conſil. 130. Idemque contigiſſe civitati Lubecenſi in reluitione civitatis Möllen, facta a Duce Saxo-Lauenburgico docet *Stryck.* ad Lauterbach p. 393. Novam Marchiam a Jodoco Moraviæ Marchione Crucigeris oppignoratam demum poſt 57. annos reluit Fridericus II. Elector. Notum pariter eſt exemplum Fuldenſe. Mutuo acceperat Abbas Fuldenſis 1366. a Comitibus Hennebergicis 6000. Marcas argenti & 1800. lb. Heller, pro eaque ſumma oppignoraverat præfecturas Lichtenberg & Saltzungen. Comitatu Hennebergico poſtmodum confraternitatis jure ad domum Saxonicam Iſenacenſem & Meinungenſem devoluto, Abbates Fuldenſes 1625. & 1725. in judicio Imperii Aulico dictarum præfecturarum reluitionem maximo ardore urſerunt. Adde §. 368.

Exempla reluitionum.

§. CDXXI.

A regula modo tradita, qua debitori ſemper competere diximus facultatem pignus reluendi, dantur exceptiones variæ. Sic Comites Oettingenſes cum diverſas oppignorationes ab Imperio poſſiderent, petierunt a Ruperto Imperatore, ut ſingulas pro una declararet, ita ut una abſque altera non poſſit relui, deſuperque impetrarunt literas 1407. Vid. *Schilter* Inſt. Jur. publ. L. 3. T. 4. §. 4. Inprimis autem memorabilis in Imperio noſtro occurrit exceptio quoad Oppignorationes a Statibus Imperii poſſeſſas, quas ipſis confirmavit Carolus V. in Capitul. art. 4. Ac licet primo intuitu videri poſſet, per hanc confirmationem non præciſe excludi reluendi facultatem, Vid. *Limnæus* ad Capitul. Carol. V. p. 152. ſed ſaltem ſuppleri defectum, quo forte oppignorationes nonnullæ e. c. ob conſenſum deficientem vel vitioſum laboraverint, præſertim cum natura confirmationis ea ſit, ut confirmato ſaltem robur addat, & firmitatem non autem nova anteaque haud expreſſa tribuat, omne tamen dubium tollit Inſtrum. Pac. art. 5. §. 26. dum occaſione civitatis Lindavienſis & Weiſſenburgi Capitulationes de ipſo reluendi jure interpretatur his verbis: Quod ad oppignorationes Imperiales

Imperii oppignorationes non reluuntur.

 attinet,

attinet, cum in Capitulatione Cæſarea diſpoſitum reperiatur, quod electus Romanorum Imperator Electoribus Principibus ceterisque Statibus immediatis Imperii ejusmodi oppignorationes confirmare, atque illos in earundem tranquilla & quieta poſſeſſione defendere ac manutenere debeat, conventum eſt, hanc diſpoſitionem donec conſenſu Electorum, Principum & Statuum aliter ſtatutum fuerit, obſervandam eſſe, atque propterea civitati Lindau nec non Weiſſenburgo in Noricis *reddita ſorte* oppignorationes Imperiales *ipſi ademtas* illico & plenarie reſtituendas.

§. CDXXII.

Hiſtoria Lindavienſis.

Hiſtoriam cauſæ hujus Lindavienſis breviter complectitur atque illuſtrat *Strauch* de Oppign. Rer. Imp. §. 39. his verbis: poſſederat Lindavia, in inſula Acronii lacus ſita urbs Imperialis, per annos ducentos ab Imperio jure pignoris advocatiam ſuper villas colonarias Kölnhöfe in quatuor pagis Lindavienſibus anno 1334. ab Imperatore Ludovico Comiti Hugoni Brigantino pro 100. argenti Marcis & poſtea 1364. a Carolo IV. Comitibus Helfenſteiniis una cum aliis juribus pro ter mille libris Hallenſibus oppignoratam, a quibus ad civitatem Ulmenſem 1382. devenit, quæ viciſſim Imperatori Wenceslao ceſſit, a quo 1394. Marquardo a Schöllnberg denuo oppignorata, eademque ſumma aliquoties aucta, & tandem 1430. florenis 1300. exſolutis ad ipſam civitatem rediit. Quorum manſorum ſive Hubarum nomine poſtea inter ipſam civitatem & Abbatiſſam Lindavienſem de jurisdictione territoriali & Advocatiæ oppignoratæ jure lis mota fuit. Sub Imperatore Maximiliano I. impetravit Lindavia, ut Hubæ iſtæ in poſterum nec alienari, nec hypothecæ dari, nec redimi debeant, niſi ab Imperatore & ad manus ipſius Imperii. Hoc vero non attento Ferdinandus II. 1628. Hugoni Comiti de Montfort Advocatiam iſtam civitati 1430. nomine Imperii oppignoratam conceſſit, qui exſoluto urbi oppignorationis pretio, non ſolum advocatiam, quæ ſola ad Imperium ſpectat, ſed etiam pagos cum Hubis ibi ſitis occupavit. Civitas vero demonſtraverat, Hubarum proprietatem ad Abbatiſſam, jurisdictionem ad civitatem, ad Imperium nonniſi Advocatiam pertinere. Vicit itaque civitas & art. 5. Pacificationis reſtitui juſſa eſt in Advocatiam, quod quoque evenit. Vid. Acta *Londorpii* continuata Lib. 4. p. 531. Hactenus Strauch. Addantur Acta Lindavienſia

oder

oder gründl. Ausführung der Reichs-Stadt Lindau wegen einer 1628. ohnversehens abgelößten Reichs-Pfandschafft. Ceterum huic oppignorationum confirmationi ejusque validitati non obesse juramentum, quo Imperator se obstringit ad alienata ad Imperium reducenda, hocque iuramentum saltem ad injuste alienata, ab exteris decerpta & avulsa, non autem ad juste Cæsaris Imperiique consensu alienata, Statibusque confirmata pertinere, idem ostendit *Strauch.* §. 42.

§. CDXXIII.

nec Statuum Oppignorationes.

In sequenti §. 27. Instrumentum Pacis sequentia huc inprimis spectantia addit, ex quibus post immemoriale tempus reluitioni pignorum inter Imperii Principes contractorum locum non esse colligitur: Quæ vero, ait, bona Status Imperii sibi invicem pignoris jure NB. *ante hominis memoriam* obligaverunt, in iis reluitioni aliter locus non detur, nisi possessorum exceptiones & merita causarum sufficienter examinentur. * Atque hæc omnia de novo confirmantur in Capitul. Caroli VI. art. 1. n. 6. Wir sollen und wollen &c. die unter Chur-Fürsten, Fürsten und Ständen aufgerichtete Erb-Verbrüderungen, Reichs-Pfandschafften secundum Instrumentum Pacis &c. confirmiren, sie dabey handhaben und schützen &c.

* Num per hæc verba forum Austregarum in causis oppignorationum fundatum agnoscatur magna animorum contentione disceptatum in causa Fulda contra Sachsen Eisenach, Lichtenberg und Saltzungen betr.

§. CDXXIV.

quo ipso an Moguntini privil. sublatum?

Sunt, qui per modo memoratam Capitulationum & Instrumenti Pacis circa Imperii oppignorationes dispositionem sublata credunt privilegia Electoris Moguntini, Trevirensis & Palatini, vi quorum loca & dominia Imperii a Cæsaribus alienata & oppignorata ipsis eodem pretio eisdemque conditionibus reluere & redimere licet. Vide de privilegio Moguntini *Vitriarium* in Inst. Jur. publ. L. 3. T. 10. §. 26. de Trevirensis *Limnæum* ad Capitul. Carol. V. p. 153. de Palatini *Freherum* Orig. Palat. c. 16. p. 118. Sed

Sed *Strauchius* de Oppign. Imp. c. 13. §. 4. exiſtimat, hæc privilegia hodienum in terris ab Imperatoribus extra Imperium extraneis, qui Status non ſunt, oppigneratis vim ſuam exerere.

§. CDXXV.

Soluto debito pignus reddendum.

Soluto debito principali ipſum pignoris jus expirat, & debitor tunc recte petit a creditore pignus ſibi reſtitui, quem in finem introducta eſt in foris actio pignoratitia, cujus differentia ab actione hypothecaria eſt manifeſta. Hypothecaria enim competit creditori contra quemvis pignoris poſſeſſorem ad illud ſibi cedendum. Sicut autem creditor pignus bona fide debet reddere, & damna ſua culpa eidem illata reſarcire, ita viciſſim æquitati eſt conveniens, ut debitor pro meliorationibus pignori impenſis creditori ſatisfaciat, dummodo & hic fraus exulet, nec, quod potentiorum quandoque creditorum eſt ſtratagema, ſuperfluæ, nimiæ & enormes meliorationes pignori fuerint impenſæ, hoc fine ut reluitio debitori ſi non impoſſibilis, ſaltem difficilis reddatur. Qua de fraude ſi conſtat, debitor ad reddendas impenſas ſuperfluas haud tenebitur.

§. CDXXVI.

Retineri tamen ob aliud debitum poteſt.

Ceterum & id ex naturali æquitate fluit, quod creditor, cui debitor pluribus nominibus eſt obſtrictus, pignus dimittere non teneatur, * etiamſi debitum, cujus intuitu pignus erat contractum, ſolutum, ſed retinere illud poſſit, donec & pro reliquis nominibus fuerit ſatisfactum. Add. Tit. Cod. etiam ob chirographariam pecun. pignus teneri &c. Quod quidem retentionis jus non ex pignoris, ſed naturalis defenſionis jure deſcendit, adeoque perſonale eſt, nec contra tertium e. c. in Creditorum concurſu poteſt urgeri (Conf. Ord. Proc. Sax. Recogn. tit. 41. §. 1. multoque minus a fure contra dominum forte ob expenſas & meliorationes L. 15. Dig. de furtis) in ſtatu ſcil. civili. Naturaliter autem major poſſeſſionis quam hypothecæ favor eſſe videtur.

* Diſſentit *Coccejus* de Guarantia Pacis p. 14. De bellicis pignoribus e. c. obſidibus aut caſtris hoſti ſecuritatis cauſa ceſſis facili-

facilius concederem, eadem ob alia debita retineri non posse, quia eo ipso dum durante statu bellico accipiuntur, eorum detentio ad sola debita expressa restringitur, reliquis debitis armorum decisioni reservatis.

§. CDXXVII.

Alius pignus tollendi modus est remissio creditoris, qui si debitum principale remittit, eo ipso & pignus seu hypothecam remittere censetur. Exadverso pignore solo reddito, vel hypotheca remissa, non protinus debitum principale extinctum. Exemplum vid. de Pactis Princ. L. 1. T. 14. §. 396. Potest autem pignus aut hypotheca remitti vel expresse vel tacite, quod e. c. in subhastatione contingit. Nam per subhastationem hypothecæ pereunt (non autem servitutes, nec reservatum der Auszug) item quando creditor consentit in alienationem pignoris, & instrumento, quo res oppignorata venditur, subscribit, quo tamen in casu si clausulam addit mir und meinen Erben ohne Schaden, solius solennitatis & testimonii, non autem pignoris remittendi causa subscripsisse videtur. *Et remissione pignus tollitur,*

§. CDXXVIII.

Denique pignoris interitu ejusdem jura perire res ipsa loquitur. Sed quamvis accessoria pignoris obligatio intereat, non tamen illico, & nisi pacto fuerit cautum, ut pignoris interitus debitorem liberet, principale debitum propterea peribit, cum accessorio sublato, principale non protinus sublatum intelligatur. Nec ipso hodierno Germanico jure se res aliter habet. Licet enim pignoris interitu debitum extingui colligatur ex Land-R. Lib. 3. art. 5. illud tamen non de pignore in hodierna significatione sumto, atque Germanis olim ignorato, sed de emtione cum pacto retrovendendi esse intelligendum, & tunc Germanicum cum naturali Romanoque jure amice conspirare, ostendi Tit. 3. §. 404. 408. Adde dicenda de Pactis & Contr. Princip. L. 1. T. 10. §. 349. *Interitu,*

§. CDXXIX.

§. CDXXIX.

Confusione.

Etiam jurium confuſione pignus tollitur in caſu, quo e. c. debitor creditoris ſit heres, item ſi bello ejusdem jura acquirit. Auſtriaca domus Genuenſibus pretioſa nonnulla oppignoraverat. At cum 1746. Genua in poteſtatem Auſtriacam redigeretur, quod cum Auſtriæ hoſtibus Gallis & Hiſpanis colluſerant Genuenſes, debitum merito cenſebatur extinctum & pignora recipiebantur. Adde dicenda de pactis L. 1. T. 14. §. 403.

LIBER IV.

DE
POSSESSIONE ET PRÆSCRIPTIONE ILLUSTRI.

TITULUS I.
DE
Possessione.

* * *

Possessio seu detentio animo sibi habendi, quæ proprie est rerum corporalium, & analogice saltem ad jura transfertur, nonnisi occupatione corporali inchoatur, solo tamen animo continuatur, ac dominii præsumtionem operatur.

§. CDXXX.

Possessio vel in genere quamvis rei detentionem denotat, quo sensu commodatarius, depositarius possidere dicitur, vel in specie, illam saltem deten- *Possessionis definitio.*

detentionem, quæ fit animo sibi habendi, quo sensu hoc loco accipitur, dum speciebus juris in re annumeratur. Quare nec de reliquis possessionis significationibus sumus solliciti, dum interdum ipsam proprietatem, L. 78. Dig. de Verb. Signif. interdum usum rei a proprietate separatum, L. 115. eod. interdum denique particulam proprietatis a reliqua proprietate separatam significat, quo sensu possessio ad Vasallum, proprietas ad dominum pertinere dicitur 2. feud. 8. §. 2. Quomodo differant possidere, & esse in possessione dicatur de pactis §. 541.

§. CDXXXI.

Origo. De origine possessionis non potest non constare ex iis, quæ de dominii origine disseruimus L. 1. T. 5. §. 48. Scilicet cum hominibus res in hoc universo conspicuas suis usibus applicandas proposuerit ac concesserit creator benignissimus, applicari autem citra apprehensionem illæ nequeant, sequitur, mediante hac apprehensione possessionis jura hominibus esse quæsita. Ac licet ab apprehensione inciperet possessio, a possessione autem dominium, tam arcte tamen hæcce cohærent, ut uno eodemque temporis momento cernerentur, nec ulla primitus tum quoad originem, tum quoad effectum inter possessionem & dominium differentia animadverteretur. Ubi vero res unius dominio jam dum obnoxia ab altero ejusdem ignaro bona fide acquirebatur, possessionis demum a dominio se exerebat discrimen, ut proinde possessio, quatenus cum dominio est conjuncta, si non prior & antiquior dominio, eidem tamen coæva, quatenus autem ab eodem est distincta, dominio posterior esse merito dicatur.

§. CDXXXII.

Acquiritur apprehensione. Acquiritur possessio mediante apprehensione. Est enim possessio detentio, quæ licet continuari solo animo possit, inchoari tamen sine actu corporali nequit. Hic actus corporalis peragitur apprehensione, quæ in rebus terminatis sola corporis ad corpus adjunctione, in indeterminatis finium constitutione absolvitur. Vid. L. 1. T. 7. §. 73. Mirum quidem videri posset, quod possessio non sine apprehensione possit acquiri, cum tamen ipsum dominium jus possessione fortius naturaliter citra traditionem solo paciscentium consensu transeat. Vid. L. 1. T. 14. §. 167. Sed ita fert ipsa

ipsa rerum natura & indoles. Dominium siquidem quatenus in solo *jure* de re disponendi consistit, cedi, transferri citra actum corporalem potest, quatenus autem in sua perfectione & actuali exercitio consideratur, dominoque utilitatem præstare debet, citra traditionem & apprehensionem subsistere nequit. Possessio econtra non in solo quodam jure, sed ipsa rei detentione consistit. Sed qua quæso ratione detinebitur res nunquam apprehensa? Unde licet heres succedat in omne jus defuncti, possessionem tamen rerum hereditariarum nonnisi corporali apprehensione adipiscitur. Vid. de Heredit. T. 38. §. 811.

§. CDXXXIII.

Utrum vero quis ipse in persona, an per mandatarium possessionem apprehendat, perinde erit. Cernitur ejusmodi per mandatarium facta possessionis apprehensio in Constituto possessorio de quo L. I. T. 14. §. 172. Non enim existimandum ac si ibi possessio solo pacto & consensu citra actum corporalem transferatur, ipse potius actus, quo detentor rei incumbit, vi mandati & nomine novi domini, non proprio, peragitur, eoque ipso possessio apprehenditur. *Utut per mandatarium facta,*

§. CDXXXIV.

Inprimis inter Principes illustresque personas frequens est possessionis per Plenipotentiarios & mandatarios apprehensio. Speciatim Principibus mortuis, heredes eorum Ministros suos jubere solent, ut suo nomine terrarum ceterarumque rerum relictarum possessionem apprehendant. Imo in præfecturis, quas defunctus per administratorem possedit, per ipsam hujus detentionem successori acquiritur possessio. Administrator enim non proprio, sed domini nomine possidet, dominoque mortuo ejusdem heredi vel successori fide & obsequio est obstrictus, detentionem itaque, reliquosque, quos exercet, actus administratorios, nomine heredis peragit, qui hocipso harum terrarum & præfecturarum possessionem sine nova apprehensione nanciscitur. Vide Responsum Lynckerianum apud Ludolfum de jur. fœm. illustr. p. 411. *Quæ inter Principes frequens.*

§. CDXXXV.

Ejus solennia. Solennitates in possessionis apprehensione adhiberi solitas sistit inter alia

Extractus Instrumenti Notarialis

Die Possessions-Ergreiffung der Grafschaft Sayn Alten-Kirchen betreffend.

Hierauf unterzoge ich, der Notarius, aufhabender Amts-Pflicht halber, und der an mich rite beschehenen Requisition gemäß, sothaner vorseyender Handlung mich nicht nur behörig, sondern subrequirirte auch so fort die dazu benöthigte Instruments-Zeugen, nahmentlich Johann Martin Cramer, und Peter Weygand Weber, beederseits hiesige Burger und Gerichts-Schöppen behörig, nebst Bestellung der Pferde für mich den Notarium und beyde Instruments-Zeugen, Herr Ober-Amtmann aber liessen, me Notario & testibus præsentibus, Herrn Land-Major und Fähndrich Dormann zu Widderstein schrifftlich per expressum, und hiesige Stadt Geistliche, Burgermeister und Gerichts-Schöppen Lutherisch und Reformirter Religion per Cantzley-Diener Cramer schleunigst zu sich aufs Schloß mündlich bescheiden. Und als darauf Herr Rath Leonhardi, Herr Land-Major Dormann, die beyde Herrn Geistliche, Burgermeister und Gerichts-Schöppen hiesiger Stadt sich in des Herrn Ober-Amtmanns vordersten Gast-Zimmer eingestellet, und mehrgedachter Herr Ober-Amtmann denenselben, me Notario & testibus præsentibus, von Serenissimi nostri unvermutheten höchst schmertzlichen Todesfall, und deroselbigen nunmehrigen alleinigen und rechtmäßigen Erbfolger, Sr. Hoch-Fürstl. Durchlaucht Herrn Herrn Marggrafen zu Brandenburg Onoltzbach, Notiz gethan, weniger nicht die von höchst nur gedachter Sr. Hoch-Fürstl. Durchl. zur legalen Possessions-Ergreiffung hiesiger Sayn Altenkirchischen Landes-Portion, mittelst Anschlagung der Patenten, Wapen, und Titul, wie auch Nehmung des Handgelübds von geist- und weltlichen Dienern, auch Bürgern und Unterthanen erhaltene, und unter deroselben eigenhändigen hohen Nahmens Unterschrifft, und vorgedruckten Hoch-Fürstl. geheimen Innsiegel corroborirt aus und zugefertigte Vollmacht, und Patent von Wort zu Wort resp. fürgelesen und publiciret,

anbey in mein des Notarii und derer Zeugen fortdaurender præsenz deutlich declariret hatten, daß sie Herr Ober-Amtmann vermög obhabend producirter Vollmacht hiemit die würckliche Possession von der Grafschafft Sayn Altenkirchischen Antheils, mit ihren Schlössern, Städten, Flecken, Dörffern, Güthern, und Unterthanen samt allen pertinentien im Nahmen Sr. Hoch-Fürstl. Durchl. Herrn Marggrafens zu Brandenburg Onoltzbach ꝛc. und Grafen zu Sayn und Witgenstein, als derselben alleinigen rechtmäßigen Successoris, brevi manu legaliter ergriffen haben, und nunmehro den Handschlag von sämtlich anwesenden geist- und weltlichen Herrn Bedienten, wie auch Vorstehern in Serenissimi Hoch-Fürstl. Durchlaucht Nahmen gewärtigen wolten, erfolgte solcher, unter vorgängig gegebener Versicherung aller Hoch-Fürstl. Gnade und Lands-Väterlichen Schutzes, auch kräfftigster Manutenirung sämtlich rechtlichen Herkommens, Freyheiten und Privilegien, wie auch freyen und ungehinderten Religions-Exercitii, von nachstehend benannten geist- und weltlichen Bedienten auch Vorstehern hiesiger Stadt:

Herrn Rath und Ober-Amts Assessore Carl Wilhelm von Postolzki.
Herrn Rath und Secretario Johann Ernst Leonhardi.
Herrn Land-Major Johann Georg Dormann.
Herrn Contingents-Hauptmann Simon Schmidt.
Herrn Inspector und Stadt-Pfarrer Johann Christian Hermann.
Herrn Pastore Reformato Johann Hermann Altgeld.
Burgemeister Friedrich Anton Hulpusch.
Gerichts-Schöff Johann Daniel Paully.
Schöff Johann Neuhof.
Schöff Johann Balthasar Saynisch.
Schöff Johann Heinrich Rayder und
Schöff Johann Peter Weßler
wie auch
Cantzley Diener Heinrich Cramer.

an Herrn Ober-Amtmann willigst und in geziemender Devotion.

Demnächst wurden die Schlüssel zu denen Thoren hiesiger Stadt in dermaliger Abwesenheit des Stadt-Fähndrichs Baaß von seiner Frau, zum Schloß aber von der verwitweten Silber-Dienerin und Burg-Vog-

tin Knauffin, so fort abgeforderter massen an Herrn Ober-Amtmann eingehändiget, und darauf solche von denenselben an Herrn Hauptmann Schmidt, und zeitlich regierenden Burgemeister Hulpusch zu treuen Händen überliefert. Vorgängig dessen, verfügten sich der Herr Ober-Amtmann Schultz in Assistenz des Herrn Cantzley Directoris Avemann und Gefolg hiesiger Herren Räthe, Burgemeister, Cantzley-Diener und Schöffen, me Notario & testibus re & subrequisitis supra nominatis præsentibus, Freytags den acht und zwantzigsten Julii, frühe zwischen ein und zwey Uhr aus dem Fürstl. Schlosse an der Stadt Obernthor, und liessen daran, als solches der Burgemeister Hulpusch behörig aufgeschlossen und eröffnet hatte, ausserhalb an desselben einen Flügel Ihro Hoch-Fürstliche Durchlaucht des Herrn Marggrafen zu Brandenburg Onoltzbach auf Blech gemahltes Wapen, mit einem rothen Adler im schwartz und weissen Felde, und darüber gesetzten lateinischen grossen Buchstaben C. W. F. M. Z. B. O. gezieret, und an dem andern Flügel gleich dem Wapen gegenüber Dero hohen Titul gedruckt durch einen meiner subrequirirten Instruments-Zeugen gebührend affigiren, und darauf ersagtes Thor hinwieder schliessen, und mit nöthiger Wach versehen. Von dar verfügten sie sich in erwehnter Suite die vorder Straße hienunter an das Unter Thor der Stadt, und von demselben an das Schloßthor, und bewerckstelligten daran mittelst Anschlagung des Marggräflichen Wapens und gedruckten Tituls ein gleiches, als beym Obernthor bewürcket war. Und als auch dieses geschehen, giengen sie weiter vor den vordern Schloß-Hof über den Gang zur Cantzley, in die Fürstl. Cantzley-Stube, und forderten alda denen Subalternen ihre zu ersagter Cantzley-Stube in Handen habende Schlüssel ab, restituirten aber nach deren Abgabe solche denenselben sogleich hinwieder zu treuen Händen. Und hierauf giengen sie, nachdem vorhero der gedruckte Marggräfl. Titul an die Thür der Cantzley-Stube angehefftet war, endlich in eine der herrschafftlichen Kuchen, und liessen darinnen auf dasigen Heerd frisch Feuer anmachen, und hinwiederum mit Wasser ausgiessen, löschen, und aus solcher zuruck in Dero Gast-Zimmer. In selbigem vermeldeten der Herr Ober-Amtmann, wie daß sie nach apprehendirter Generalen Possession hiesiger Grafschafft Sayn nunmehro in Begriff wären, zu specialer possessions-Einnehmung derer Aemter Freußburg und Friedewald dahin per Post-Chaise abzugehen, mit-

mithin beursacht lebten, zu Einnehmung des Handschlags von allen Herren geist- und weltlichen Bedienten, Beamten, Schultheissen, Richtern, Geschwornen und Send-Schöffen, wie auch Affigirung des Marck-Gräflichen Wapens und gedruckten Tituls an jede Kirche derer Kirch-Spiele und Vogtey Roßbach Amts Altenkirchen, wie auch in dem gemeinschafftlichen Flecken Bonndorff, den hiesigen Herrn Rath und Ober-Amts-Assessorem von Postolzki und Herrn Amts-Verwalter Schultz zu Leutzbach zu substituiren, auch dieselben dazu hiemit substituirt haben wollen, wie sie den zu Befolgung sothaner Commissionen überall Notarios & testes zu adhibiren hätten rc. rc. Actum 27. Julii 1741.

Extractus anderweiten Instrumenti Notarialis de Actum 27. Jul. 1741.

Hierauf fuhren wir auf Daden, als das Kirchspiel Amts Friedewald, allwo wir noch vor zwey Uhr Nachmittags besagten 28. Julii ankamen, und gedachter Herr Ober-Amtmann den daselbst anwesenden Friedewaldischen Amts Actuarium Herrn Johann Heinrich Lamprecht das Handgelöbniß præstiren, und an der Kirche zu Daden das Hoch-Fürstliche Brandenburgische Onolzbachische Wapen und Titul, an dem Schul-Hauß daselbst aber den Titul durch mich in der obengemeldeten Zeugen Gegenwart affigiren liessen.

Als dieses geschehen, und wir weiter auf Fridewald zu fahren im Begriff waren, kam dem Herrn Ober-Amtmann Schultz die Nachricht zu, daß ab Seiten der Frau Landgräfin zu Hessen Philipsthal Nachmittags nach zwey Uhr in Fridewald am Schloßthor ein Patent angeschlagen worden, trafen auch diejenige, so solches verrichtet, nemlich den Hessen Philipsthalischen Rath, Ernst Christoph Hellmer, und die beyde Notarien Raab Registrator, und Secretarius Substitutus zu Marburg, und Johann Jacob Raupp aus Philipsthal ohnweit Daden bey der Schneide-Mühl an, welche Herr Ober-Amtmann Schultz auf Fridewald mit zuruck zu kehren ersuchte. Bey der Dahinkunfft befragte besagter Herr Ober-Amtmann Schultz den Rath Hellmer (als welcher sich allein am Schloß einstellte, die Notarien aber im Wirths-Hauß zuruck gelassen hatte) warum er sich erkühnet, an dem Schloß-Thor ein Patent zu affigiren; und

als

als dieser replicirte, daß er solches seiner Instruction gemäß, und da er possessionem vacuam gefunden, gethan hätte, erwiederte Herr Ober-Amtmann Schultz, daß es keines weges possessio vacua gewesen, massen nicht nur bereits die Possession zu Altenkirchen, als der Residenz und wo das Ober-Amt befindlich, und das gantze Land den Nahmen davon führete, generaliter Nahmens des Herrn Marggrafen zu Brandenburg Onoltzbach Hochfürstl. Durchlaucht ergriffen, sondern auch der Beamte bereits vor Anschlagung ihres Patents in Hand-Gelobniß genommen worden, mithin möchte er sich gefallen lassen, solches wiederum zu refigiren: Als er aber sich dessen weigerte, ermahnte ihn gedachter Herr Ober-Amtmann, das Patent wiederum abzunehmen, wiedrigenfalls man zu andern ihm vielleicht unangenehmen Mitteln schreiten müste, befahl auch, da er sich noch nicht dazu verstehen wollte, sich seiner Person zu versichern. Hierauf sagte gedachter Rath Hellmer: Er hätte das Patent nicht, sondern die Notarien affigiret, wenn diese es abnehmen wolten, müste er es geschehen lassen, wollte jedoch gegen Gewalt, und daß man ihn mit bewehrter Mannschafft umgeben, protestiret haben, wogegen ihm bedeutet wurde, daß die Mannschafft nicht seinetwegen, sondern zu Besetzung des Schlosses, commandiret wären, da denn die inzwischen herbey geruffene beyde Notarien das Patent nicht nur selbsten wieder abnahmen, sondern sich auch alsobald wieder fortmachten.

Protestatio wieder obige Possessions-Ergreiffung, insinuirt der Regierung in der Grafschafft Sayn d. 5. Octobr. 1741.

Von Gottes Gnaden Wir Carolina Christina, vermählte Landgräfin zu Hessen, Fürstin zu Hirschfeld, Gräfin zu Catzenellenbogen, Dietz und Ziegenhayn, Nidda, Schaumburg und Hanau ꝛc. gebohrne Hertzogin zu Sachsen, Jülich, Cleve und Berg, auch Engern und Westphalen, Landgräfin zu Thüringen, Marggräfin zu Meissen, gefürstete Gräfin zu Henneberg, Gräfin zu der Marck und Ravensberg, auch Sayn und Witgenstein, Frau zu Ravenstein ꝛc. ꝛc.

Thun hiemit jedermann kund und zu wissen, sonderlich denen so daran gelegen.

Demnach auf unlängst d. 26. Julii dieses 1741. Jahres erfolgtes unbeerbtes Absterben des Herrn Wilhelm Heinrichs, Weyland Herzogs

zu

zu Sachsen Eisenach, unsers Herrn Bruders Lbden die Succession in der Grafschafft Sayn und Witgenstein Altenkirchischen Antheils vermöge unser Frau Groß-Mutter Johanettæ vermählten Hertzogin zu Sachsen Eisenach und gebohrnen Gräfin zu Sayn und Witgenstein Gnaden, an Ihres Herrn Sohns Johann Wilhelm weyland Hertzogs zu Sachsen Eisenach, Unsers Herrn Vaters Gnaden geschehenen Cession und gäntzlichen Ubertragung und folglich von hochgedachten Unsers Herrn Vaters Gnaden hinterlassenen Testaments de anno 1707. und des solchemnach bey allen öffters wiederhohlten öffentlichen Landshuldigungen von allen Obern und andern Beamten und Bedienten, auch sämtlichen Unterthanen der gesagten Grafschafft, auf den jetzt entstandenen Abgang der Fürstl. Sächs. Eisenachischen descendence Uns und Unserer Fürstl. descendence eventualiter bereits abgestatteten Huldigungs Eydes, Uns als der ältesten Princeßin Tochter hochgedachten Herrn Testatoris Gnaden von GOtt und Rechtswegen anheim gefallen:

So haben Wir auch zwar, so bald nur von gemeldeten Todesfall Unsers Herrn Bruders Lbden Nachricht erhalten, so gleich am 28. Jul. 1741. in Unserm Nahmen durch Unsern dazu bevollmächtigten Rath Helmer, und zween Notarios, von der gantzen Grafschafft Sayn Altenkirchischen Antheils, und allen deren Zubehörungen auf dem Haupt-Schloß selbiger Grafschafft Fridewald die allda vorgefundene vacuam possessionem mittelst Anschlagung des sub ⊙ hiebey liegenden gedruckten Patents, und Verrichtung anderer possessions-actuum so weit geruhig ergreiffen lassen.

Nachdem aber der bißherig Fürstl. Sächsische Ober-Amtmann in der Grafschafft Sayn Schultze in vorgegebenen Nahmen des Herrn Marggrafen von Brandenburg Onoltzbach, Unsers Herrn Vetters Lbden bald darauf Unsern bevollmächtigten Rath und die Notarios mit starcker, theils mit Gewehr versehener Mannschafft umringen, selbige in Arrest nehmen, und dergestalt mit Gewalt zwingen lassen, sich wieder von dannen zu begeben, und solchergestalt Uns in der rechtmäßig ergriffenen possession gewalthätig turbiret hat: Wir auch zuverläßig benachrichtiget seyn, welchergestalt nachher des Herrn Marggrafen von Brandenburg Onoltz-

Onoltzbach Unsers Herrn Vetters Lbden das Schloß Fridewald sowohl, als auch die gantze Grafschafft Sayn Altenkirchischen Antheils mit etliche 100. Mann Kriegs-Völckern besetzen, solchemnach von gesamten so geist- als weltlichen Beamten und Unterthanen bemeldeter Grafschafft gegen ihren, obbesagter massen vorhin schon so offt an Uns und Unser descendence eventualiter abgestatteten Huldigungs-Eyd, gleichwohl die Lands-huldigung einnehmen, sich auch durch gewisses Mittel des zu offtgesagter Grafschafft gehörigen Archivi, und Regierungs-Cantzley, bemächtigen, und solchergestalt Uns von Unser rechtmäßigen Succession und Possession in der Grafschafft Sayn mit überlegener Gewalt verdrengen lassen:

So haben Wir dieses, bey jetzigen Interregno, zwar schon bey dem hochpreißl. Reichs-Vicariat-Gerichts-Hof, wohin es gehörig, klagbar gemacht, und die bald hoffende Reichs-Constitutions-mäßige rechtliche Hülffe dawieder gebethen;

Damit aber durch längeres Stillschweigen zu dergleichen Unternehmungen Uns kein weiteres præjudice entstehen möge: So haben Wir nöthig gefunden, pro conservando jure nostro wider obgesagte gewaltsame turbation, detention, Huldigung und Bemächtigung der Landes-Regierung und Cantzley, und dergleichen schon geschehene und künfftig noch weiter vorzunehmende facta feyerlichst zu protestiren: Gestalt Wir denn auch hiemit dawieder in optima juris forma, ein vor allemahl öffentl. protestiret und Uns und Unsern descendenten dawieder Unsre Gerechtsame an der Grafschafft Sayn Altenkirchischen Antheils, und deren sämtl. Zugehörungen, quævis juris competentia salva contra quoscunque omni meliori modo vorbehalten haben wollen: Urkundlich haben Wir diese Unsre öffentl. Protestation und Reservation unter Unser eigenhändigen Unterschrifft und beygedruckten Fürstl. Innsiegel ausfertigen, und dienlicher Orten insinuiren lassen. Geschehen Lübeck den 18. Sept. 1741.

Carolina Christina.

L. S.

Patent

Patent affigirt am Schloß Fridewald. 28. Jul. 1741.

V. G. G. Wir Carolina Christina vermählte Landgräfin zu Hessen ꝛc. Entbiethen allen und jeden zur Regier- und Verwaltung der Grafschafft Sayn Altenkirchischen Antheils bestallten Räthen Ober- und andern Amt-Leuten, Berg-Beamten, Predigern, Burgemeistern, Richtern und Schultheissen, auch allen übrigen Geist- und Weltlichen, Civil- und Militair-Bedienten, Lehen-Leuten, Unterthanen und Einwohnern des gemelten Antheils der Grafschafft Sayn, und dazu gehöriger Städte, Aemter, Schlösser, Flecken, Bergwercke und Dörffer ꝛc. Unsre Gnade und alles gutes, und fügen ihnen hiemit zu wissen, wasgestalt nachdem es dem grossen GOtt nach seinem unwandelbaren Rath und Willen gefallen, Unsers Herrn Bruders Lbden den Durchlauchtigsten Fürsten und Herrn Herrn Wilhelm Heinrich Hertzogen zu Sachsen Julich Cleve und Berg auch Engern und Westphalen, Landgrafen in Thüringen, Marggrafen zu Meissen, Gefürsteten Grafen zu Henneberg, Grafen zu der Marck und Ravensberg, auch Sayn und Witgenstein, Herrn zu Ravenstein ꝛc. bißher regierenden Herrn Hertzog zu Sachsen Eisenach, und besonders auch der Grafschafft Sayn Altenkirchischen Antheils, ohne Hinterlassung männlicher oder Weiblicher ehelicher Leibes-Erben, unlängst aus dieser Zeitlichkeit abzufodern: mithin der Fall würcklich entstanden, auf welchen insonderheit die von Unser seel. Frau Groß-Mutter, der weyland Durchlauchtigsten Fürstin und Frauen, Frauen Johannetta gebohrnen Gräfin zu Sayn und Witgenstein, als des weyland hochgebohrnen Herrn Herrn Ernesti, Grafen zu Sayn ꝛc. Gräfin Tochter Gottseligen Andenckens, herrührende und Dero Herrn Sohn Unsers Herrn Vaters Gnaden, Herrn Johann Wilhelm Hertzog zu Sachsen Eisenach ꝛc. hochseligen Gedächtniß übertrag- und abgetrettene Grafschafft Sayn Altenkirchischen Antheils mit allen deren Zubehörungen vermöge hochgedachten Unsers seel. Herrn Vaters Herrn Hertzogs Johann Wilhelms Gnaden untern 15. Sept. 1707. errichteten Testamenti, und danechst auf den Fall des Abgangs Dero männlicher descendenten, eventualiter an Dero vorhandene Princeßinnen Töchter bey allen vorgekommenen Gelegenheiten mit abgestatteter Landeshuldigung, Uns als der ältesten Prin-

ceßin Tochter hochgedachten Herrn Hertzogs Johann Wilhelms, und Unsren descendenten lediglich erb- und eigenthümlich anheim gefallen: Wir als nach Absterben Unsers seel. Herrn Bruders Lbden Herrn Hertzogs Wilhelm Heinrichs, bißherigen possessoris der Grafschafft Sayn, und nach erloschenen desselben ehelichen Mann-Stamme, nunmehro rechtmäßige Successorin in der Grafschafft Sayn und Witgenstein, gemelte Grafschafft Sayn Altenkirchischen Antheils mit allen dazu gehörigen Pertinentien, Hoheit, Reichs- und Creiß-Votis, Regalien, Gerichten, Rechten und Gerechtigkeiten, mit allen Prætensionen, auch allen Intraden, Vorräthen und Mobilien, sie bestehen, worin sie wollen, und überall nichts von solcher Grafschafft ausgenommen, in aller Masse und Weise, wie Unsers gottseel. Herrn Vaters Hertzogs Johann Wilhelm Gnaden, und nach Ihro, unsers Herrn Bruders Lbden, Herr Wilhelm Heinrich letztverstorbener Herr Hertzog zu Sachsen Eisenach solches alles je freyest besessen, genutzet, und gebrauchet haben, oder besitzen und gebrauchen sollen, können oder mögen, in Unser wesentliche Possession und Besitz, wie hiemit geschicht, würcklich angenommen, und davon die behörige Possession ergriffen und apprehendiret haben wollen: thun auch solches Krafft dieses in der besten Form, wie es von Rechts- und Gewohnheitswegen am vollkommenst- und beständigsten geschehen soll, kan oder mag, und erinnern demnach alle und jede der Grafschafft Sayn Altenkirchischen Antheils Räthe, Ober- und andre Amtleute, Berg-Beamte und Bediente, Lehn-Leute, Kriegs-Officier, Prediger, Magistrats-Personen in den Städten, Richter, Schultheissen, und alle Obrigkeiten, Unterthanen und Einwohner, wes Standes, Würden oder Wesens sie seyn, daß gleichwie durch vorige eventual-Huldigungen sie auf den gegenwärtigen ledigen Anfall gemelter Grafschafft sich Uns schon vorhin eventualiter verbindlich gemacht; also sie auch von nun an Uns und Unsre Fürstl. Erben und Nachkommen für ihre rechtmäßige Landes-Herrschafft und erb- und eigenthümliche Successores in der Grafschafft Sayn Altenkirchischen Antheils, und deren An- und Zugehörungen erkennen und ehren, folglich mit Huldigung, Unterthänigkeit, und Gehorsam sich nunmehro und ins künfftige, gleich als sie vorhin in Unsers gottseel. Herrn Vaters Hertzog Johann Wilhelms Gnaden, und Unsers seel. Herrn Bruders Hertzog Wilhelm Heinrichs Lbden gethan, allein an Uns, und Unsre Fürstl. descendenten, und

und sonst an niemand sich halten, noch so viel an ihnen ist gestatten sollen, daß Wir von jemand anders in dieser Unser ergriffenen Possession auf einige Art und Weise turbiret, oder durch anderweitige Possess-Nehmung beeinträchtiget werden mögen: Wogegen Wir ihnen samt und sonders den gebührenden Schutz und Schirm leisten, auch alle Landsherrschafftliche Gnade erweisen, sie nach eines jeden Verhalten und Verdienst bey ihren Ehren Chargen und Bedienungen, ingleichen bey ihrer Religion, bey ihren Güthern, geruhig lassen, und ihrer allerseits Wohlfahrt, Aufnehmen und bestes in alle Wege suchen und nach Möglichkeit befodern wollen.

Urkundlich unter Unserm gewöhnl. Fürstl. Secret-Innsiegel. Gegeben

L. S.

§. CDXXXVI.

Sed num & per sequestrem, seu eum apud quem res litigiosa est deposita, possident litigantes? Ipse sequester possidere dicitur in L. 17. §. 1. Dig. depositi. At manifestum, sequestrem quidem detinere rem, sed NB. non animo sibi habendi, quare id, quod dicitur possidere sequestrem, saltem de exercitio possessionis accipiendum, sine quo sequestratio intelligi nequit. Penes quem igitur ipsa possessio erit, durante sequestratione? Interesse cum Juliano in L. 39. Dig. de acquir. vel amitt. possess. putarem, qua mente apud sequestrem res deponatur. Si enim id agitur, ut utrinque omittatur possessio, illa certe tunc quiescere, nec ad usucapionem prodesse videtur. Sed rarius contingit, ut utrinque omittatur possessio. In dubio igitur sive litigantium consensu, sive iisdem invitis judicis autoritate res sequestretur, saltem custodiæ causa depositio facta, & neutri præjudicare, sed sequester victoris nomine possedisse censetur. Add. Ord. Cam. part. 2. tit. 21. in fin. *an & per sequestrem possidetur?*

§. CDXXXVII.

Nonnunquam rei litigiosæ compossessio utrique parti a judice addicitur. Equidem *Paulus* JCtus in L. 3. §. 5. Dig. de acquir. vel amitt. possess. *Compossessionis.*

 recte

recte ait, eandem possessionem apud duos non magis esse posse, quam ut tu stare videaris in eo loco, in quo ego sto. Scilicet *in solidum* a duobus eadem res possideri nequit. Id tamen non obstat, quo minus *pro indiviso* eadem res a pluribus possideatur. Unde *Pomponius* in L. 26. Dig. eod. certæ partis pro indiviso possessionem capi posse existimat. Meminit *Mantzel* de pretio redemtionis clavium p. 14. compossessionem decretam in casu, ubi plures prætendentes per Notarios diversos hereditatis possessionem arripuerant, & controversia orta, um welche Zeit und Minute der Krancke gestorben, und welche von den drey diversen Uhren richtig gegangen.

§. CDXXXVIII.

modi

Quodsi igitur litigantibus judex compossessionem addicit, providendum inprimis, ut discordiæ circa fructus percipiendos vitentur. Potest judex uni certos fructus, alii alios assignare: item jubere rem communi nomine locari, ac mercedem inter compossessores dividi: in jure venandi ut uterque venetur: in glande legenda, ut utraque pars glandes legi, porcosque saginari curet: in jure lignandi, ut communi nomine ad ligna cædenda operarii constituantur, cæsaque ligna dividantur. Conf. *Stryck.* de Compossessione & *Heimburg* de compossessione juris lignandi.

§. CDXXXIX.

an per homagium possessio acquiritur?

In quantum per homagii receptionem territoriorum possessio acquiratur, ex ipsa homagii indole judicandum. Plerumque homagii præstatio solam ceremoniam continet, nec quicquam juris de novo tribuit. Subditi enim per definitam successionem legitimam statim post defuncti mortem successoris fiunt subditi, & eandem prorsus fidem, idem obsequium eidem debent ante homagium, quod post idem præstitum. Cumque territoria per administratores domini nomine detineantur & possideantur, per ipsam hanc eorum detentionem novus etiam dominus possessionem jam acquisivit ante homagii præstationem. Quare tum demum, si antea possessio fuit vacua, per homagii receptionem apprehenditur possessio juris, quod dominus in subditos & ditiones habet.

§. CDXL.

Plane homagium eventuale cum a conditione pendeat, prius possessionem tribuere nequit, quam conditio illa fuerit purificata. Hinc cum Principis cujusdam vidua, quæ simulate intulerat dotem (paulo post receptam) ejusque intuitu dotalitium constitui, atque in hujus eventum homagium sibi præstari curaverat, in dotalitii possessionem se immitti peteret, recte hæc ipsi negabatur in Responso nomine Facultatis Juridicæ Jenensis a B. *Lynckero* elaborato, quod videri potest apud *Ludolf.* de jur. fœm. illustr. p. 400. hanc quidem ob rationem, quod hoc homagium mere eventuale sit, & possessionem nec a tempore quo præstitum; nec a tempore mortis mariti tribuat, sed demum in eventum, si deberetur dotalitium, quod in illa facti specie saltem non tantum deberi asserebatur, quantum erat constitutum, ob deficientem scil. dotem, quæ simulata saltem erat, nec in rem Principis versa. In transactione super investitura des Budidinger Landes inter Daniæ Regem & Duces Brunsuicenses 1653. Hamburgi inita §. 12. statuitur, ut si ex Vasallis unus tantum supersit, Ducibus Brunsuicensibus in securitatem futuræ consolidationis *eventuale homagium* a civibus præstetur & *compossessio* concedatur. *non certe per eventuale*

§. CDXLI.

Ignoranti per tertium possessionem posse acquiri vix crediderim. Non obstat L. 13. pr. Dig. de acquir. rer. domin. Dominium enim ignoranti posse acquiri, non nego, vide dicenda de Pactis Princip. L. 1. T. 3. §. 152. nec pro ignorante habere debet is, qui generale commoda sua promovendi mandatum alteri dedit, sic enim per mandatarium acquiri possessionem dubitandum non est, & quotidie Principum ministri hoc modo dominis suis dominium æque ac possessionem acquirunt. Sed id quæritur, num quis alteri ignoranti citra prævium ejus mandatum possessionem acquirat? quod merito negatur. Possessio enim detentionem involvit. At quomodo detinere rem dici potest is, qui nec ipse detinet, nec alium suo nomine detinere jussit. Quando igitur ignoranti ab aliquo quid donatur cum declaratione expressa, donantem a momento factæ promissionis rem ab omni possessione vacuam alteri cedere, vel constituere, ut interea a tertio ejus rei possessio teneatur, tunc interea quiescere vel extincta videtur possessio. *an ignoranti?*

Non

Non enim est penes donantem, qui eandem abdicavit, nec penes donatarium, hic enim nec ipse apprehendit, nec apprehendere alium jussit, nec penes tertium, qui rem quidem detinet, sed non animo sibi habendi.

Quod infans possessionem apprehendere valeat, docetur in L. 3. C. de acquir. & retin. possess. L. 1. §. 3. Dig. eod.

§. CDXLII.

Possessio naturalis & civilis. Etsi vero ad acquirendam possessionem actus corporalis est necessarius, solo tamen animo retineri eadem & continuari poterit, quamdiu retinendi facultas & voluntas superest. Rerum enim quibus indigemus varietas & multitudo singulis incumbere non sinit. Oritur hinc divisio possessionis in naturalem & civilem. Naturalis dicitur, quando quis ipso corpore rei incumbit, civilis quando quis solo animo possidet, quo ipso apparet, civilem possessionem non dici, quasi ex lege civili ortum trahat, nec inter personas, quas nulla legum civilium communio tenet, obtineat. Nam & summos imperantes solo animo possidere est manifestum. Quare commodius forsan res exprimitur dicendo, res possideri vel physice, vel juris intellectu, præsertim cum æquivocationibus variis termini *naturalis ac civilis* possessionis sint obnoxii. Alio enim sensu & ratione formæ civilis possessio dicitur possessio *justa*, quia quis rem detinet animo & opinione dominii, naturalis autem *injusta*, quia quis rem detinet animo sibi habendi, sed absque opinione dominii, qualis est in malæ fidei possessore. Alii denique per naturalem & civilem possessionem denotant discrimen inter detentionem & possessionem. L. 115. Dig. de Verb. Signif. Quicquid apprehendimus, cujus proprietas ad nos non pertinet, aut nec potest pertinere, hoc possessionem appellamus. In qua notionum varietate satius est ab æquivocis loquendi rationibus prorsus abstinere.

§. CDXLIII.

Propria & Analogica. Sicut apprehendi, ita & possideri proprie saltem possunt res corporales, analogice autem & quasi possideri dicuntur res etiam incorporales, jura, servitutes. Unde distinctio possessionis in propriam & analogicam. Nec ambi-

ambigendum, quin inter ipsos Principes res incorporales, jura eximia, imo ipsa Majestas possessione acquiri possint, prout de Imperii nostri Principibus constat, eosdem superioritatem suam territorialem possessioni primitus tulisse acceptam. Subditi regalium majorum cum sint incapaces, nec per possessionem eadem aliter acquirere valent, quam accedente præscriptione immemoriali. Unde intuitu horum Regalium nec possessorium ordinarium contra Principem locum habet. In quantum autem subditi alias res incorporales acquirere valeant, legibus civilibus determinatur passim, prout in Saxonia in judicio possessorio quoad servitutes continuas annua possessio, in discontinuis præterea tres actus diversi requiruntur. Vid. Ord. Proc. Recogn. Append. §. 19.

§. CDXLIV.

Res extra commercium positæ haud possidentur.

Res autem a commercio & dispositione hominum plane exemtæ possideri, aut sub possessionis obtentu prætendi nequeunt. Frustra igitur Pontifices Romani jus in conscientias & religionem possessione aut præscriptione quæsitum jactant. Religio enim extra commercium humanum, adeoque & extra possessionis & præscriptionis sphæram est posita. Unde in rebus conscientiæ juri possessionis & restitutionis nullum esse locum, & quod verum & pium est, sine ulla exceptione temporis profiteri licere, recte censent Principes Protestantes apud *Sleidan.* Comment. L. 11. p. 300. 310. Add. *Oldenburg.* ad Instr. Pac. part. 2. disc. 15. p. 126.

§. CDXLV.

Effectus possessionis dominii præsumtio.

Effectus possessionis generatim in eo consistit, quod excludat a re possessa omnes, qui jus fortius docere nequeunt, adeo ut etiam possessio sine jure quosdam habeat juris effectus. Ea ipsa enim possessione, & ideo quod possidet, possessor aliquid juris in re possessa habere censetur. Unde possessio dominii præsumtionem parit, onus vero probandi in alium devolvit, & quamdiu contraria illa probatio non fuerit peracta jus in re possessa possessori tribuit, vi cujus fructus percipit, conf. L. 1. T. 11. §. 136 & si in possessione turbatur, aut ab eadem dejicitur, media eam retinendi vel recuperandi adhibere potest. *

* Retentionis jus quod nonnulli possessionis effectibus annumerant, magis ex naturalis defensionis, quam solo possessionis jure oritur, nec semper jus reale tribuit. Vid. L. 3. T. 2. §. 380.

§. CDXLVI.

Tollitur contraria probatione

Sed juvabit magis speciatim inquirere, quousque pertingat vis possessionis, ortaque ex eadem dominii præsumtio, quidve requiratur ad probationem possessionis elisivam? Tutum possessorem præstat possessio, donec adversarius duo probaverit, *primo* vitiosam esse præsentis possessoris possessionem, *secundo* sibi jus aliquod in re controversa competere. Prius saltem si probetur, nondum quicquam juris exinde nascitur adversario, quippe cui adhuc obstat exceptio, tua non interest, removenda per juris sui deductionem. Posterius probari nequit, nisi simul præsentis possessionis vitium indicetur. Nam etiamsi alter ipsum dominium sibi esse quæsitum probaverit, id tamen saltem evincet, quod dominium habuerit, non autem, quod adhuc eodem gaudeat, eum enim illud amisisse, indicio est præsens alterius possessio.

§. CDXLVII.

tum pristini dominii tum vitiosæ possessionis.

Dixeris, neminem, suum jactare aut abdicare, præsumi. Sufficere itaque, pristinum probasse dominium, quo facto illud tam diu durare præsumendum, donec ab altero probetur contrarium. Respondeo, non *temere* præsumendam esse dominii amissionem vel abdicationem. In nostro autem casu præsentem alterius possessionem grave satis præbere factæ amissionis indicium. Stat nimirum pro possessore præsumtio, eum injuste possessionem non acquisivisse. Dominium autem qui interserit, itidem nihil aliud pro se allegare valet, quam præsumtionem, qua nemo suum jactare aut derelinquere præsumitur. Res igitur redit ad quæstionem præjudicialem, utra præsumtio sit fortior, numque potius in domino abdicatio, an in possessore injusta invasio debeat præsumi. Sane tum charitas Christiana, tum ipsa naturalis æquitas suadere videntur, ut potius factum licitum in domino, abdicatio scil. quam illicitum in possessore, injusta nimirum possessionis arreptio tamdiu præsumatur, donec possessionis vitium e. c. rem esse deperditam, furtivam, precario concessam &c. a domino fuerit indicatum.

§. CDXLVIII.

Naturalis hæc est possessionis prærogativa, quam tamen legibus civilibus posse mutari, augeri, vel minui, imo reapse passim esse mutatam sponte agnosco. Conf. L. 1. T. 16. §. 198. Prisco Germanorum jure ex sola possessione dominium æstimabatur, adeo, ut etiamsi quis competens sibi dominium & vitium possessionis probaret, nihilosecius contra tertium possessorem non audiretur, sed simpliciter actione personali juberetur experiri contra eum, quem vel ex contractu vel delicto intuitu rei sibi ablatæ obligatum habebat. Conf. L. 3. T. 3. §. 407. Econtra jura Romana quibus hodienum hoc in passu utimur, naturalia possessionis jura in tantum minuerunt, ut simul ac possessio antiquior fuerit probata, cedere eidem debeat recentior, dominio autem probato cedere debeat possessio antiqua pariter ac recens, & pristini dominii vel pristinæ possessionis probatione elisa, enervata quoque censeatur præsumtio, quæ alias pro præsentis possessoris justitia militat. Vid. L. 1. T. 16. §. 198. Utraque legislatio suas habet rationes. Prisca Germanorum in eo, ut possessiones magis reddantur securæ, & sola fides, quam præ ceteris colebant, in rerum translationibus spectetur. At Romana in eo, ut reprimerentur improborum alienis possessionibus inhiantium libidines, nec possessionis commodo juvarentur. Germani probam hominum integritatem, Romani pravam frequentemque improborum libidinem magis respexisse videntur.

Quid jus Germ. & Rom. hac in re mutarit?

§. CDXLIX.

Dicta ubi ad Principum causas applicamus, experientia rerum magistra omni ævo docuit, Principes personas ac Respublicas, quæ solo jure naturali reguntur, ex possessione præsentanea ipsum dominium metiri, & vix aliam, quam quæ per arma fit, probationem contrariam admittere. Quem modum regnorum acquirendorum & tenendorum ni legitimum haberemus, vix ulla legitima videri possent regna, & omnibus populis, qui florent imperio, ad casas foret redeundum, & in egestate ac miseriis jacendum, ut loquitur *Carneades* apud *Lactantium* de Iustit. L. 5. c. 16. Et Cariolanus apud *Dionys. Halicarn.* L. 8. pr. ait, si unusquisque populus partem suam sibi per vim contra jus & fas ereptam velit repetere ac recipere,

Principes ex possessione dominium metiuntur

pere, nihil erit tam parvum, tam debile, tam egenum, quam Respublica Romana.

§. CDL.

Testim. Salmasii. Altius rem repetit graphiceque depingit *Salmasius* in Defensione Regia c. 6. p. 198. his verbis: Alexander M. Persis imperium eripuit. . . . Post mortem ejus Duces, qui sub eo militarant, totidem regna sibi fecerunt, quot præfecturas antea singuli obtinuerant. Reges cum sic evasissent, tandem procedente tempore, eorum ditiones in Romanum Imperium velut absorptæ deciderunt, quod & ipsum postea in varia regna scissum fuit a barbaris, qui Europam & Asiam Africamque ex Septentrione adfluentes inundarunt & insederunt. Britannia quæ provincia fuerat Imperii Romani sic ab Anglo-Saxonibus occupata Regni formam induit, & priori statui reddita est, quem ante Romanorum invasionem habuerat. Dani Anglo-Saxonibus illud regnum ereptum sibi vindicarunt. Deinde rursus & Saxones Danis. Idem passi sunt iidem mox a Normannis, quod ipsi Danos pati coëgerant. . . . Jam si Saxones res suas repeterent, & se vetustiores ejus regni colonos esse contenderent, novitiis migrare inde jussis. . . . Dani intercederent, qui id sibi deberi potiori jure asserant. Imo se priores esse Angli & Saxones affirmabunt, qui Romanis Britanniam ademerint, & sic suam esse debere. Quin imo exurget Imperator hodie, vel Rex Romanorum, qui Britanniam sibi meliori titulo arrogaret, utpote quæ pars olim fuerit Imperii Romani &c. Nemo non videt, si quis vellet antiquis & primis vel possessoribus vel dominis suum reddere, ima summis mutarentur, & omnium rerum confusio & perturbatio per omnes gentes existeret. Adde dicenda Tit. 4. §. 486. Ipse Servator noster sanctissimus, cum tributum Cæsari solvere juberet, Judæos non ad dominium vel justitiam, qua Cæsar eos tenebat, respexit, sed possessionem solam, cujus indicium numus Cæsaris imaginem præferens faciebat, ceu bene observat *Grotius* L. 1. c. 4. §. 20. & *Strauchius* de Munimentis retinendæ possessionis Imperiorum pag. 645. Opusculorum Strauchian.

§. CDLI.

Cum subditis suis ubi Princeps de bonis litigat, id quidem videtur expeditum, si Princeps in possessione est illorum bonorum, subditis incumbere probationem tum vitii, quo laborat Principis possessio, tum juris sibi in bonis istis competentis. Alias enim Princeps utpote a lege civili immunis simpliciter se naturali tuetur possessionis favore. At si subditus bonorum, de quibus cum Principe ipsi controversia intercedit, possessionem tenet, eousque pariter illa ipsi proderit, ortaque exinde justitiæ præsumtio, donec a Principe jus fortius & melius deducatur. In specie si subditus in possessione Regalis est, & a Principe illud dimittere jubetur, quæritur, num instituto possessorio Summariissimo in possessione præsentanea sit defendendus? Negativam tuentur, & simpliciter talem subditum ad petitorium remittendum volunt *Choppinus*, *Paurmeister*, *Thomasius.* Ad edendum saltem possessionis titulum eum compellendum censent *Baldus*, *Covarruvias*, *Menochius*, *Mevius*, *Knichenius*, *Brunneman*, *Stryck*, *Textor*, *Wernher*, & *Peterman* pec. diss. de valore possessorii Summariissimi contra Principem Lips. 1731. ita tamen ut immemorialis præscriptio tituli vice fungatur. Decennalem saltem possessionem adversus Principem attendendam pronuntiarunt ICti Viteb. ap. *Berger.* Elect. process. possess. §. 26. & *Augustin. Leyser.* de Assentationib. ICtorum §. 20. Rectius forsan simpliciter subditum in possessione tuendum existimant *Bartolus*, *Oldendorpius*, *Hertius* aliique.

Et subditos possessio contra Principes tuetur.

§. CDLII.

Plane per legem, quæ vel rem sine titulo possidere vetat, vel possessionem præsentem antiquiori aut dominio pristino cedere jubet, recte omnino restringitur possessionis jus, subditis alias competens. At viget in Germania per receptum jus Romanum talis lex, quæ possessionem antiquiorem recentiori præferendam præcipit. Unde sequitur, simulac Princeps rem a subdito possessam domanialem quondam fuisse probat, cedere debere subditum possessione, nisi rem legitime e. c. per concessionem, præscriptionem immemorialem (quæ ipsa sua natura titulo caret) sibi esse quæsitam docere valeat. Confer. dicenda de Processu §. 178. In Electorata

ni lex prævia sine titulo possidere vetat.

ratu Brunsuicensi 1735. in Comitiis provincialibus decretum, privatum in puncto jurisdictionis contra Principem in Summariissimo non esse audiendum, & jurisdictionem pariter ac venationem majorem contra Principem nonnisi immemoriali tempore praescribi. Quoad venationem minorem autem 40. annorum tempus sufficere statuitur, & Summariissimo locus relinquitur.

§. CDLIII.

Atque tunc saltem de bonis post hanc legem quaesitis titulum edere debent.

Regulariter autem ac sine praevia lege ad edendum seu probandum possessionis titulum subditos adigere Princeps nequit (qua in re ne opus quidem est, ut confugiamus ad L. 11. C. de petition. hered. aut L. 4. C. de praescript. 30. vel 40. ann.) Cui est consequens, lata lege, quae res sine titulo possidere vetat, saltem de bonis post illam legem latam quaesitis probationem a subditis posse exigi, non autem de bonis antea possessis. Conf. *Szulecki* de Condictione Juris Gentium p. 13. & 18. Unde cum Rex Sueciae tanquam Dux Bremensis Edicto de 13. Jan. 1691. decimarum possessores in illo Ducatu titulos possessionis suae intra 6. septimanas sub poena privationis edere juberet, consultus desuper Ordo Juridicus Vitebergensis respondit, possessores non teneri ad titulos suos edendos, donec a Rege fuerit probatum, decimas illas esse Ecclesiasticas, nec proinde possideri a Laicis posse. Ipsum Responsum vide in Accessionibus Hornianis ad Jurispr. feud. a *Christiano Hanaccio* collectis p. 38. sq.

§. CDLIV.

Petitorii & possessorii discrimen naturali juri haud incognitum,

Donec igitur vitium possessionis & jus fortius, quod alter in re possessa praetendit, fuerit deductum, possessor merito possessionem retinet, turbatam tuetur, ablatamque recuperat. Unde discrimen judicii possessorii a petitorio oritur. Hoc quidem discrimen naturali juri & inter summos Principes incognitum, ac judicia possessoria juris civilis esse, jure gentium vero possidendi jus dominium sequi contendit *Grotius* L. 3. c. 20. §. 48. indeque infert, arbitros a populis aut summis potestatibus lectos de principali negotio pronuntiare debere, non de possessione. Grotium vult juvare *Feldenus*, eo quod possessoria judicia ad eos pertinere ait, qui suo imperio vim

vim addere possunt. Mittere enim in possessionem magis imperii esse, quam jurisdictionis juxta L. 4. Dig. de Jurisdict. Imperium autem arbitro non competere.

§. CDLV.

Sed falsum plane est, quod dicitur possessoria judicia solius juris civilis esse. Quamvis enim in statu naturali ac inter liberas gentes controversiæ, quarum decisio arbitro est commissa, eo majori celeritate debeant componi, quo majus ab armorum vi metuitur periculum: subesse tamen possunt causæ gravissimæ, quæ impediant, quo minus ipsa rei justitia ad liquidum statim possit deduci. Iniquum autem foret, possessionis commodo interea privare eum, qui ex eadem justitiæ præsumtionem haud exilem pro se habet, aut si forte manifesta cum injuria in possessione ab altero turbetur, aut plane ab eadem dejiciatur, restitutionem ei denegare, & violento potius dejectori possessionis commoda indulgere. *quod confirmatur*

§. CDLVI.

Illa, quam Grotius affert, ratio, possidendi jus *sequi* dominium, h. e. de dominio prius constare debere, quam de possessionis justitia ferri potest judicium, illa inquam ratio tum demum stringit, ubi de vacua possessione alicui adjudicanda agitur. Tunc enim si petitorium ad liquidum deduci confestim nequit, sequestrem constituere præstat, quam alterutri possessionem adjudicando, alteri præjudicare. Ubi vero aliquis in possessione jam dum est constitutus, circa ipsum autem dominium dubium suboritur, nil obstat, quo minus possessorii causa a petitorio tantisper separetur, & possessio adjudicetur vel relinquatur ei, qui fortiorem ex ipsa hac possessione pro se militantem habet præsumtionem. Aut si forte uterque est in possessione, provisionaliter poterit injungi, ut utraque pars sine alterutrius turbatione æqualiter possessione fruatur, quod in casu glandis legendæ decrevit Camera d. 13. Oct. 1715. Adde § 438. Jam vero cum arbitro regulariter cognitio totius causæ commissa censeatur, sane ei, cui id, quod plus est, judicandi de irrevocabili dominii jure facultas competit, minus denegari non debet, facultas nimirum judicandi de temporario & revocabili possessionis jure. *contra Grotium,*

§. CDLVII.

§. CDLVII.

Feldenum. Quod Feldenus quæstioni lumen voluit accendere, nollem ex jure Romano mutuasset. Quam incongrua enim sit imperii, quod penes Prætorem, & jurisdictionis, quæ penes magistratus inferiores erat, ad summas potestates applicatio, sponte patet. Sed & hoc seposito ipsa citata lex 4. Dig. de Jurisdict. si recte inspiciatur, nil quicquam ad rem facit. Non enim illa negat ei, cui jurisdictio est demandata, potestatem *cognoscendi* de possessione (quæ potius ipsis diserte injuncta legitur L. 4. §. 3. Dig. de damno infecto) sed potestatem NB. *mittendi* in possessionem, quæ immissio omnino vim supponit. Eadem ratione se res habet cum arbitro, cujus officium pariter est de possessione cognoscere, non autem vi armata in possessionem immittere, nisi ad hoc quoque speciatim fuerit electus.

§. CDLVIII.

At possessorii in ordinarium & summarium distinctio civilis. Ipsum itaque discrimen inter judicium petitorium & possessorium juri naturæ & gentium non est incognitum. Quod vero judicium possessorium porro dividitur in ordinarium, ubi de antiquiore & justiore, ac summarium, ubi de præsentanea possessione quieta agitur, id inquam mere civile videtur, quoniam naturali jure indistincte præsentis possessoris potior est conditio per dicta §. 446. sq. Germaniæ autem Principes cum in causis suis privatis jure communi utantur, ex eoque in summis Imperii tribunalibus judicentur, omnino discrimen hoc inter possessorium ordinarium & summarium agnoscunt, ac proinde inter eos antiquior possessio recentiorem vincit.

TITU-

TITULUS II.

DE
Remediis possessoriis
ubi de
Interdictis & Pignorationibus.

* * *

Possessor in possessione, cujus vitium ostendi nequit, relinquendus nec turbandus, in eadem vero turbatus naturaliter quovis modo se tuetur, cujus rei vestigia in ipso statu civili (ubi alias via juris est experiendum) cernuntur in pignorationibus, quæ Germaniæ legibus subditis permittuntur, Principibus non item.

§. CDLIX.

Media possessionum juribus inservientia vocantur interdicta, quæ si eo sensu accipiuntur, quod iisdem interdicamus & prohibeamus, ne alter nos in possessione turbet, aut in eadem acquirenda aut recuperanda impediat, inter ipsos etiam Principes, liberasque gentes obtinent. Quatenus autem sensu juris Romani denotant vehementiora & imperiosiora Prætoris decreta, aliquid fieri vel non fieri prohibentia, statum civilem suppo-

Interdicta an inter Principes obtinent?

ſupponunt, ac inepte ſummis imperantibus applicantur. Inſaniam vocat *Spartianus* in Peſcennio Nigro c. 2. in fin. quod Julianus cum Severo ex interdicto de Imperio egerit, ut jure videretur ad Principatum perveniſſe. Nobis hic notaſſe ſufficit, interdicta in ſe ſpectata juri naturali non eſſe incognita, & a legibus civilibus peculiaribus ſaltem nominibus eſſe inſignita, ac forma peculiari paſſim aucta.

§. CDLX.

adipiſcendæ poſſeſſionis, Ipſa etiam naturalis ratio dictitat, commode ſatis interdicta poſſeſſoria ad tres claſſes revocari, adipiſcendæ, retinendæ, & recuperandæ poſſeſſionis. Interdicta quidem adipiſcendæ poſſeſſionis hujus loci non ſunt, cum in præſenti circa effectum poſſeſſionis verſemur, adeoque poſſeſſionem jam dum apprehenſam ſupponamus. Confer interim de interdicto quorum bonorum & remedio Legis fin. C. de Edicto D. Hadriani tollendo de Heredit. T. 38. §. 811. Interdictum vero quod legatorum, mere civile eſſe monuimus de Hered. T. 41. §. 858. Salvianum interdictum datur locatori, adverſus colonum ad poſſeſſionem rerum pignori obligatarum acquirendam § 3. Inſt. de Interdict. & expeditior eſt actione Serviana, eo quod in interdicto Salviano ſufficit probaſſe poſſeſſionem debitoris, quodque res pignori ſit obligata, cum in Serviana actione probari debeat, rem tempore obligationis in bonis debitoris fuiſſe L. 23. Dig. de probat. §. 7. Inſt. de action.

§. CDLXI.

retinendæ, Interdicta retinendæ poſſeſſionis dantur ei, qui in poſſeſſione, quam tenet, turbatur contra turbantem. Eſt autem turbatio poſſeſſionis actus, quo alter in ſua poſſeſſione impeditur. Peragi talis actus plerumque ſolet per facta. Sed num & per ſola verba aut ſcripta poſſeſſio turbari queat? diſceptatur. Negat *Weſenbecius* ad Tit. Dig. uti poſſidetis, & tali caſu injuriarum potius actionem inſtituendam retur. Sicut enim poſſeſſio ſine actu corporali acquiri nequit, ita eam nec ſine eo turbari poſſe contendit. Hinc in cauſa Chriſtian Friedrich von Trebra contra Wolff Chriſtoff von Trebra, cum ille in quieta feudi poſſeſſione eſſet, hic vero ſuccedendi in illud jus ſibi vindicaret, huncque in finem a Duce Saxo-Weiſſenfelſenſi, tanquam domino directo, poſſeſſionem aut compoſſeſſionem per Decretum indul-

indulgendam quæreret, consulta desuper Facultas Juridica Lipsiensis judicavit, daß die Klage angebrachter massen in Erwegung, daß die von Beklagten nach erhaltenen gnädigsten Rescript gesuchte posses und Compossess nicht pro facto turbativo zu achten, nicht statt hat, und ist Kläger Beklagten die Unkosten dieses Termins zu erstatten schuldig.

§. CDLXII.

Lyncker in Analect. ad Inst. L. 4. T. 15. §. 6. distinguit num turbatio animo vexandi, an animo possessionem sibi asserendi sit facta, & illo casu injuriarum, hoc actionem in factum ex interdicto largitur. *Menochius* de retin. possess. Remed. 3. n. 292. distinguit, num per diffamationem possessoris possessio impediatur nec ne, & priori saltem casu interdicto locum facit. *contra turbationem,*

§. CDLXIII.

Sed & verbis aut scriptis solis possessionem posse turbari variis argumentis ostendit *Godofred. Ludov. Mencken.* in diss. de possessionis turbatione verbis vel scriptis facta Viteb. 1730. §. 12. & confirmat præjudicio Facultatis Juridicæ Vitebergensis quæ in memorata modo causa Trebrensi post interpositam Leuterationem anno 1729. mens. Oct. respondit: dieweil Kläger sich in der posses des libellirten Ritter-Guths, sowohl daß Beklagter um die Einsetzung in die Compossess bey Ihro Hochfürstl. Durchl. angesucht, dazu ein gnädigstes Rescript einseitig extrahiret, und daß solches zur expedition gebracht werden möge, angesucht, fundiret, letzteres aber allerdings auf eine turbationem possessionis hinauslaufft, immassen bekanter Rechte nach nicht bloß factis, sondern auch verbis turbatio possessionis geschehen mag, so ist Kläger, biß Beklagter würcklich in die posses gesetzt wird, zu warten nicht verbunden, sondern durch die angestellte Klage seine posses zu conserviren, wohl befugt. *quæ & verbis solis fieri potest.*

§. CDLXIV.

Quæ contra possessionis turbatorem pro eadem retinenda dantur remedia seu interdicta, ex ipsa indole rerum corporalium, utpote quæ proprie *Interdict. Utrubi & Uti possidetis.*

prie possidentur, quæque vel mobiles sunt vel immobiles, ad duo * commode revocantur, unum de rebus mobilibus, quod *utrubi*, alterum de immobilibus, quod *uti possidetis* vocatur. ** Nomina hæc licet Prætorum formulas sapiant, ipsa tamen res, quæ iisdem denotatur, etiam in statu naturali inter summos Principes cernitur. Illustre hujus rei si exemplum desideras, provoco ad Transactionem Passaviensem & pacem religiosam, quæ certe nihil est aliud, quam conventio de possessione juris Sacrorum (nam analogice etiam ad res incorporales possessio & interdicta transferuntur) Protestantibus tam diu quiete relinquenda, donec ipsum petitorium perducatur ad liquidum, quod ne dum quidem factum esse, constat. Unde *Reinkingius* in seiner Biblischen Policey L. 1. axiom. 45. bene monet, transactionem illam esse commune quoddam in vim pragmaticæ sanctionis publicatum Edictum uti possidetis, ita possideatis. Add. *Oldenburger* ad Instr. Pac. part. 2. disc. 15. p. 127. in fin.

* Ad quæ interdicta specialia e. c. de superficiebus, imo & interdicto ratione servitutum proposita referri possunt, Vid. *Struv.* Jurisprud. Rom. L. 2. T. 37. §. 10. sqq.

** Qui negat se possidere, interdictis utrubi & uti possidetis uti nequit, quia NB. sunt retinendæ possessionis. At is, qui rem suam ab alio vindicat, negat eam penes se esse, & alium ejus possessorem agnoscit. Nihilosecius L. 12. Dig. de acquir. vel amitt. possess. non denegari ait ei interdictum uti possidetis, qui cœpit rem vindicare. Non enim videtur possessioni renuntiasse, qui rem vindicavit. Supponit scil. illa lex, me dum actionem vindicatoriam institui, errasse, ac licet possessor fuerim, talem tamen non credidisse, postea autem jure meo cognito mutatoque libello, uti possidetis experiri. Vid. *Cujac.* L. 7. Obs. 38. Adde dicta §. 471. & de heredit. §. 812.

§. CDLXV.

recuperandæ possessionis Unde vi.

Interdictum recuperandæ possessionis, quod *unde vi* vocari consuevit, in tantum est juris naturalis, ut is qui a possessione injuste est dejectus, eandem

eandem sibi restitui recte petat, denegatamque vindicet, sive res ablata adhuc penes illum, qui eam eripuit, existat, sive jam ad alium fuerit translata. Possessio enim tanquam jus reale contra quosvis alios injustos possessores valide vindicatur. Dico contra *injustos*, qualis cum nemo præsumatur, ante omnia vitium possessionis e. c. rem esse furtivam, deperditam probandum est ab eo, qui justum se possessorem, injusteque dejectum interserit. Jus Romanum hoc interdictum ita coarctat, ut non contra tertium, sed solum dejicientem, ejusque heredes, in quantum ad eos pervenit, indulgeatur, L. 2. C. unde vi, L. 1. §. 48. Dig. de vi & vi armata, quas angustias jus Canonicum sustulit, dum in cap. 18. X. de Restit. spoliator. spoliatum etiam contra tertium malæ fidei possessorem, qui NB. *scienter* rem talem recepit, restitui jubet, & in Can. 3. caus. 3. qu. 1. simpliciter etiam contra bonæ fidei possessorem, prout Doctores canonem illum interpretantur. Quæ juris Canonici dispositio hactenus cum juris naturalis placitis amice satis conspirat. Praxis vero illam passim extendit, ut non modo spolii exceptionem in causis plane diversis admittat, sed etiam eum, quem juste esse dejectum, manifeste apparet, nihilosecius restitui ante omnia, dominum vero propter vim factam jure suo privari jubeat L. 7. C. unde vi, quod licet præter jus naturæ statuatur, recte tamen constitui potest, ne scil. privati sibi ipsis jus dicant. Ad Germaniæ Principes hanc extensionem applicandam negat *Titius* specim. Jur. publ. L. 1. c. 1. §. 63. L. 2. c. 9. §. 49. quoniam Principum Germaniæ delicta non ex legibus privatis, sed jure naturali æstimanda censet, quo ipso tamen principium petit, cum ipsis etiam Principibus via facti per leges Imperii sit interdicta.

§. CDLXVI.

Via facti an pro tuenda possessione licita?

Modus urgendi & exequendi interdicta possessoria alius cernitur in statu naturali, alius in civili. In statu naturali ubi non datur superior, quilibet propria autoritate & via facti sicut reliqua jura, ita & possessionem tuetur. In statu autem civili vacuam quidem rei possessionem apprehendere indulgetur cuilibet, qui in eadem aliquid juris prætendit, * a re etiam possessa vim vi *in continenti* arcere permittitur, nemo autem de reliquo sibi ipsi jus dicere, adeoque nec alium sub ullo prætextu a possessione dejicere,

nec turbationem possessionis propria autoritate vindicare sinitur, sed via juris procedere jubetur.

* Cum tamen 1126. Guilielmus Burgundiæ Comes nefaria proditorum fraude interemtus esset, ejusque morte intellecta Reginaldus Matisconensis & Cabellionensis Comes proximus agnatus, quæ reliquerat, subito corripuisset, Henricus V. Imp. valde indignatus, & de his quæ prætenderet, jure ut ageret, Imperiique Principum sententiam expectaret, publice edixit, ceu ex *Guillimanni* Habsburgicis L. 5. c. 3. p. 196. memorat *Itter* de feud. Imp. c. 24. §. 8.

§. CDLXVII.

Neg. in Imp. In Camera Imperiali per mandata cum & sine clausula proceditur, & constat, quod processus mandati sine clausula regulariter * nudum possessorium respiciat, ita ut finito processu mandati sine clausula, reo integrum sit recurrere ad petitorium. Solent tamen partes etiam in processibus mandatorum sine clausula merita causæ principalis seu petitorii amplissime tractare, quo casu judicis officium efflagitat, ut litem potius finiat, quam novo processui causam det. Hinc *Ludolfus* de Jure Cameral. p. 127. nulla prostare ait exempla instituti petitorii post finitam causam mandati sine clausula.

* Nam & facta sanctionibus publicis contraria locum faciunt mandatis sine clausula, licet ejusmodi causæ ad petitorium potius quam possessorium, aut si mavis ad neutrum spectent, quia reales non sunt sed personales. Conf. de Procesf. §. 178.

§. CDLXVIII.

Exc. casus pignorationum. A regula, qua juxta §. 466. nemini possessionis turbationem propria auctoritate vindicare licet, excipitur casus pignorationum derer Pfandungen, quæ tanquam medium retinendæ & conservandæ possessionis passim adhuc permittuntur. Dicitur autem pignoratio a pignore, quod per

eandem

eandem capitur pignus, aut a pugno, quia res pignoratæ manu traduntur & capiuntur. L. 238. §. 2. de Verb. Signif. Gallis pignoratio dicitur *droit de Marque*, quod in limitibus potissimum exerçetur. Vid. *Gothofred.* ad Nov. 52. Nobis illa h. l. est nihil aliud, quam turbatæ possessionis vindicatio, facta mediante ablatione vel deterioratione * rei tertiæ i. e. quæ cum jure principali, de cujus possessione quæritur, nil commune habet. ** Differt igitur ab actione spolii, quæ pertinet ad recuperandam possessionem, pignoratio autem ad retinendam. Item a repressaliis utut cum iis eam confundat *Grotius* L. 3. c. 2. §. 4. & Doctores passim ad Nov. 52. Repressaliæ enim ob denegatam justitiam suscipiuntur, pignoratio ob turbatam possessionem. Denique & ab arresto differt pignoratio. In hac enim requiritur res tertia, in illo non item. Plures differentias tradit *Ludolf.* de Jur. Cameral. p. 98.

* Potest fieri pignoratio ita ut nihil auferatur, si retia piscatoria vel aviaria conscindantur, canes venatorii occidantur, pecora in pascuis alienis deprehensa in paludem fugentur, fruges conculcentur, projiciantur in flumen, famuli verberentur &c.

** Quales sunt in turbato jure venandi canes, accipiter, it. die Lock-Vögel, imo ipsæ feræ & pisces capti R. J. 1600. §. Weiter ist, in turbato jure patronatus claves templi, in turbato jure lignandi, equi & currus, quibus ligna vehuntur, (non ipsa ligna, glandes &c.) in jure pascendi pecora, in turbato jure vectigalis, mulctæ, collectæ, id quod NB. ultra summam, quæ mulctæ aut collectæ nomine prætenditur, aufertur cit. Rec. Imp.

§. CDLXIX.

Indolem pignorationis si scrutemur, cum illa sit medium retinendæ possessionis, patet, fieri eam debere ab eo, qui est in possessione, & contra eum, qui possessionem turbat, & quidem ob possessionem non litigiosam, sed saltem turbatam. Finis enim pignorationis non est, ut ulli præjudicetur, sed ut impediamus, quo minus alter per actum, quo possessio- *Pignorationis indoles,*

sessionem nostram turbat, si illum quiete exerceri pateremur, in possessione recentiore constituatur. Hic finis cum per solam ablationem obtineatur, natura pignorationis exigit, ut res ablata, aut si illa perierit, ejus pretium pignorato restituatur, (qui tamen emendam Pfandgeld solvere tenetur.) Ex quo simul intelligitur, cur pignoratio præcise fieri debeat in re tertia, non autem in litigiosa. In litigiosa enim possessione pignoratio plane locum non habet, & si haberet, res litigiosa ablata foret restituenda pignorato, quod omnem pignorantis intentionem everteret. Hinc si forte in pignoratione partim res tertia partim res ipsa fuerit ablata e. c. in turbato jure lignandi currus & equi una cum lignis auferantur, pignoratio saltem in re tertia h. l. in curru & equis facta intelligitur, non in lignis, quæ proinde nec pignorato restituuntur.

§. CDLXX.

Principibus prohibita.

De justitia pignorationum si quæratur, apparet ex dictis, easdem in se spectatas innocentes nec injustas esse, unde licet jure Romano per L. 39. §. 1. ad L. Aquil. censeantur prohibitæ, Germaniæ tamen moribus subditis permittuntur Land-R. L. 2. art. 27. 28. 47. L. 3. art. 20. adeo ut ipsius Principis res pignorare valeant, ceu leges provinciales & consuetudines passim obviæ testantur. Principibus vero Imperii ob metuendam ex pignorationibus armorum vim in Imperii legibus pignorationes * prorsus sunt interdictæ. Vid. Ord. Cam. part. 2. tit. 22. Rec. Imp. 1594. §. 72. sqq. Unde si de facto pignorationes ab immediatis, ipsorumve jussu suscipiantur, in Camera Imperiali decernuntur mandata de relaxando vel restituendo sine clausula. Sed cum ex ipsa pignorationis indole pignora capta pignorato restitui debeant, videri posset, ac si hoc etiam in passu par sit subditorum mediatorum & Principum immediatorum conditio. Sed differentia se exerit eo, quod Princeps pignorans rem ablatam suis sumtibus, privatus autem pignorans sumtibus pignorati reddere debeat.

* An & repignorationes? Aff. quia & hinc turbæ metuendæ, quare nulla hic compensatio admittenda. Vid. *Textor* ad R J. de 1654. diss. 8. §. 75.

§. CDLXXI.

§. CDLXXI.

Camera decernit mandata de restituendo.

Solet Camera Imperialis in processu ex Constitutione pignorationis cum mandato de restituendo vel relaxando cumulare mandatum de non offendendo, non autem mandatum de non amplius turbando. In cujus rei ratione explicanda valde obscuri sunt Doctores. Ex *Blumio* neminem hac in re doctiorem discessurum spondet *Ludolf* de Jur. Camer. p. 78. Nescio interim, num ipsum Ludolfum, hujus rei rationem reddentem satis intellexerim. Prout ego rem capio, Ludolfus duplicem hujus rei reddit rationem, *primo* quod is, qui mandatum de non amplius turbando petit, debet esse in possessione quieta, cum exadverso is, qui petit mandatum auf die Pfändungs-Constitution in tali possessione plerumque haud sit: *secundo* Mandata auf die Pfändungs-Constitution decernuntur sine clausula justificatoria, quia pignorationum, utpote inter immediatos simpliciter prohibitarum, injustitia est manifesta. Jam vero cum mandatis S. C. cumulari commode nequeunt alia, quam quæ itidem sine clausula decernuntur, qualia sunt mandata de non offendendo, quæ locum habent, quoties a personarum offensione metuitur. At mandata de non amplius turbando nonnisi cum clausula decernuntur, quoniam alter potest habere exceptiones, quibus docere valeat, sibi possessionem competere, adeoque jus esse impediendi alterum, quoties sibi possessionem asserere conatur. Cum itaque mandatum de non amplius turbando decerni debeat cum clausula, compatibile illud non esse putat Ludolfus cum mandato auf die Pfändungs-Constitution sive de restituendo, quod sine clausula decernitur. Utrique huic rationi a Ludolfo allatæ obstare videtur, tum quod frequentissime in Camera decernantur & in eodem processu cumulentur mandata mixta, alterum sine, alterum cum clausula, ceu vel ex rubricis ab ipso Ludolfo Appendice X. allegatis constat: tum etiam quod dictam possessionis ἀκρίβειαν Camera in similibus passibus curare non soleat. Sic in Camera actio confessoria cum interdicto uti possidetis cumulari finitur. Vide dicenda de Processu Tit. 6. §. 189. utut is, qui actione confessoria experitur in possessione juris controversi non sit, qui vero interdicto uti possidetis, possidere omnino debeat. Hoc certum est, judicium Imperii Aulicum has subtilitates non curare sed cumulare mandata de restituendo,

non amplius turbando nec offendendo. Exemplum in extenso adduxi in formulis subjunctis Principiis Processus Judicii Aulici num. 86.

§. CDLXXII.

Modi possessionem amittendi. Amittitur possessio vel sola animi declaratione seu derelictione, quando possidere amplius nolumus: vel dejectione, quando amplius possidere non possumus.

TITULUS III.

DE

Præscriptione inter Principes usitata ejusque fundamento.

* *
*

Fundamentum præscriptionis inter Principes usitatæ, nec in lege civili, nec in occupatione derelictionem secuta, nec in negligentia domini, aut solo temporis lapsu, sed in possessione, per amissionem contrariæ probationis ab omni vitio purgata, quærendum.

§. CDLXXIII.

Præscriptionis. Quæ in superioribus lustravimus possessionis jura eousque saltem possessorem tuentur, donec alius quidam fortius sibi competens jus deduxerit. At restat nobilissima illa possessionis species, quæ temporis tractu

ita

ita est firmata, ut interverti amplius nequeat, & præscriptionis nomine venit. Est enim præscriptio nihil aliud, quam possessio temporis tractu ab omni vitio purgata. Quo ipso statim liquet, nos usucapionem & præscriptionem hoc loco pro synonimis accipere, quæ duo alias ita solent distingui, ut usucapio ad res corporales, imo quod alii malunt, ad solas mobiles, præscriptio ad incorporales & jura referatur, ac usucapio de incorporalibus nunquam prædicetur. Ex mente antiquorum JCtorum Romanorum usucapio dominium tribuebat, præscriptio autem alteri jus agendi adversus possessorem auferebat, ut proinde usucapio fuerit acquisitio, præscriptio vero amissio dominii. Vid. *Heinec.* Antiq. Rom. Lib. 2. Tit. 6. §. 8. At sustulit Justinianus omne inter usucapionem & præscriptionem discrimen. Communem vero definitionem, qua præscriptio in L. 3. Dig. de usurp. dicitur adjectio dominii per continuationem possessionis tempore lege definito, ideo deserimus, quod accurate loquendo ipso civili jure dominii adjectio magis est effectus præscriptionis, quam præscriptio ipsa.

§. CDLXXIV.

Definitio, Nos *possessionis* speciem dicimus præscriptionem, quod vel ipsa usucapionis notio innuit. *Vitiosam* autem in præscriptione desidero possessionem ideo, quoniam, si illa vitio caret, præscriptionis adminiculo non indiget, sed per se facultate quemvis alium excludendi pollet. Si vero vitio laborat, id demum præstat præscriptio, ut illud omne tollatur, quod qua ratione, quantoque tempore fiat, clarius patebit, ubi sigillatim in præscriptionis fundamentum, requisita, objectum & interpellationem nunc nobis erit inquirendum.

§. CDLXXV.

fundamentum in statu nat. Fundamentum præscriptionis aliud naturale aliud civilia jura agnoscunt. Si de naturali lege est quæstio, nos illud collocandum esse remur in solo possessionis favore ex parte præscribentis, & amissione seu defectu contrariæ probationis ex parte ejus, contra quem præscribitur. Possessio præscribenti jus tribuit, sed revocabile, simulac alter vitiosam eandem esse, sibique meliore jure competere demonstraverit. At contrariæ proba-

tionis defectus efficit, ut is contra quem præscribitur, jus suum deducere nequeat, & consequenter eodem prorsus excidat, quo ipso jus præscribentis firmum & irrevocabile redditur, & ipsius præscriptionis vires aperte satis se exerunt. Ab ovo res repeti meretur.

§. CDLXXVI.

Ex possessionis indole eruitur.

Eam esse possessionis vim, ut jus tribuat repellendi omnes, qui jus fortius ostendere nequeunt, extra controversiam est positum. Ubi vero unus actu rem possidet, alter vero vel antiquiorem possessionem, vel dominium plane interserit, utrius conditio naturali jure potior sit habenda, dubium videtur. Pro possessore militat præsumtio, quod possessionem haud injuste acquisiverit, quilibet enim præsumitur bonus. At a domini parte stat alia præsumtio, qua nemo suum jactare aut derelinquere præsumitur. Utra igitur prævalebit? Sane cum in casu proposito utrinque præsumtiones æqualiter militent, æquitas suadet, ut potius factum licitum in domino, puta cessionem aut derelictionem, quam illicitum in possessore, puta injustam possessionis arreptionem, tam diu præsumamus, donec dominus possessionis vitium probaverit Vid. Tit. 1. §. 446. Hactenus itaque possessoris conditio est potior, quem sola possessio tutum præstat, adeo ut nullo accedente temporis lapsu aut præscriptione opus sit. Quare ut præscriptioni locus fiat, supponendus est casus, quo dominus contra possessorem per documenta, testes &c. probare sufficienter potest, hujus possessionem esse vitiosam e. c. quod a non domino, aut titulo ad dominium transferendum inhabili, aut ipse aut antecessores ipsius rem acceperint. Tunc omnino penes dominum stat, per ejusmodi probationem jus possessoris elidere. Sed fac pati dominum, antequam hanc suscipit aut peragit probationem, tantum præterlabi tempus, quo media omnia, quibus hanc probationem perficere potuisset, pereunt, finge testes mori, documenta amitti, vel eam attingere ætatem, ut adversarius vel ipsius successores eadem, tanquam sibi incognita, salva conscientia diffiteri queant: tunc sane domino non tam deficit ipsum jus, quam ejus probatio. Hanc ipsi temporis tractus surripuit, eoque ipso possessoris jus firmavit, adeoque præscriptionem absolvit, seu ut apud *Livium* L. 35. Isocrates ad Philippum rem effert, longa dies firmam stabilemque possessionem reddidit.

Tota

Tota igitur res ita se habet, ut possessio incipiat, tempus autem perficiat præscriptionem.

§. CDLXXVII.

Dixeris: cum in materiis historicis ac Juridicis non esse, & probari non posse unum idemque, & fere synonima sint, certe eundem producant effectum, opus non esse ut in casu proposito recurratur ad præscriptionem. Sufficere, possessori jus ex possessione esse quæsitum, alteri autem jus nullum esse, seu quod idem est, probari non posse. Hoc ni fallor sibi vult *Leyser* de Assentat. JCtor. dum ridet præscriptionis immemorialis patronos, idemque esse putat, aut nullam aut immemorialem præscriptionem h. e. talem, de cujus initio memoria non suppetit, statuere. At enimvero rite si terminos ponamus, præscriptio dicenda est *immemorialis*, non quasi deficere debeat memoria, rem antea ab alio non fuisse possessam, sed quia deficit memoria vitii, quo laborabat possessio. Quodsi vero male te habet, possessionem sic qualificatam, ut vitii, quo laboraverat, memoria interierit, insigniri nomine præscriptionis, dissensus inter nos non est super re ipsa, sed super voculis, de quibus transigi facile posset. Interim cum in verborum significationibus usui plurimum tribuendum sit, hic autem inter omnes fere gentes possessionem sic qualificatam præscriptionis nomine insigniat, cur idem fastidire debeamus, non video. Simul tamen fateor, locutionem juris civilis, quod temporis vetustatem vocare amat, aptiorem esse voce præscriptionis vulgo usitatæ. *ab Obj. vindicatur.*

§. CDLXXVIII.

Quæ hactenus de præscriptione ejusque fundamento disserui ad naturale jus pertinent, ad civilia autem nostra jura applicari vix poterunt. Ratio differentiæ in eo est sita, quod civiles leges exulare jubeant præsumtionem illam, qua naturaliter dominum potius rem suam cessisse aut dereliquisse, quam possessor vitiose acquisivisse præsumitur. In alia longe abeunt leges civiles, dum possessorem præsentem antiquiori, simulac antiquiorem possessionem probaverit, utrumque domino simulac dominium deduxerit, cedere jubent, etiamsi nullum ostendi aut probari possit vitium, quo præsentis possessoris possessio laboret. L. 9. Dig. de Rei Vindic. *Indoles & fundamentum præscriptionis in statu civili.*

dic. Absit tamen, ut injustam hanc legum civilium dispositionem dicamus. Versatur enim circa solas res indifferentes, rerum dominia, & jura, quibus sicut expresse per pacta, ita & tacite per leges earumque receptionem valide renunciatur. Quidquod ab insigni potius utilitate hæ leges se commendant, ut scil. præscindatur subditis alienas possessiones injuste invadendi libido. Interim ne ex altera parte possessoribus res, quas diu satis suas putaverant, eripiantur a vindicantibus easdem dominis, saluberrime civilia jura tempus certum, requisita certa præscribunt, quibus possessores ab omnibus aliorum prætensionibus securi ac tuti præstantur, ut proinde præscriptionis fundamentum in statu civili unice a legislatoris voluntate, hancque impellente publica utilitate, ut rerum dominia sint certa & litium finis, arcendum videatur.

§. CDLXXIX.

An omnis præscriptio lege civili nititur?

His positis, constabit in quantum partim ferri aut conciliari inter se possint, partim limitari aut repudiari debeant variæ variorum de præscriptione inter Principes ejusque fundamento sententiæ. Et primo quidem eorum sententia, qui in sola lege civili præscriptionis fundamentum ponunt, tunc saltem ferenda, si de præscriptione ad annos diesque certos adstricta est sermo. Hæc enim a sola humani legislatoris voluntate formam accipit, & proinde Principibus lege civili solutis prorsus non applicanda. Censuram autem merentur, qui omnem omnino præscriptionem ex lege civili derivant, aliamque haud agnoscentes nullam prorsus inter liberos Principes & populos admittunt

§. CDXXC.

Affirmant Galli.

Jam superioribus temporibus, in Gallia præsertim, hæc sentia multis arrisit. Pertinent huc quæ attulerunt *Jacques de Cassan* in libro Recherche des droits du Roy & de la Couronne de France L. 1. c. 3. p. 146. *Aubery* dans ses justes pretensions du Roy sur l'Empire L. 1. cap. 3. & *Puteanus* in dissertatione num præscriptio inter liberos Principes locum habeat, inserta Operi suo touchant les droits du Roy tres Chretien, cujus rationes peculiari dissertatione destruxit *Werlhofius* in Vindiciis Grotiani dogmatis de præscriptione. Vera ratio quæ impulit Gallos in hanc descendere

dere sententiam, fuisse videtur, ut Regi, cujus jura amplificandi studio incredibili ducuntur, commodior præbeatur prætextus revocandi tum a subditis suis, tum ab exteris, ea quæ unquam ad Galliæ Regnum ullo modo pertinuere. At sequioribus temporibus cum videant, retorqueri posse hanc ipsorum hypothesin contra ipsum Gallorum Regem * tam firmiter eidem in posterum forte non inhærebunt.

* Exempli causa adducere liceat, quod superiori seculo *Stephanus Baluzius* demonstrare voluerit, Cardinalem Boullionæum genus ex antiqua Regum Carolingicorum prosapia ducere, ac fortius jus in Galliæ Regnum habere, quam familiam hodiernam Burbonicam. Equidem hoc in passu non adeo liquide omnia videntur deducta. Interim non deerant, qui existimarent, hanc ipsius Genealogiam omni dubio carere. Quo posito, si admitteretur Gallorum hypothesis, quod præscriptio inter liberos Principes non obtineat, nec ipse Rex præscriptione tueri se potuisset, sed Regno cedere debuisset. Ex nostra autem hypothesi nihil plane metuendum fuisset Regi, cum etiamsi Cardinalis probasset, se sanguine attingere priscos Reges, non tamen illico probasset, quod vitiose Regnum possideat Rex. Quare etiamsi Gallorum Rex titulum edere haud valeat, quo Hugo Capetus regnum acquisiverit, cum ex stirpe Carolingica descendentes superessent, sola tamen possessione & præscriptione tutus erit, quamdiu alius nemo vitium, quo hæc possessio laborat ostendere valet.

Aliud exemplum præbet prætensa a Gallorum Rege legatorum suorum franchitia Quarteriorum in urbe Romana, quam præscriptionis jure inter alia sibi competere asserit.

§. CDXXCI.

Argumenta, quæ prætendunt ii, qui præscriptionem inter Principes obtinere negant, huc fere redeunt, quod idoneum ejus fundamentum jure naturali ostendi nequeat. Sed ostendimus nos §. 475. sq. Porro quod desint Principibus superiorem non agnoscentibus media, quibus privati præ- *Eorum argumenta.*

scri-

ſcriptionem impedire & interrumpere valent, qualis eſt litis conteſtatio. Reſp. loco judiciorum inter Principes viget jus belli & armorum. Quare omnino admonere, interpellare per legatos ac feciales poſſunt præſcribentem, qui ſi forte has admonitiones ſpernit, resque vitioſe a ſe poſſeſſas reddere negat, bello peti ac cogi poteſt. Imo ſummis Principibus præſcriptionis interpellatione plane opus non eſſe, oſtendetur Tit. 4. §. 524. Tandem interſerunt otioſam, minus certe neceſſariam, ac ſuperfluam eſſe inter Principes præſcriptionem duplici ex ratione. Primo enim dormire præſcriptionem, ubi læduntur minorennium & pupillorum jura. At cum Respublicæ horum jure ſemper gaudeant, ſemper quoque ipſarum intuitu dormire debere præſcriptionem. At enim vero id quod dicitur, dormire quoad pupillos præſcriptionem, ſpectat ad præſcriptionem lege civili ad certum tempus adſtrictam, quod utique pupillis non currit. Ceſſat vero id omne in præſcriptione immemoriali, quam Principibus & Rebuspublicis applicari volumus. Deinde præſcriptionem inter Principes ideo ſuperfluam cenſent, quia Principes ea, quæ poſſident vel belli vel pactorum jure poſſident. Utramque poſſeſſionem per ſe eſſe firmam ſatis validamque, nec præſcriptionis adminiculo indigere. Reſp. Poſſum per pacta bona fide a non domino rem acquirere. Ibi ſolum pactum tutum me non præſtat, at præſtabit præſcriptio. Accedit, quod haud raro res juſto quæſita ſit titulo, qui tamen probari ſemper nequit, cui defectui iterum medetur præſcriptio.

§. CDXXCII.

Examinantur. Denique prout nonnulla non præciſe ſunt neceſſaria, ſed utilia ſaltem, quorſum facit id, quod dicitur, ſuperflua non nocere, ita ſæpiſſime animadvertimus, Principes populosque, qui plene ſatis jus, quo ſua poſſident, probare poſſent, ad declinanda probationum tædia & incommoda ad præſcriptionem provocare, eoque efficere, ut contrariæ probationis onus in adverſarium devolvant, ac tamdiu poſſeſſionem optimo jure retineant, donec alter poſſeſſionis vitium probaverit. Illuſtre hujus rei exemplum occurrit in ſacris literis Judic. XI. v. 13 - 27. ubi Jephtha contra Ammonitas poſſeſſionem ſeu præſcriptionem 300. annorum urget, quod quidem haud neceſſarium fuiſſet, quia in antecedentetibus jam oſtenderat,

quo

quo jure Israelitæ terras, quas repetebant Ammonitæ, possiderent, scil. belli jure, & quidem belli ob justam causam, utpote defensivi, contra aggressorem Regem in Sihon suscepti. Sufficere hæc ad justitiam possessionis poterant. Sed ne forte Ammonitæ operosam dictorum probationem efflagitent, satius ducit, omnes ambages uno ictu præcidendo provocare ad longam trecentorum annorum possessionem, quæ Israelitas adeo tutos præstabat, ut ne quidem metuenda esset contraria ab Ammonitis suscipienda probatio, quæ si aliquando suppetiisset, tanto tamen temporis tractu perire necessario debuisset.

§. CDXXCIII.

Nostro ævo sententiam, quæ præscriptionem juris naturalis esse negat, recoxerunt *Ludewig* de dispari nexu civitatum Imperii c. 6. th. 7. sqq. ubi præscriptionem immemorialem tanquam anile terriculamentum & cerebrinum Doctorum figmentum rejicit: & *Glafey* in seinem Vernunft und Völcker-R. p. 630. sqq. ubi tamen simul fatetur, liberas gentes in gravissimis etiam integra regna concernentibus controversiis ad præscriptionem provocare, quas proinde eo ipso tacite erroris postulat, quod sicut temerarium, ita nullum meretur assensum. Nihilominus suffragantur quoque huic opinioni *Sam. de Cocceji* in Grotio illustrato Tom. I. Lib. 2. c. 3. p. 510. & *Heineccius* in Elem J. N. & G. §. 323. *Et recentiorum.*

§. CDXXCIV.

Joach. Georg. Daries in Inst. Jurisprud. universal. §. 493. p. 259. quique eum sequitur *Jo. Ernest Gunner* peculiari dissertatione, qua demonstrare vult, præscriptionem non esse juris naturalis hoc utitur argumento: Præscriptio debet esse modus acquirendi jus in re, quæ in alterius est potestate beneficio possessionis diuturnæ. Atqui præscriptio nec est modus acquirendi originarius, nec derivativus. Ergo non est juris naturalis, quæ tamen concludendi ratio valde est erronea. Si ita argumentaretur: Omnis acquirendi modus est vel originarius vel derivativus. Præscriptio nec est modus acquirendi originarius nec derivativus. Ergo non est modus acquirendi. Tunc totum concederem argumentum. Si *nonnullorum.*

autem argumentari pergit: Præscriptio non est modus acquirendi. Ergo non est juris naturalis. Tunc nego consequentiam. Falsum omnino est præsuppositum, quasi præscriptio sit modus acquirendi dominium. Præsupponit quidem præscriptio modum acquirendi e. c. emtionem, donationem a non domino factam, occupationem rei pro derelicto habitæ: sed non est ipse modus acquirendi, ac saltem vitium quod modo acquirendi inerat tollit ac purgat. Interim quoniam præscriptio præsupponit modum acquirendi dominium, nec sine eo concipi potest, factum est ut JCti inter modos dominii acquirendi quoque de præscriptione agerent, & *Modestinus* plane eam definiverit in L. 3. Dig. de usurpationibus per adjectionem dominii, quod tamen non adeo crude accipiendum esse, monui Tit. 3. §. 473. multoque minus inde inferendum, quod præscriptio non sit juris naturalis.

Forma præscriptionis consistit in purgatione vitii, quod possessioni adhæret. Unde intelligitur, supponere præscriptionem quidem modum acquirendi, sed vitiosum, & ideo plerumque derivativum: nam in modo acquirendi originario possessio raro est vitiosa. Eo ipso autem, dum vitiosus est modus acquirendi, per illum dominium haud acquiritur. Ex quo vero temporis vetustas vitium possessionis sustulit, demum adjicitur possessioni dominium, atque hoc intuitu præscriptio eleganter dicitur dominii adjectio, utut accurate loquendo differant, ut causa ab effectu.

§. CDXXCV.

An derelictione præsumta nititur præscriptio?

Veniendum nunc est ad eos, qui quidem inter Principes præscriptionis usum vigere largiuntur, at diversa a nostro ejusdem fundamenta ponunt. *Grotius* illud quærit in derelictione præsumta, & eam secuta occupatione. Atque fatendum omnino est, inter omnia præscriptionis illustris fundamenta hactenus ab ullo allata hoc palmam facile præripere reliquis. Nec quicquam eidem officit, quod vulgo solet objici, si de derelictione constet, frustra ad præscriptionem provocari, frustra temporis lapsum requiri, cum sola derelictio jus sufficiens rem derelictam occupandi cuivis tribuat. Non enim loquitur Grotius de casu, ubi de derelictione per signa vel expressa vel tacita constat. Tunc enim præscriptione nil opus esse, ipse

ipse Grotius probe novit, ideoque præscriptionis fundamentum notanter ponit non in derelictione tacita, sed in *præsumta*, quæ nullo facto fuit declarata, sed demum ex temporis lapsu præsumitur.

§. CDXXCVI.

Ais, nullo unquam tempore præsumi derelictionem, cum nemo suum jactare credatur. Respondit jamdum *Grotius* L. 2. c. 4. §. 8. ad hanc objectionem, sed frigide aliquantum & jejune. Juvanda itaque responsio dicendo, *temere* neminem suum derelinquere præsumi, at præsumtionem talem omnino admittendam esse, si eandem efflagitant indicia prægnantia, qualia ex alterius possessione eliciuntur. Cum enim quilibet esse bonus, ac nemo injuste possidere præsumatur, satius longe est, derelinquendi animum in domino, quam injustam possessionem in possessore præsumere. At licet hæc præsumtio ex sola possessione sine accedente temporis lapsu elici queat, recte tamen agit Grotius, dum simplici huic derelictionis præsumtioni, quæ contraria probatione elidi posset, præscriptionem non superstruit, sed præsumtionem requirit qualificatam, temporis tractu roboratam hoc fine, ut elidi contraria probatione nequeat. *Sententia Grotii*

§. CDXXCVII.

Hactenus amice cum Grotio conspiramus. Si quid tamen in eo hoc in passu desiderare liceat, & causam, quare paulo aliter præscriptionis fundamenta jecerimus indicare, *primo* in eo minus accuratus nobis videtur Grotius, dum præscriptionis fundamentum ponit in derelictione præsumta & NB. *eam secuta* occupatione. Nam in præscriptione occupatio derelictionem non sequitur sed præcedit, adeo ut ex occupatione demum eliciatur derelictionis præsumtio. Porro Grotianum fundamentum tempus, intra quod præscriptio absolvitur, non satis determinat, adeoque saltem ideam præbet præscriptionis inchoatæ, quæque contraria probatione potest elidi, & a nuda possessione parum differt, non autem perfectæ & completæ, quæque præscribentem perpetuo tutum præstat, in *examinatur.*

quo primarius præscriptionis finis est situs. Denique minus adæquatum & angustum nimis nobis videtur positum a Grotio præscriptioni fundamentum. Expediti siquidem juris est, præsumtiones quoties facto contrario eliduntur, omnem vim amittere. Quodsi itaque dominus expresse animum retinendi declaret, adeoque derelictionis præsumtionem elidat, ex Grotii certe doctrina sequeretur, contra eum præscribi non posse. Contrarium tamen jure naturali verius videtur. Fac enim dominum interpellare possessorem rei litigiosæ. Hic licet neget, rem ad interpellantem pertinere, paratus tamen est ad audienda & examinanda fundamenta, quibus dominium suum tueri, & possessionis vitia demonstrare meditatur. Diem sibi dicunt, qui antequam illucescit, moriuntur testes, pereunt documenta, in probatione deficit dominus, quis quæso tali casu dubitabit, firmatum esse temporis tractu quantumvis brevi jus possessoris, & completam esse juxta juris naturalis placita præscriptionem. Interim cum id, quod ut plurimum accidit, Grotius respexisse videatur, ut plurimum autem in præscriptione derelictio præsumta cernatur, tolerari eatenus Grotiana doctrina poterit, quæ etiam ratio nos impulit, ut L. 1. T. 7. §. 69. cum modos dominium acquirendi recenseremus, præscriptionem ad cessionem præsumtam retulerimus.

§. CDXXCVIII.

An domini negligentia?

Negligentia domini, quam nonnulli fundamenti loco præscriptioni substernunt, id quidem operari quandoque potest, ut dominus postea, etiamsi voluerit, jus suum deducere nequeat, adeoque præscriptionem juvare potest. Sola autem in se spectata, & quatenus cum derelictione non est conjuncta, aut quamdiu vitii, quo alterius possessio laborat, memoria non interiit, præscriptionem absolvere nequit. Liberæ enim facultatis res est, num & quomodo res suas curare velit dominus, nec alii cuipiam in statu naturali jus est, certum diligentiæ modum domino præscribere aut negligentiæ admissæ pœnam poscere, nedum in pœnam negligentiæ cum derelictione non conjunctæ res domino auferre. Accedit quod protestationis ac repetitionis omissio non semper negligentiam involvat, cum tacere sæpius majoris prudentiæ sit, quam intempestive loqui. Denique existere posse casum, quo

etiam

etiam contra dominum contradicentem, omnemque sua recuperandi diligentiam adhibentem præscriptio locum habere possit, §. præc. fuit ostensum.

§. CDXXCIX.

In solo temporis lapsu qui præscriptionis fundamentum quærunt, refelluntur Grotiano illo, quod tempus ex suapte natura vim nullam effectricem habeat, quodque nihil fiat a tempore, quanquam nihil non fit in tempore. Solum autem possessionis favorem qui interserunt, facile animadvertere possent, eum tantum non esse, ut justa contraria probatione elidi nequeat. Quare tum demum, ubi cum hujus probationis amissione, quæ in tempore contingit, favor hic conjungitur, justum præbebit præscriptionis fundamentum. *An solo temporis lapsu?*

§. CDXC.

Supersunt ii, qui pro fundanda præscriptione ad naturalem æquitatem qrovocant, ut scil. rerum dominia sint certa, litigiisque ansa præscindatur, in quibus tamen desidero, quod hoc ipsorum fundamentum remotum nimis sit ac generale, neque tamen eorum, qui illud allegant, intentioni semper respondeat. Hic enim finis, ut rerum dominia sint certa, tantum abest, ut præscribentem in injusta possessione confirmet, ut potius eum jubeat illam cedere domino, simulac melius ad eam sibi jus esse deducit. Qualis enim quæso foret æquitas, quæ dominum ad liquidum suum jus abdicandum obligaret, quæque magis faveret possessori, qui de lucro captando, quam domino, qui de damno vitando est sollicitus. Quare tum demum prætensa hæc æquitas vim suam exeret, si dominus præsumtionem, quæ pro possessore militat, contraria probatione temporis lapsu amissa elidere nequit, & tunc remote ex naturali æquitate arcendum non est, quod proxime ex possessionis favore & deficiente contraria probatione deduci commode potest. *An æquitate naturali?*

§. CDXCI.

Utilitatem solam fundamenti loco præscriptioni inter Principes Imperii obtinenti substernere videtur *Titius* Specim. Jur. publ. L. 4. c. 9. *An utilitate?*

 §. 25.

§. 25. Aliam enim, quam quæ legibus positivis formata sit, præscriptionem non agnoscit, ne tamen Principes medio acquirendi ipsis valde proficuo priventur, eam quoque inter Principes esse admittendam retur. Frustra autem in solis passibus utilibus ad humanas leges provocare Principes, quas in causis sibi odiosis respuunt, monui de Jur. Pers. illustr. L. 1. T. 4. §. 26.

TITULUS IV.

DE

Requisitis præscriptionis illustris.

* * *

Præscribi possunt res omnes, quæ in commercium venire, adeoque etiam Principis res, ipsaque Majestas & Regalia. Bonam fidem justumque titulum in præscribente ex possessione sola jus naturæ præsumit, civiles tamen leges ante temporis certi decursum tituli probationem præscribenti imponunt.

§. CDXCII.

Requirit præscriptio possessionem. Efflagitavit utilitas, quam præscriptio inter illustres quotidie præbet, ut curatius ejusdem fundamenta in superioribus ponerentur. Quibus jam præstructis ad requisita ejusdem calamum proferimus. Agmen inter illa ducit possessio, utpote sine qua præscriptio nulla ne mente quidem conci-

concipi poteſt. Non autem præciſe requiritur poſſeſſio præſentanea. Nam & is, qui poſſidere deſiit, præſcribere valet, ſi nimirum jure naturali poſſeſſioni, quam olim habuit, vitium nullum amplius poteſt objici, præſentis autem poſſeſſoris jus vitioſum eſſe demonſtratur: civili autem jure, ſi tempus dominio repetendo lege præfinitum eſt elapſum, & præſcribens contra præſentem poſſeſſorem antiquiori poſſeſſione ſe tueri poteſt.

§. CDXCIII.

Cur autem naturaliter ad præſcriptionem *vitioſa* requiratur poſſeſſio, dixi Tit. præc. §. 474. Vitioſam vero poſſeſſionem dico a modo habendi, quando nimirum a non domino vel titulo ad transferendum dominium inhabili, vel denique dolo, vi aut errore fuit acquiſita, non autem ab objecto ſeu re præſcribenda. Hanc enim non vitioſam eſſe debere, commune eſt juris axioma. Probe tamen attendendum, an res præſcribenda ſit vitioſa ſenſu juris naturalis, an civilis. Naturali jure omnes res, quæ in commercio ſunt, & de quibus paciſci licet, etiam poſſunt præſcribi, quæ in commercio non ſunt, non item. Hinc imperium in conſcientias & religionem ipſam præſcribi prorſus nequit, Vid. Tit. 1. §. 444. utut externa religionis ordinatio & toleratio, æque ac ipſa Majeſtas, cujus pars eſt, præſcribi poſſit; Leges civiles ulterius progrediuntur, & non modo res commercio humano exemtas a præſcriptione immunes præcipiunt, ſed & nonnullarum alias in commercio exiſtentium præſcriptionem vel plane vetant, vel arctius quam reliquarum circumſcribunt. *Vitioſam*

§. CDXCIV.

Sic plane non nec ullo unquam tempore uſucapio procedit in rebus *Objectum* ſacris & religioſis, §. 1. Inſt. de Uſucap. quod hodie varias patitur limi- *præſcri-* tationes. Conf. L. 1. T. 4. §. 28. 41. At longiore quam ordinario tem- *ptionis.* pore demum præſcribuntur res, quarum titulus edi nequit, L. 8. §. 1. C. de præſcript. 30. vel 40. annor. it. furtivæ ibid. fiſci §. 4. Inſt. de Uſucap. L. 4. C. de præſcript. 30. vel 40. annor. Principis L. ult. C. de fund. patrim. Auguſtæ, quippe quæ jure fiſci gaudet. Eccleſiarum & piarum

causarum cap. 14. X. de præscript. Sed hæc omnia mere sunt civilia, & licet inter Germaniæ Principes obtineant, quia hi in causis suis privatis jus Romanum & Canonicum receperunt, neutiquam tamen ad alios Principes, qui civilia jura non agnoscunt, sunt applicanda. Horum præscriptiones ex mero jure naturali sunt metiendæ, quod omnes indistincte res, quæ saltem acquiri possunt, etiam præscribi sinit, adeo ut hoc sensu & ad effectum prohibitæ præscriptionis nullæ plane res naturali jure sint vitiosæ. Sacras & religiosas res jus civile ideo a præscriptione eximit, quod easdem in commercio esse negat. At cum naturali jure ac inter liberos Principes omnino in commercio sint, valide alienentur, easdem & præscribi inter eos posse concludo. Tempus, quod rebus, quas meminimus, præscribendis est præstitutum, a sola lege civili est definitum, & proinde itidem ad liberos Principes non pertinet.

§. CDXCV.

An præscribantur res incorporales?

De cetero distinguendum non est, quantum ad præscriptionem inter res corporales & incorporales. Utræque enim & naturali & civili jure sicut acquiri possunt, ita & præscriptioni sunt obnoxiæ. Licet enim ad præscriptionem requiratur possessio, rerum autem incorporalium proprie loquendo possessio non detur, datur tamen earum quasi possessio, quæ pariter ad ipsarum præscriptionem sufficit. Unde quotidie jura, actiones, delicta, servitutes præscribi videmus.

§. CDXCVI.

Meræ facultatis?

Excipi hinc solent res meræ facultatis, in quibus præscriptionem locum habere negatur *, quod ita accipiendum & limitandum est, ut dicamus per solum non usum & omissum per immemoriale etiam tempus exercitium actionum & negotiorum, quæ a mero cujusvis arbitrio, liberaque voluntate pendent, non amitti facultatem & libertatem pro arbitrio & quandocunque placuerit eadem in actum deducendi, sed ut talis libertas præscribatur, sicut in alia quavis præscriptione, ita & hic requiri, ut qui eam præscribere cupit, ejusdem possessionem fuerit nactus, acquiritur autem illa in rebus meri arbitrii sola præscribentis prohibitione & alterius acqui-

acquiescentia, quæ simulac adest, harum quoque rerum currere incipit præscriptio. E. c. etiamsi Princeps per aliquot Secula non miserit legatos, aut non mutaverit Residentiam, tamen prohiberi, ne tale quid faciat, a nemine in posterum poterit sub præscriptionis prætextu. Sunt enim hae res liberi arbitrii, meræ voluntatis. Simul autem ac a quopiam hoc ipsi jus est negatum, & Princeps in denegatione & prohibitione hac acquiescit, prohibens constituitur in possessione libertatis, qua is contra quem præscribitur antea pollebat, quare tunc currere incipit præscriptio, quæ tamen enervari potest, si tempestive Princeps probaverit, acquiescentiam suam ex errore, metu &c. provenisse, ac vitiosam proinde esse alterius possessionem. Quodsi autem tantum effluxerit tempus, ut media, quibus hæc probatio peragi potuisset deficiant, perfecta & adimpleta dici potest ejusmodi rerum meræ facultatis præscriptio.

* Contrarium ingeniose tuetur *Busius* in Comment. ad Dig. L. 2. de Via publ. Male, scribit, Doctores ex hoc textu concludunt, non præscribi posse res meræ facultatis. Quæ enim illæ? an non eæ, quibus uti & abuti pro arbitrio nostro licet? Tales vero & actiones & jura pleraque sunt, quæ tamen & præscribuntur. Hæc Busius. Haud tamen obscurum erit discrimen inter res meræ facultatis & illas, quæ meræ facultatis non sunt, si dicamus illas esse jura ex libertate naturali fluentia citra præviam aliam acquisitionem, has autem, quæ prævia indigent acquisitione, nec ex sola naturali libertate fluunt. In libertatis possessione quilibet esse præsumitur. Unde res meræ facultatis aliter non præscribuntur, quam prævia alterius prohibitione & secuta in eadem acquiescentia. Quam misere se torqueant Doctores in definiendis rebus meræ facultatis vid. ap. *Gribner.* de jure suffragandi Principum Imp. usu intermisso non pereunte Viteb. 1716. § 20. *Gottlieb Sturm* de præscriptione reluitionis pignorum p. 12. res meræ facultatis describit per jura libere disponendi de persona & rebus suis. *Grotius* L. 2. c. 4. §. ult. per res, quæ non habent quotidianum exercitium, sed semel ubi commodum erit. Tunc & jus repetendi mutuum, commodatum foret res meræ facultatis. *Huberus* in Prælect. ad Dig.

L. 20. Tit. ult. circa fin. per jura quæ non actu quæsita, sed semper in potentia sunt, ut constituantur & acquirantur. At dantur res meræ facultatis e. c. jus braxandi, quæ actu exercentur nec in potentia amplius consistunt.

§. CDXCVII.

Res Principis? Sed an ipsæ etiam Principis res præscriptioni sint obnoxiæ hic potissimum venit in controversiam. Et quidem ab extraneis easdem recte præscribi, fatentur plerique. Subditis autem hanc denegant nonnulli licentiam. Sic *Stryck* ad Lauterb. Tit. de jure fisci in fin. ne quidem privatum Principis patrimonium præscriptioni subditorum obnoxium putat, quia subditi jurant, se utilitatem Principis promoturos & omne damnum aversuros. Verum enim vero allata ipsius ratio id saltem evincit, subditos in mala fide constitutos, præscribere non valere, quod ambabus manibus largimur. Res autem bona fide a subditis possessæ quare præscribi ab iis nequeant, idonea nulla apparet ratio.

§. CDXCVIII.

Majestas? Major superesse videtur difficultas circa ipsam Majestatem, ejusque jura, ac pertinentias e. c. bona domanialia, Regalia majora &c. an scil. hæc legitimum præscriptionis illustris objectum constituant, seu an præscribi tam ab extraneis quam subditis possint? Tractari hæc controversia a Juris publici & gentium scriptoribus solet, sed & hujus loci est, cum ad privatum Principum jus pacta ante Majestatem acquisitam inita adeoque & modi Majestatem acquirendi spectent, ac ipsa Majestas in privato Regum patrimonio existat. Vid. L. 1. T. 4. §. 38. sqq. Ad ipsam controversiam quod attinet, post *Baldum* aliosque multos negativam tuetur *Bodinus* de Republ. L. 1. c. 10. p. 234. & L. 6. c. 2. p. 1000. nec non *Jo. Frid. Horn.* de Civitate L. 2. c. 9. § 19. 20. Verior tamen est affirmativa, cum enim quotidiana experientia doceat, integra regna, adeoque ipsam etiam Majestatem esse in commercio, per pacta transferri, permutari, in feudum concedi, manifestum est, eadem & acquiri & in patrimonio esse posse. Si autem acquiri possunt, poterunt certe & præscribi. Involvit enim præscriptio legitimum acquirendi modum. Illustratur hoc

tum

tum exemplo Iſraelitarum Tit. 3. § 482. adducto, tum plerorumque hodiernorum Regnorum, quæ difficulter alium, quam præſcriptionis titulum, idonee probare poterunt.

§. CDXCIX.

Diſſentientium argumenta quantam ſpeciem primo intuitu præ ſe ferre videantur, tanta non ſunt, ut ad aſſenſum nos movere valeant. Illa quidem Bodini ad tria capita commode revocantur. Primum eſt, quod bona publica & domanialia a Principe alienari nequeant. Quodſi alienari nequeunt, nec præſcribi poterunt. At deſideratur in hoc argumento nexus. Non enim ſequitur, Princeps ſolus alienare nequit, ergo nec tota Reſpublica. Cum autem Reſpublica tota bona publica & domanialia alienare poſſit, ſequitur, hæc quoque contra eandem præſcribi poſſe. *Obj. 1. ab alienatione prohibita.*

§. D.

Altero argumento ſubditos potiſſimum ferire intendit Bodinus, iisque facultatem Majeſtatica jura contra Principem præſcribendi negare. Ac ſi quidem, ait, ſummus Princeps ea cum ſubdito communicaverit, pro ſervo Imperii ſocium habiturus eſt, ipſe vero jus Majeſtatis amittet, nec ſummus Princeps erit, quia ſummus is dicitur, qui nec ſuperiorem, nec ejusdem Imperii ſocium habet. Hactenus Bodinus. Quæ tamen omnia noſtræ ſententiæ plane non officiunt. Quid enim obſtat, quo minus is, qui antea erat ſubditus, in Imperii ſocietatem admittatur? quidve impedit, quo minus dicamus, Principem Majeſtatem in tantum amittere, in quantum ſubditus eandem contra ipſum præſcribit. Poteſt ſane conſenſu expreſſe interpoſito Reipubl. forma mutari, quidni tacito juſteque præſumto? Quod vero dicitur, tunc Principem deſinere eſſe ſummum, ad logomachiam redit. Latet in ſummi notione æquivocatio, dum ſummus dici poteſt Princeps intuitu ſubditorum, etiamſi æqualem in Imperio, quod in regimine communi uſuvenit, vel plane ſuperiorem agnoſcat, quod in Principatibus, qui feudi lege tenentur, animadvertitur. *Obj. 2. ſubditi majeſtatis incapaces.*

§. DI.

Testimonia.

Denique Bodinus provocat ad testimonium Themistoclis & Catonis apud *Plutarchum*, quem tamen vereor, ut bona fide sit secutus. Ipsa apponamus Bodini verba. Quid, scribit, Athenienses? quid Romani? certe quidem utriusque civitatis Principes Themistocles inquam & Cato Major fundos Reipublicæ secularibus curriculis possessos a præscriptione privatorum vindicarunt, cum dicerent, *nec mortales contra Deum immortalem, nec privatos contra Rempubl præscribere posse.* Ubi ante omnia moneo, non quid a veteribus, sed quam bene dictum fuerit, esse respiciendum. Male omnino a Deo immortali ad Rempubl. infertur. A Deo quæ habemus, cuncta precarii titulo tenemus. At a Republ. perfecto & irrevocabili jure possumus acquirere. Ergo & contra eam præscribere. Ipsum interim Themistoclis & Catonis factum, quo publicos fundos a privatis, utut per aliquot Secula possessos, revocarunt, non simpliciter improbo. Potuit forte constare de vitio, quo ipsorum laborabat possessio e. c. quod fundos a solis Reipubl. administratoribus citra ipsius Reipublicæ consensum legitimum acceperint, atque tunc nec alienationem rite factam, nec præscriptionem naturali jure fuisse completam patet.

§. DII.

Exemplum Gallicum.

Simili ratione se res habet cum exemplo, quod ex Gallica historia petitum protinus subjicit Bodinus: Nec ita pridem, pergens, cum Nogareti posteris Curia adjudicasset vindicias prædiorum publicorum, quæ Nogaretus Felix a Philippo Bello præmiorum ac virtutis nomine dono acceperat, procurator fisci proposita civili rogatione ἀνάκρισιν fieri postulavit, quo judicio curia rem ad consilium detulit, tametsi prædia ducentos & sexaginta amplius annos bona fide possessa fuissent. Sane in potestate Philippi Belli Regis non erat publica prædia donare. Vitio igitur laborabat Nogareti possessio, quod quamdiu demonstrari poterat, aut temporis tractu non erat purgatum, præscriptio valide a Nogareti posteris interseri non poterat, sed recte optimoque jure prædia revocabantur. Corruunt itaque cuncta, quæ pro enervanda Majestatis bonorumque domanialium præscriptione Bodinus argumenta attulit.

§. DIII.

§. DIII.

Hornii objectiones diluuntur.

Neque meliori fundamento nituntur illa Hornii, quæ breviter itidem examinare operæ pretium erit. Nec a subditis nec ab extraneis Majestatem præscriptione posse acquiri contendit. De subditis, inquit, planum est negotium, iis nullam præscriptionem competere, nec hac imperium acquiri, tuto affirmabimus. Omnia desunt, quæ alias necessaria sunt in præscriptionibus. Sed non est, ut tantopere causæ suæ confidat Hornius. Facili negotio demonstrabimus omnia, quæ deesse ipsi videntur, requisita. Principio desiderat *subjectum* præscribens, subditum imperii esse incapacem, nec unam inhabitare personam Majestatem & obsequium. Respondeo, tunc subditus desinit esse subditus, & Majestatem acquirit, simili modo quo Vasallus dominium directum contra seniorem præscribit. Instat Hornius, cessare *objectum* præscribendum, Majestatem in commercio non esse, ergo nec præscribi posse. Quæ enim non sunt concessibilia, non sunt præscriptibilia. At falsum est, quod dicitur Majestatem non esse in commercio, imo falsum est, eandem non esse in commercio privatorum; Id facile concesserim, Majestatem non esse in commercio subditorum, qua talium. Quatenus enim Majestatem acquirunt, eatenus desinunt esse subditi. At in Principum commercio Majestatem esse, transferri, permutari, in feudum concedi, quotidiana docet experientia, & tale Regnorum ac Majestatis commercium inter Principes celebratur qua privatos, non quatenus sunt imperantes. Tales enim demum fiunt per Majestatis collationem. Ante eandem imo in ipso ejusdem actu, quæ ab iis suscipiuntur, tanquam a privatis, lege tamen civili solutis, peraguntur. Quo ipso & corruit id, quod Majestatis præscriptioni obstare dicit Hornius absentiam *formæ* seu possessionis, quia quod in commercio non est, haud possidetur a privato, cessante autem possessione cessare præscriptionem. At Majestas est in commercio, & ab eo qui antea fuit privatus vel subditus, possideri potest, qui tamen eandem possidendo desinit esse privatus vel subditus. Porro in casu nostro exulare Hornio videtur *bona fides*, subditos sortem suam non ignorare. Sed demus bonam fidem deesse forte iis, qui inchoant præscriptionem, sibique ab initio Majestatem injuste vindicant, poterit tamen illa supervenire in ipsorum posteris, qui præscriptionem inchoatam continuant & absolvunt. Pergit: *titulum* abesse. At

non tantum juſto titulo a non-domino Majeſtas potuit eſſe acquiſita, ſed & juſtus hic titulus jure naturæ in poſſeſſore præſumitur, nec ab eo demum probari debet. Vid. §. 518. Inſtat, *tempus* huic præſcriptioni nullum eſſe præfinitum. Reſpondeo, licet jus naturæ annos & dies non determinet, ſufficit, illud præfinire tempus immemoriale, ſeu tale, quod excludit memoriam ſeu probationem vitii, quo arrepta rei præſcriptæ posſeſſio laborabat. *Effectum* etiam abſurditatem prodere putat diſſentiens, uſucapionem id operari, ut præſcribens in rem præſcriptam verum & plenum dominium nanciſcatur, in imperia autem dominium non dari. Regero litem eſſe de verbis, dummodo concedatur præſcriptionem Majeſtatis ejusdem poſſeſſionem irrevocabilem tribuere, parum erimus ſolliciti, ſive illa dominium appelletur nec ne? Interim cum & jura & ſervitutes in dominio eſſe dicantur, idem de regnis & imperiis prædicari poterit. Denique *finem* præſcriptionis, ut dominia ſint certa hic attendi, negat Hornius. Ubi enim poſſeſſor Majeſtatis certus eſt, ipſum jus regnandi certum eſſe. Sed hoc ipſum falſiſſimum eſſe, quis non videt? Injuſtus regni invaſor poſſeſſionem Majeſtatis habet, ſed non jus regnandi.

§. DIV.

In ſequentibus, ubi memoratus ſæpe Hornius extraneum Majeſtatem præſcribere poſſe, itidem negat hoc potiſſimum argumento utitur, quod præſcriptio ad Majeſtatem acquirendam vel inſufficiens vel ſuperflua ſit. Sic enim ratiocinatur. Si is, qui præſcriptione ſe tueri cupit, bona fide juſtoque titulo deſtituitur, fruſtra allegat præſcriptionem. Hactenus bene. Quod vero ulterius addit, ſi juſtus titulus adeſt, præſcriptionis adminiculo non opus, ſed hanc ſuperfluam eſſe, non usquequaque procedit, ſed ita limitandum, ſi ab eo, qui Majeſtatem conferendi poteſtatem habuit, eandem conſecutus eſt. Quid enim ſi præſcribens a non-domino, uſurpatore, rebelli, bona fide Majeſtatem acceperit, tunc ſane tale poſſeſſioni inhærens vitium nulla alia ratione, quam temporis tractu ac præſcriptione, ſanari & obliterari poterit.

§. DV.

An præ-ſcriban- In tuto hæc omnia collocanda fuere, ut conſtaret penitius, quænam ſint illæ res, quarum poſſeſſione præſcriptio perficitur. In quibus enu-

enumerandis dum pergimus, offerunt se nobis nunc debita & obligationes, quibus quidem qua talibus nunquam præscribitur. Nam eo ipso dum debitor debitum agnoscit, extinctum illud dici nequit. At ex quo debitor debitum negat, vel ipsius heres illud ignorat, incipit esse in possessione libertatis seu immunitatis, atque ab eo demum tempore currit præscriptio. Fac Cajum debere Titio 1000. Moritur uterque. Ignorant heredes utrinque debitum. Post effluxum immemoriale tempus Titii heredes inveniunt Caji chirographum, ejusque solutionem a Caji heredibus postulant. Hi recte omnino præscriptione se tuentur, nihil contra eos relevat chirographum, sed potius debitum præsumitur extinctum, quia alias Titii heredes tam diu non siluissent. *tur debita?*

§. DVI.

Par esto judicium de pignoris præscriptione. Quamdiu pignoris qualitas agnoscitur, nulla locum invenit præscriptio. At ubi pignoris qualitas negatur, & possessor illud proprio jure possidere incipit, demum currit præscriptio. Conf. §. 493. *An pignus?*

§. DVII.

Etiam ad præstationes annuas ubi dicta applicamus, apparet, in quantum iis præscribatur. Qui præstationes promisit, eo ipso dum negare nequit debitum, nec præscribere eidem valet. At heredes si illas ignorant, & is cui illæ debentur tempore vel immemoriali, vel lege alias præfinito, eas non exigit, dubitandum non est, ab eo tempore, quo solvi annuæ præstationes cessarunt, adeo currere præscriptionem, ut eâdem completa, nec pro præterito nec in futurum amplius quicquam harum præstationum nomine postulari queat, sed totum debitum censeatur extinctum. *Annuæ præstationes?*

§. DVIII.

Contrarium, quodque tali casu saltem præstationibus præteritis præscribatur, futuris nihilominus salvis, exsculpere post *Martinum de Fano* volunt *Berlichius*, *Gailius*, *Grœnewegen*, *Mynsinger*, *Klockius*, *Treutlerus*, *An saltem pro præterito?*

Carp

Carpzovius &c. ex L. 7. §. 6. C. de præscr. 30. vel 40. annor. ubi ita verba fluunt: In his etiam promissionibus vel legatis, vel obligationibus, quæ dationem per singulos annos continent, tempora memoratarum præscriptionum non ab exordio talis obligationis, sed ab initio cujusque anni computari, manifestum est: nulla scilicet danda licentia vel ei, qui jure emphyteutico rem aliquam per quadraginta vel quoscunque alios annos detinuerit, dicendi ex transacto tempore dominium sibi in iisdem rebus quæsitum esse &c. Imo in ipsa Camera Imperiali pro pensionibus annuis saltem pro præterito, minime autem in futurum præscriptis pronuntiatum esse, vide apud *Klock.* Relat. Cam. 132.

§. DIX.

An etiam pro futuro?

At citata lex id saltem vult, tempus non esse computandum NB. *ab initio obligationis*, sed potius a cessatione solutionis. Deinde lex illa supponit casum, ubi qualitas emphyteuticaria est certa & indubitata, & saltem quæritur de præscriptione non ipsius rei emphyteuticariæ, sed præstationis annuæ, & tunc dubio caret, quod præstationes saltem pro præterito possint præscribi, & nihilominus debeantur in futurum, quia qualitas emphyteuticaria non negatur non magis ac conductoris vel procuratoris. At in casu quo negatur vel ignoratur, simpliciter quicquam deberi nomine annuarum præstationum, præscriptio effectum suum pro præterito æque ac pro futuro exerit.

§. DX.

Sine facto negativo.

Nec opus præcise est, quod requirit post *Klockium*, *Colerum*, *Magerum*, *Bornius* de censu constitutivo c. 7. §. 12. ut intervenerit factum negativum h. e. ut dominus censum exegerit, censuarius vero contradixerit, & dominus in ea contradictione acquieverit, cum simpliciter sufficiat, nullam præstationem fuisse factam tanto tempore, quantum ad præscriptionem requiritur, quam sententiam post *Bulgarum*, Martini collegam, & in plerisque opinionibus controversis adversarium, propugnant *Bachovius*, *Brunneman*, *Lyncker* & *Bœhmer* pec. diss. de præscriptione annuor. redituum Hal. 1711.

§. DXI.

§. DXI.

Nonnulli ut *Azo*, *Accurſius* aliique diſtinguunt inter legata annua, & reditus annuos per contractum quæſitos, ita ut ibi multa ſint legata, hic una obligatio, in illis ſingulis annis nova præſcriptione opus, in his unica ſufficiat. Nobis utrinque par ratio ſubeſſe videtur. Nec diſtinguit ſupra citata Lex 7. C. de præſcript. ſed promiſſiones & legata diſerte conjungit. *An legata annua?*

§. DXII.

Decimis poſſe præſcribi ii negant, qui eaſdem juris divini eſſe perhibent. Cum *Seldenus* in edita Londini 1618. hiſtoria decimarum, eas juris divini eſſe negaret, adeo Clerum concitavit, ut hic Regium obtineret mandatum, quo Seldenus ſub carceris comminatione adverſariis reſpondere vetabatur, atque ad palinodiam d. 28. Jan. canendam cogebatur. Anno 1713. *Humphridus Prideaux* itidem Anglus dedit tractatum de origine & jure decimarum, ubi originem decimarum divinam quidem agnoſcit, licet lex, quæ adſit, ſolis Iſraelitis a Deo, non qua mundi domino, ſed qua ſummo Judæorum imperante, lata fuerit, interim hoc Dei exemplum etiam ſine lege eſſe obligatorium. *Decimæ?*

§. DXIII.

Jam ante legem Abraham Melchiſedeco Regi ac ſacerdoti decimam ſpoliorum dedit Geneſ. XIV. 20. Hebr. VII. 1. & Jacobus DEO ex voto Gen. XXVIII. 22. uterque libere citra legem. Levitis decimæ aſſignatæ Numer. XVIII. 24. ideo quod partem in diviſione terræ Canaan nullam tulerunt, cum tamen eſſent ex ſemine Jacobi, ac tribum peculiarem conſtituerent, quæ ratio in Novo Teſtamento ad ſacerdotes non quadrat, quippe qui ſuſtentari quidem jubentur, modus vero ac quantitas haud determinatur. *Vet. Teſt.*

§. DXIV.

Seculo VI. demum anno 583. in Concilio Matiſconenſi decimarum *Sec. VI.* neceſſitas impoſita & ſtatutum, ut mos antiquus a fidelibus reparetur, & *imperata.*

decimas ecclesiasticis famulantibus ceremoniis populus omnis inferat, quas sacerdotes aut in pauperum usum, aut in captivorum redemtionem prærogantes, suis orationibus pacem populo in salutem impetrent.

§. DV.

Ad Laicos perveniunt

Ad Laicos cum postmodum decimæ sæpius feudi aliove jure pervenirent, Alexander III. Papa in Concilio Lateranensi anno 1179. statuit, ne Laici decimas detinere possint, easque nulla valeant præscribere ratione cap. 7. X. de præscriptionib. cap. 17. & 19. X. de decimis; id quod tamen Bonifacius VIII. cap. I. de præscriptionib. in 6. restringit, nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cujus contrarii memoria non existat.

§. DXVI.

præscriptione

Inter Protestantes cum decimæ pro rebus ecclesiasticis habeantur 40. annis præscribuntur, confer dicenda §. 520. Laicus contra Laicum decimas tempore ordinario decem vel viginti annorum, aut si titulus deficit triginta annis præscribit. Iis, qui decimas ideo præscribi negant, quoniam ad annuas præstationes pertinent, quarum ea sit natura, ut quotannis recurrant, singulisque annis actionem pariant, ac proinde præscriptionem excludant, satisfieri poterit ex iis, quæ de annuis præstationibus attulimus §. 507. sqq.

§. DXVII.

Bona fides an in præscriptione necessaria?

Ad reliqua nunc præscriptionis requisita est progrediendum, speciatimque ad bonam fidem præscribentis, seu opinionem firmam, qua rem a se possessam suam credit, quæ quidem in eodem præsumitur, nec probari præcise debet. Simul autem ac verus dominus malam possessoris vel antecessorum ipsius fidem probat, eo ipso impeditur ac eliditur præscriptio, adest memoria vitii & initii, quæ ipsam immemorialem præscriptionem excludit. Ad minuendas tamen lites jus civile Romanum ab initio usucapionis saltem bonam fidem requirit, nec supervenientem malam fidem eidem nocere jubet §. 7. Inst. de Usucap. L. un. C. de usucap. transformand. quasi de sola bona fide agatur ejus, qui primitus rem traditam

acce-

accepit. Quæ tamen dispositio, num in Germania * attendenda sit, dubitari posset propter contrariam juris Canonici, prius apud Germanos recepti, dispositionem in cap. 20. X. de præscriptionib. quæ in omni tam canonica quam civili præscriptione nulla temporis parte rei alienæ conscientiam habere sinit. Equidem praxis hanc juris Canonici dispositionem, tanquam exorbitantem, atque a jure civili recedentem, ad solam rerum corporalium præscriptionem restringit, in præscriptione autem rerum incorporalium & actionum personalium bonam fidem non exigit, invita forte dicti capituli mente, quod hanc addit rationem, quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, quæ sane generalis est, & ad incorporales æque ac corporales res quadrat. Ceterum bonam fidem saltem requiri in præscriptione acquisitiva, non item in extinctiva, ubi de immunitate ab oneribus est quæstio, etiam secundum jus Canonicum deducit *Stryck.* de non-usu juris quæsiti c. 3. n. 64. quasi mala fides supponat possessionem rei alienæ. Addatur tamen *Bœhmer.* de præscriptione circa decimas §. 35. & cap. 4. X. de præscript.

* Prisco Germanorum jure bonam fidem in præscriptione plane non fuisse requisitam, observant *Thomas.* ad Inst. p. 160. *Riccius* de præscript. Germ. c. 3. & 4. *Senckenberg* Elem. jur. feud. §. 260. & de reluitione oppignorati territorii p. 33. Quod non ita accipiendum, ac si mala fides prodesse debuerit suo autori, quippe contra quem utique dabatur actio ad interesse: sed quod in rem tunc non agebatur, nec res mala fide surrepta contra tertium poterat vindicari. Vid. §. 195. quod post recepta jura peregrina omnino licet.

§. DXVIII.

Circa titulum justum i. e. causam ad dominium transferendum habilem differentia se prodit inter naturale ac civile jus. Utrumque quidem justum titulum ad præscriptionem requirit, ita tamen ut naturale eundem in possessore præsumat, civile autem ejus probationem a possessore exigat * pr. Inst. de Usucap. Ratio differentiæ in eo est sita, quod civile jus in dubio pristini domini, at naturale præsentis possessoris jus potius *An titulus justus?*

reputat. vid. Tit. 3. §. 478. sq. Interim ne difficili hac tituli probatione possessor, qui præscriptione se tuetur, in perpetuum molestetur, praxis, quam L. 8. §. 1. C. de præscript. 30. vel 40. annorum suffultam vulgo perhibent, præfigit 30. annorum terminum eoque etiam res sine titulo possessas præscribi sinit.

* In qua peragenda non sufficit, demonstrasse rem hereditario jure ad nos pervenisse. Titulus enim pro herede pro justo haud habetur, qnia meram saltem juris, quod antecessor habuit, continuationem continet. L. 4. C. de usucap. pro hered. Simili tamen ratione dici posset, reliquos etiam titulos e. c. emtionis donationis in effectu nihil aliud involvere, quam continuationem juris, quod pristinus dominus habuit. Certe naturali jure titulus pro herede omnino sufficere videtur, quod & innuit Ludovicus Gonzaga Nivernensium Dux apud *Thuan.* Hist. L. 59. ad an 1574. his verbis: Nec vero Principes, si rogentur quo titulo tot provincias possideant, aliud quod respondeant habent, quam eas ita a parentibus accepisse. Philippus reposcentibus Neapolis & Siciliæ Regna, Mediolanensem Principatum, Regnum Navarræ, Placentinam arcem, Cameracum Brabantiæ Principatum non aliud respondere solitus, quam ea ita a patre accepisse. Eodem titulo Veneti multas Austriacæ domus ditiones, Mantuanorum Principum Ferrariensium & Carrariorum olim, Brixiam denique Episcopis ademtam retinent. Nec si rogetur Etruriæ Dux, ut Senensium Reip. libertatem antiquam restituat, si Pontifex cur Bononiæ & Anconæ statum antiquum immntaverit, aliud responsuri. Et si lex sit, ut Principes, quæ a majoribus usurpata possident, restituere teneantur, ad summas angustias plerique, qui nunc late regnant, redigentur &c.

§. DXIX.

Temporis lapsus? Denique & temporis lapsus præscriptioni est necessarius, quod quidem naturale jus ad annos aut dies certos non adstringit, sed immemoriale saltem efflagitat h. e. tale quod memoriam vitii, quo præscribentis posses-

possessio laborabat, ita obliteravit, ut probari illud sufficienter amplius nequeat, id quod nunc breviore nunc longiore tempore pro singulorum casuum diversitate fieri potest. Sic in casu Tit. 3. §. 487. proposito ejusmodi præscriptionem immemorialem paucissimis diebus compleri posse patet. Econtra dari posset casus, ubi nec aliquot sufficerent Secula e. g. si verus rei dominus ex documentis indubitatis (quæ adversarius in aliis passibus ipsa jam genuina agnovit) vitium, quo diutina hæc præscribentis ipsiusque antecessorum possessio laborat, clare ostendere potest. Hoc illud est, quod dicitur, tempus memoriam excedens esse quasi infinitum moraliter. Et bene post alios JCtos notat *Grotius* L. 2. c. 4. §. 7. non idem esse tempus memoriam excedens cum centenario, quanquam sæpe hæc non longe abeant.

§. DXX.

Civilia jura huic incertitudini per certam temporum determinationem occurrunt, quæ quidem pro objectorum diversitate diversa animadvertitur. *

* Jure Saxonico res mobiles, utut in universitate consideratæ, ut Gerada, Hergewetta anno & die h. e. uno anno, sex septimanis & tribus diebus, immobiles 31. annis, 6. septimanis & tribus diebus præscribi discimus ex Land-R. L. 1. art. 28. 29. L. 2. art. 44. Jure civili Romano præscribuntur.

2. annis jus revocandi agrum, quem alter tanquam derelictum occupavit. L. 8. C. de omni agro deserto

3. annis res mobiles. pr. Inst. de Usucap.

4. annis res fisco denuntiatæ. L. 1. C. de quadriennii præscript. Quatuor etiam annis liberatur fiscus a præstanda æstimatione rerum bona fide a se alienatarum. L. 2. C. eod.

10. annis res immobiles inter præsentes,

20. annis inter absentes. L. un. C. de usuc. transform. Præsentes autem dicuntur, qui in eadem habitant provincia, licet non in eadem civitate. L. ult. C. de præscript. long. temp. Quando quis partim præsens partim absens fuit, dimidium tantum illius temporis quo absens fuit com-

computatur, annisque præsentiæ additur, atque tum attenditur, utrum eo modo decennium sit completum.

30. annis res sine titulo possessæ, vid. §. præc. it. a malæ fidei possessore acceptæ, Nov. 119. c. 7. Auth. malæ fidei C. de præscript. long. temp. it. res minorum, L. ult. C. in quib. caus. restit. in integr. necess. non est, L. 3. C. de præscript. 30. vel 40. annor. it. bona adventitia filiorfam. a patre alienata, ubi computatio incipienda a tempore, quo sui juris facti L. 1. & Auth. Nisi tricennale C. de bon. matern.

40. annis res patrimoniales Principis. L. ult. C. de fundis patrimonialib. it. fiscales L. 4. C. de præscriptione 30. vel 40. annor. it. res Ecclesiæ immobiles & incorporales (mobiles Ecclesiæ res perinde ut aliæ præscribuntur triennio) Nov. 131. c. 6. Auth. Quas actiones C. de SS. Eccles. c. 6. X. de præscript. quod communiter & ad res civitatum extenditur arg. L. 23. C. de SS. Eccles. (Jure Sax. Elect. civitatibus 30. annis præscribi certum.) Quia autem Ecclesiis & civitatibus intra quadriennium datur restitutio in integrum, ipsarum res in effectu nonnisi 44. annis præscribuntur, imo adhuc subtrahenda sunt tempora sedis vacantis c. 4. & 15. X. de præscript. & regiminis ipsius Prælati, qui rem Ecclesiæ alienavit c. 3. X. ne sede vacante. Ex juris Canonici placitis demum

100. annis præscribuntur res Ecclesiæ Romanæ c. 14. X. de præscript. Jus Patronatus 50. annis vi Conc. Trid. c. 9. Sess. 25.

Immemoriali tempore præscribuntur bona domanialia & Regalia it. immunitas ab oneribus publicis quod clare satis patet ex Rec. Imp. 1548. §. 56. verbis: Uber Menschen Gedencken. add. §. 64. ibid. ut in contrarium nil faciat L. 6. C. de præsc. 30. vel 40. an.

Actio-

Actiones Criminales 20. annis præscribuntur. L. 12. C. ad L. Corn. de falsis.

Exc. quod 1. anno præscribatur L. Jul. repetund. contra heredes L. 2. ad L. Jul. Repetund.

5. annis actio de peculatu L. 7. ad L. Jul. peculat. it. delicta carnis L. 29. §. 6. Dig. ad L. Jul. de adult. Sin violentia aut incestus accedit 20. anni requiruntur.

Actiones Civiles si reales sunt ordinarios usucapionis terminos servant, si personales 30. annis præscribuntur. L. 3. C. de præscript. 30. vel 40. annor. L. 35. pr. de Obl. & Act.

Exc. quod 6. mensibus præscribantur redhibitoria & æstimatoria. L. 19. §. 6. de Ædilit. Edict.

1. anno rescissoria. L. 35. in fin. Dig. de Obl. & Act. §. 5. Inst. de Act. it. pœnales ad interesse privatum tendentes. L. 1. Dig. de divers. temp. præscript.

2. annis actio doli. L. fin. C. de dolo malo.

4. annis restitutio in integr. L. fin. C. de temporib. in integr. restitut. it. actio rescissoria usucapionis. L. 35. Dig. de Obl. & Act.

5. annis querela inoff. testam. L. 34. fin. C. de inoff. testam. aut inofficiosæ donationis. L. fin. C. de inoff. donat.

40. annis actio hypothecaria, si debitor ejusve heredes possident (nam si tertius 30. sufficiunt) L. 7. C. de præscript. 30. vel 40. ann. it. actiones in judicium deductæ 40. annis ab ultimo actu judiciali computandis præscribuntur. L. ult. eod.

50. annis quod alea perditum repetitur. L. fin. Cod. de aleatorib.

Exceptiones semper opponuntur, nisi quod exceptio non numeratæ pecuniæ Chirographo opposita biennio, sin apochæ, 30. diebus extinguatur. Confer. dicenda de Pactis Princip. L. 2. T. 23. §. 816.

§. DXXI.

§. DXXI.

An civile præscriptionis tempus ad Principes pertinet?

Quemadmodum vero in genere ea est legum civilium indoles, ut ipsum legislatorem regulariter non obligent, ita nec præscriptio civiliscontra legislatorem allegari potest. Conf. *Grotius* L. 2. c. 4. §. 13. Quoad Germaniæ autem Principes dubitandum non est, quin memorata modo civilis præscriptio usum præbeat, quia nimirum jura civilia inter se receperunt. Conf. dicenda §. 529. Multo magis in casu, quo Princeps contra subditos præscribit, iisdem se tueri poterit. Sufficit enim subditis terminos hos esse positos, ut iisdem durantibus rebus suis invigilent, post eorum vero decursum rerum suarum amissionem propriæ negligentiæ ferant acceptam. Sed & id quod fiscales & patrimoniales Principis res 40. annis præscribuntur L. 4. C. de præscript. 30. vel 40. annor. & L. ult. C. de fundis patrimonialib. ipsis subditis contra Principem præscribentibus proderit, cum alias immemoriali demum tempore ejusmodi res acquirere valerent.

§. DXXII.

An ad uxores & Apanagiatos?

Ubi tamen observari velim, non quasvis patrimoniales Principis res 40. annis præscribi, sed eas saltem, quæ publico ipsius Imperio subsunt, quas forte antea a subditis possessas acquisivit, quorumque intuitu pro subdito habetur, neutiquam autem illas, quæ alibi in alio territorio possidet, harum enim intuitu jura libere ibidem recepta, hisque deficientibus sola naturalia circa præscriptionem erunt sequenda. Ceterum prærogativa, qua Principes intuitu rerum patrimonialium, & tempus earum præscribendarum pollent, merito & ad Principum regentium uxores extenditur, quia hæ jure fisci gaudent, neutiquam vero ad Apanagiatos, quippe quibus de tali prærogativa prospectum haud est, & contra quos proinde ordinario tempore præscribitur. Quoties Principes Imperii regentes inter se patrimonialia bona contra se invicem præscribere cupiunt, 40. annos necessarios non esse, sed ordinariam præscriptionem sufficere putarem, tum quia privilegiatus contra privilegiatum privilegio non gaudet, tum etiam quia hæc prærogativa saltem Principi præ subditis, non autem præ extraneis & æqualibus competit. Conf. Instrum. Pac. Westph. art. 4. §. 50.

§. DXXIII.

Sive autem tempus usucapioni a lege civili præfinitum ab eo, qui primus possessionem arripuit, sive ab ejus demum successore, eoque vel singulari vel universali, h. e. herede compleatur, nihil prorsus interest, dummodo ad verum dominum interea temporis possessio non redierit, vel saltem ab hoc fuerit postulata. Tunc enim præscriptio interrupta censetur, quod penitius intelligetur ex iis, quæ de præscriptionis interruptione dicenda restant.

§. DXXIV.

Interruptio præscriptionis naturali jure ignoratur.

Interruptio seu interpellatio præscriptionis præsupponit tempus certum præscriptioni præfinitum, quod cum a sola lege civili determinetur, facile patet, omnem hanc interpellationem ad sola civilia jura spectare, & naturali jure ac inter summos Principes esse incognitam, nisi improprie valde interruptionem aut interpellationem vocare velis actum, quo pristinus dominus deducit vitium, quo laborat præscribentis possessio. Tunc enim non tam interrupta ac interpellata, quam plane eversa ac elisa est præscriptio. Haud me fugit, multos satis in ea esse sententia, ac si inter summos etiam imperantes liberasque gentes per protestationes contrarias interrumpatur præscriptio. At enim vero ejusmodi protestatio aut simul est conjuncta cum probatione vitii, quo præscribentis possessio laborat, & tunc protestatione plane opus non est, cum per talem probationem omne præscribentis jus sit eversum, aut cum tali probatione conjuncta non est, & tunc nil quicquam operabitur. Ais: salvum tamen conservat jus domino, hanc probationem in posterum suscipiendi. Respondeo, hoc jus & sine protestatione naturali jure manet salvum, quippe quod terminum fatalem jus illud deducendi nullum præfigit, sed quovis tempore dominum, qui jus suum deducere, alteriusque elidere valet, admittere jubet.

§. DXXV.

Nec per insignium ac titulorum retentionem peragitur.

Eadem ratio me movet, ut parum magnifice sentiam de decantato illo interrumpendi præscriptionem inter gentes modo, qui fit per retentionem insignium & titulorum, in qua velut palladium quoddam prætensionum illustrium quærunt haud pauci. Nam quanquam regulariter titulo jus significatur, uti res nomine suo, attamen sine sufficiente alia probatione per solam

ſolam titulorum & inſignium retentionem contra poſſeſſorem nil efficitur, cum fortius longe jus tribuat poſſeſſio, quam titulorum uſus, quos haud raro Principes in ſolam priſtinæ poſſeſſionis, utut valide riteque abdicatæ, memoriam adhibent. Sicut ex adverſo nuda titulorum omiſſio inſigniumque neglectus citra præviam prohibitionem vero domino, qui alias jus ſuum rite deducere poteſt, fraudi eſſe non debet, cum meri arbitrii ſit, titulis ſuis uti nec ne? Pruſſiæ Rex pace Ultrajectina 1713. omne jus in Principatum Arauſionenſem Galliæ Regi ceſſit, retinet tamen inſignia & titulum, quod & facit gens Auſtriaca intuitu Landgraviatus Alſatiæ Gallis ceſſi. Magnæ Britanniæ Rex utut in titulis breviſſimus, Franciæ tamen Regem ſe ſcribit, de qua recuperanda ne cogitat quidem, nec Galli repugnant mutuis inter ſe initis pacis tabulis hunc titulum ab Anglis ſibi aſſeri. Imo Pontifex in Clementin. ult. de ſententia excommunicationis cap. 4. in fine ait: ſi quem ſub titulo cujuslibet dignitatis ex certa etiam ſcientia, verbo, conſtitutione, vel literis Pontifex nominet, honoret, ſeu quovis alio modo tractet, per hoc in dignitate illa ipſum approbare non intelligitur.

§. DXXVI.

Sed per poſſeſſionis uſurpationem

Omnis igitur præſcriptionis interruptio ad ſtatum civilem eſt referenda. Fit illa per ſuſceptam intra tempus præſcriptioni præfinitum poſſeſſionis uſurpationem. Uſurpatur autem poſſeſſio vel naturaliter, quod in rebus corporalibus fit occupando, in incorporalibus prohibendo e. c. per pignorationem, vel civiliter litem denunciando poſſeſſori, quod fieri debet judicialiter per citationem, (utut forte ad libellum ineptum modo a competente judice factam,) qua emanata etiamſi lis poſtea omittatur, perpetuatur tamen actio ad 40. annos. Sin actor ſuccumbit, præſcriptio pro interrupta non habetur, nec ullus erit interpellationis effectus. Conf. Tit. Cod. de præſcript. 30. vel 40. annor. Extrajudicialis interpellatio ſaltem admittitur ſi vel conjuncta cum liquida juris deductione L. 17. C. de Rei Vind. vel adverſario abſente ad ædes ejus libellus mittitur proteſtationis, L. 2. C. de annali except. vel ſi uſus ſervitutis ante completum tempus interdictus, L. 2. C. de Servitut. vel denique ſi debitor ſuper debito interpellatur, quibus omnibus, cum tralatitia ſint & vel ex Compendiis nota, immorari haud libet.

§. DXXVII.

§. DXXVII.

Effectus interpellationis est, quod præscriptionem inchoatam prorsus inutilem & inefficacem reddat, adeo ut si in posterum alleganda iterum sit, de novo prorsus inchoari debeat, quo ipso cernitur differentia interpellatæ præscriptionis a quiescente. Quiescentis hic est effectus, ut prius tempus cum posteriori computari in præscriptione possit, & saltem intermedium deducatur. Præsupponit igitur hæc præscriptionis quies pariter determinatum lege civili tempus, adeoque naturali juri ignoratur. Dicitur autem jure civili quiescere vel dormire præscriptio, quoties verus dominus agere, aut jus suum commode persequi nequit. e. c. durante patria potestate ratione liberorum, item durante conjugio ratione uxoris, item durante minorenni ætate, L. fin. C. in quib. caus. in integr. rest. non est necess. nec non tempore belli, quo pertinet id quod R. I. 1654. §. 172. deduci jubetur a præscriptionibus tempus belli tricennalis ab anno 1618. usque 1648. qui computus expresse quidem in dicto §. non habetur, sed transsumi potest ex §. 50. art. 4. Instr. Pac. Osnabr. id quod per totam Germaniam observandum, licet non ubique & per omne illud tempus dicasteria fuerint clausa.

discrimen præscriptionis interrupta a quiescente.

§. DXXVIII.

Negligentiam, qua Præfectus aut Officialis susceptam contra Principem præscriptionem interrumpere omisit, Principi non nocere existimat *Schilter* Inst. Jur. publ. L. 3. T. 6. §. 1. Econtra *Myler.* in Hyparchol. c. 10. §. 16. ibique citati, Ministri patientiam pro patientia domini habent. arg. l. 14. Dig. ad Municip. *Stryck.* de Oblig. Princ. ex facto Ministr. c. 4. distinguit, num Princeps scienter an ignoranter negligentem ministrum officio præposuerit? priori casu Principi negligentiam Ministri nocere censet, posteriori non item. *Schœpfer* de Culpa lata Ministri Status c. 2. §. 14. n. 63. in tantum Principi nocere Ministri negligentiam putat, in quantum Minister solvendo existit, ne adversarius ex aliena culpa locupletior, Princeps pauperior reddatur. Non iniqua mihi videtur sententia, quæ indistincte dominum facta Ministri in officii administratione commissa vel omissa præstare jubet, & ne Principes hac ratione damnum patiantur, longius tempus rerum contra ipsos præscribendarum legibus est definitum. Conf. dicta de Ministris §. 427. Plane si lege civili tempus certum præscribendi subditis non est determinatum, sola immemorialis præscriptio obtinebit,

Negligentia circa præscriptionem a Ministro admissa Principi nocet.

quæ ubi vitium a ministro admissum potest doceri, pro adimpleta haberi nequit.

§. DXXIX.

Privilegium, ne ulla noceat præscriptio.

Priusquam præscriptionum doctrinam linquamus, tangenda adhuc erit ardua quæstio: num quid operetur privilegium, ne ulla præscriptio nocere debeat? Obtinuit tale Serenissima domus Anhaltina a Maximiliano I. Imperatore occasione litigii super Comitatu Ascaniensi orti, postea tamen in genere ad omnes casus extensum, ne scilicet ulla unquam præscriptio in perpetuum Serenissimæ huic domui nocere, aut contra eam in alterius commodum ab ullo allegari debeat. De immemoriali juris gentium præscriptione tale privilegium accipi nequit, quia deficiens juris prætensi probatio, quam immemorialis præscriptio supponit, ejusmodi privilegium prorsus inutile redderet, dum præscribens eo ipso satis tutus existit, quod adversarius nihil in contrarium probare possit. Quare tale privilegium ad solam civilem lege speciali introductam, atque ad certos annos restrictam præscriptionem pertinet. Neque enim dubitandum, posse legislatorem a lege, quam circa præscriptionem subditis tulit, aliquem eorum per privilegium ita eximere, ut contra eum (quamdiu aliis per præscriptionem jam dum ante concessum privilegium completam jus nondum est quæsitum) nulla alia quam immemorialis præscriptio allegari possit. Tale privilegium in tantum valebit, in quantum concedens potestate leges ferendi & latas abrogandi pollet. Hodie ubi in Germania potestas legislatoria cum Statibus est communicata, vix amplius talia privilegia concedentur. Interim in casu proposito Ascaniensi dictum privilegium omnino interruptionis effectu pollet, atque eorum, qui illud impetrarunt, animum jus pristinum vindicandi satis prodit. Simile privilegium Carolus V. Imperator 1530. indulsit Ordini Teutonico, ne huic ulla noceat præscriptio intuitu juris quod in Prussiam prætendit.

LIBER

LIBER V.

DE

DOTE ET DOTALITIO ILLUSTRI.

TITULUS I.

Delineatio pactorum dotalium.

* * *

Dotis & dotalitii jura determinari ſolent pactis dotalibus, quæ ſunt conventiones ſuper futura ſocietate conjugali, ac bonis ejus intuitu collatis eorumque ſucceſſione,

§. DXXX.

Tenor eorum talis eſſe ſolet: *Matrimonii promiſſio*

Prævia invocatione S. S. Trinitatis Neoſponſi conjugalem ſocietatem fidem & amorem ſibi invicem ſpondent. E. c.

Im Nahmen der heiligen hochgelobten unzertrennten Dreyfaltigkeit, GOttes des Vaters, des Sohnes, und heiligen Geistes. Amen. Kund und zu wissen sey hiemit, daß heute unten bemelten dato zwischen Uns N. von GOttes Gnaden ꝛc. an einem und denn von eben desselben Gnaden Uns N. verwitweten Hertzogin ꝛc. gebohrner Hertzogin zu N. vel: Uns Princeßin N. gebohrner Hertzogin zu N. am andern Theile aus ohngezweiffelter Schickung GOttes, und zu desselben, als Stifftern und Erhaltern des heil. Ehestandes Lob und Ehr, auch Erhalt- Vermehr- und Bestättigung der unter beyderseits Fürstl. Häußern obwaltenden Freundschafft und Vertrauligkeit, mit gepflogenen Rath, guten Wissen und Belieben beyderseits hohen Anverwandten, auch sonderlich ertheilten Consens und Mit-Einwilligung der Durchlauchtigsten Fürstin, unsers Hertzogs N. freundlich geliebt hochgeehrt Frau Mutter Gnaden, Frauen N. eine Christ-Fürstliche Ehe-Verbündniß und Vermählung biß auf gebräuchliche Einsegnung verabredet, bewilliget, angenommen, und versprochen worden, immassen und gestalt hernach folget: Erstlich und zuforderst nehmen Wir der Hertzog N. Princeßin N. gebohrne Hertzogin zu N. vel: Frauen N. verwittwete Hertzogin zu N. gebohrne Hertzogin zu N. zu unserer ehelichen Gemahlin: und wir die Princeßin vel Hertzogin des Herrn Hertzogs zu N. Lbden hinwieder zu unsern Herrn und Gemahl, wollen uns auch beyderseits in rechter Treue, ehelicher Liebe und Pflicht mit einander jedesmahl begehen, und ein Theil dem andern alles dasjenige thun und leisten, was dergleichen hohen Fürstl. Eheleuten nach Anweisung des Christenthums auch sonsten wohl anstehet, eignet und gebühret, gestalt Wir Uns denn zu solchen allen Krafft dieses gegen einander verbunden, und dasselbe festiglich angeloben und versprechen.

Vel parentes eorum nomine:

Wir der Chur-Fürst und endes unterschriebene Hertzoge zu N. geben hierdurch zu wissen: Nachdem zwischen Uns v. G. G. N. und dem Durchlauchtigsten Fürsten unsern freundlich lieben Vettern, Schwager, Bruder und Gevatter Herrn N. Hertzog zu N. in Erinnerung der nahen Anverwandniß und von vielen Jahren her zwischen Uns gepflogenen Vertrauligkeit, dannenhero zu fernerer Fortsetzung derselben, vornemlich aber

GOtt dem Allmächtigen zu Ehren, denn zu des Chur- und Fürstl. Haußes noch stärckerer Vereinigung, wie auch der lieben Posterität und Nachkommen, sowohl Land und Leuten zu mehrern Aufnehmen, Nutzen und Frommen, auf vorgegangenes inbrünstiges Gebeth, auch der Chur- und Fürstl. nahen Anverwanten wohlmeynenden Einrath und Zuthun, sonderlich aber mit Vorwissen und Einwilligung der Durchlauchtigsten Fürstin, unserer hertzgeliebtesten Gemahlin Frauen N. eine Christ-Fürstliche Ehe Verbündniß unserer beyderseits geliebtesten Kinder nemlich N. und N. verabredet und gestifftet: Als wird solch Christ-Fürstl. Versprechen hiemit nochmahls dahin wiederhohlet, daß nemlich vorgemelt unser Hertzog N. geliebter Sohn Hertzog N. unsere des Chur-Fürsten geliebte Muhme und Pflegtochter Princeßin N. zu seiner künfftigen Gemahlin nach Ordnung der Christlichen Kirche annehmen, haben und halten, dieselbe währenden Ehestandes mit Fürstl. Unterhalt, als einer gebohrnen Hertzogin zu N. geziemet versehen, auch in Lieb und Leid sich gegen dieselbe dermassen bezeigen solle, wie einem Christlich- Gottesfürchtig- löblichen Herrn und Gemahl rühmlich, daß zuvorderst die göttliche Majestät daran ein Wohlgefallen, Eltern und Anverwante Freude und Wonne, auch die Sr. Lbden vertraute Gespons, die sich hinwieder zu ohnfehlbarer getreuer Gegenliebe verbindet, Schutz und Trost und also beyde Ihr. Lbden insgesamt alles Vergnügen darob empfinden mögen.

Festivitates nuptiales determinantur:

Und soll das Fürstliche Beylager forderſamst zwischen Michälis und Martini vel: den Sontag Trinitatis wird seyn der 15. Jun. jeztlauffenden Jahres Fürstlichem Stande gemäß jedoch ohne unnöthige und übermäßige Kosten zu N. auf Unser Hertzogs N. vel Hertzogin N. Unkosten angestellet werden.

§. DXXXI.

Si diversa desponsati profitentur Sacra de libero vel restricto eorum exercitio liberorumque educatione & tutela disponitur. Conf. dicta de Matrim, T. 19. §. 242. *liberorum educatio.*

Hier-

Hiernächst ist dieses verbündlich abgeredet und versprochen worden, daß weil die Princeßin sich zu der Reformirten Religion bekennen: Dieselbe dabey und bey ihrer Gewissens-Freyheit jederzeit ruhig gelassen, und darin von niemand auf einigerley Weise es sey gleich wer es wolle, gekränckt und angefochten werden solle, zu welchem Ende denn dieselben, so lange sie in dem B. bleiben möchte, bey ohne dem allda öffentlich eingeführten exercitio der Reformirten Religion freystehen solle, einen Reformirten Geistlichen anzustellen, oder nach Belieben aus denen alldort befindlichen Geistlichen einen zu erwehlen. Solte sich aber der Fall begeben, daß selbige in denen J. Landen ihre Residentz würde nehmen müssen: so wäre bekant, daß alldort der Evangelisch-Lutherischen Religion alleine das öffentliche exercitium verstattet, und durch so viele Verträge dermassen befestiget, daß dawieder niemanden, er sey auch wer er wolle, etwas zu unternehmen freystehe: Bey welcher Beschaffenheit denn es bey bereits oben angeregter Gewissens-Freyheit zwar ein vor allemahl ausdrücklich bleiben, das exercitium aber alleinig ad privatissimum restringiret und darnach eingerichtet werden solle, und bleibe demnach deroselben unbenommen, auch alldort ihren eigenen Hof-Prediger zu halten, und sich dessen sowohl vor sich selbsten, als vor ihre Hof-Bedienten an einem darzu bestimmten Orte mit Predigen, Administrirung der heil. Sacramenten und Verrichtungen fernerer christlichen Pflichten zu bedienen.

Die Fürstl. Kinder beyderley Geschlechts sollen in der Evangelisch-Lutherischen Religion erzogen werden, und welche männlichen Geschlechts oder Printzen sind, sich zu keiner andern Religion mögen bekennen: denen Princeßinnen aber solle nach erreichten Jahren und vollkommenen Verstande nicht verwehret werden, sich nach Belieben zu der Frau Mutter Religion zu wenden, ohne daß dieselben dadurch von denen ihnen von Rechts und natürlich zustehenden beneficien ausgeschlossen, oder ihnen davon das geringste benommen und entzogen werde.

Die Bevormünderung der Kinder, auch wo die Fürstl. Pupilli und minorennes erzogen werden sollen: ist dem Herrn Vater vorbehalten, um darüber nach dem Herkommen ihres Haußes eigengefällig zu disponiren. Es soll aber solche disposition so eingerichtet werden, daß der Fürstl. Frau Mut-

Mutter, so lange sie in unverrückten Witwenstand bleibet, eine contutel quoad œconomica nicht entzogen, und demjenigen, was im vorigen Punct wegen derer Fürstl. Princeßinnen befestiget, nichts entgegen geleget werde.

§. DXXXII.

Dos certa constituitur, addita mentione apparatus nuptialis der Fertigung, ac renuntiatione reliquæ hereditatis biß auf ledigen Anfall.

Wir N. gebohrne Hertzogin zu N. versprechen, wenn diese abgeredete Ehe durch das christliche Beylager vollzogen, daß wir sodann des Herrn Chur-Fürsten zu N. als unsers Herrn und Gemahls Lbden innerhalb Jahr und Tag von dato an zu rechnen 20000. Thlr. gegen gebührende Quittung an statt einer Mitgifft oder dotis erlegen und auszahlen, auch uns sonsten mit anderer Zubehör dergestallt versehen wollen, wie es unser Fürstl. Stand erfodert, und mit sich bringet.

Vel:

Wenn denn solches eheliche Beylager geschehen, so sollen und wollen Wir N. Hertzog 2c. gedachtem unsern freundlich lieben Vetter Hertzog N. binnen halber Jahres Frist von dato des Hochzeit-Tages an zurechnen 20000. fl. jeden zu 21. Groschen an guter Landüblicher Müntz jedoch ohne Verzinssung gen Leipzig ohne Sr. Lbden Kosten und Schaden zu rechten Heyrathguth gegen gebührliche Quittung entrichten und bezahlen: auch die obgedachte unsre freundlich liebe Schwester N. mit Kleinodien, Kleidern, Geschmuck, Silber-Geschirr, Betten, Leinen Geräthe, Kutschen und Pferden, und andern, wie einer Fürstin von N. wohlgeziemet, behörig abfertigen.

Dagegen aber soll und will hochermelte Frau Hertzogin mit unsern Hertzogs N. Wissen, Verwilligen und Geheiß sich der Succeßion auf die N. Lande, wie auch Vater, Bruder, Schwester und Vetterliche Erbschafft eydlich verzeihen, und derselben renuntiiren, wie solches im Fürstl.

Hauße N. Herkommens, jedoch unbegeben dessen, so ihrer der Hertzogin Lbden auch Dero Fürstl. Erben auf den Fall der Männliche Stamm der Hertzoge zu N. nach dem Willen des Höchsten (welches doch seine Allmacht gnädiglich verhüten wolle) gäntzlich abgienge, von Rechts- und Gewohnheitswegen gebühren kan. Ingleichen auch was Ihro durch Väterlich- und andern letzten Willen, oder auch durch donation und sonsten in andere Weze, wie die seyn mögen, von ihren Fürstl. Anverwanten sowohl jetzt oder künfftig vermacht würde, welches deroselben und ihren Fürstl. Erben durch vorgedeutete Verzicht nicht benommen seyn soll, sondern nebst der Mütterlichen Erbschafft ingleichen der Groß-Mütterlichen Verlassenschafft in alle Wege auf die beste Form und Weise hiemit vorbehalten bleibet: alles mehrern Innhalts des darüber aufgerichteten Renuntiation und Verzicht-Brieffes.

§. DXXXIII.

alimenta & Morgengaba

Prospicitur uxori de alimentis. Additur Morgengaba, vel in sorte consistens, vel in reditibus, ubi exprimendum, num a nuptiarum an a viduitatis tempore currere, item an, quando, & ad cujus beneplacitum relui debeat, nec ne?

Wir der Hertzog wollen mehrbemelte Princeßin unsere künfftige Gemahlin ihrem Fürstl. Stande gemäß mit aller Nothdurfft gebührend versorgen und unterhalten: auch Deroselben Tages nach gehalten Beylager nebst einem Fürstl. Präsent oder Kleinod eine sonderbahre Verschreibung auf 6000. fl. Hauptgeld, solche jährlich mit 300. fl. als 5. pro Cent zu verzinssen, zur Morgengab überreichen lassen: damit Ihr Lbden mit solchem Gelde (davon sie das Capital nach Dero Gefallen entweder stehen zu lassen oder aufzukündigen jederzeit Macht hat) gleich ihren propern Gut nach Morgengabs Recht und Gewohnheit frey zu schalten und zu walten habe, unverhindert der Kinder, da deren vorhanden, und sonst männiglich. Alles nach Innhalt der absonderlichen Morgengabs Verschreibung und darüber ausgefertigten Notul.

Add. Tit. 9. §. 706. sqq.

Vel:

Vel:

Es sind auch der künfftigen Frau Gemahlin 1000. Thlr. zur Morgengabe verordnet, dergestalt, da Ihr. Durchl. ihres Eheherrn tödtlichen Hintritt erleben würden, welches in GOttes Willen stehet, daß so dann Deroselben diese 1000. Thlr. mit 50. Thlr. verzinsset werden, biß so lange Ihr. Durchl. oder Dero Erben solche 1000. Thlr. Morgengabe von denen Lehns-Folgern niedergelegt und bezahlt zu haben begehren möchten, oder diese solches bezahlt haben werden.

Vel:

Es sollen Ihr. Lbden so lange sie im Leben und in unverrückten Witwenstand sind, solche Morgengabs-Gelder wieder ihren Willen nicht abgelöset: nach ihren Tod, oder anderweitiger Verheyrathung aber soll solche Morgengab wieder unserer Erben Willen unabgelöset nicht behalten, sondern Ihr. Lbden Dero Erben ab intestato, oder denen Ihr. Lbden solche Gelder durch letzten Willen, oder sonst Vermacht, abgestattet werden.

Vel:

Und stehet dieser 1000. fl. Morgengab' Auffkündigung so dann nach dem Tode des Herrn N. sowohl bey der Frau Wittib als denen Lehns-Folgern.

Vel:

Bey anderweitiger Verehlichung aber fallen solche 1000. fl. Morgengabs-Gelder des verstorbenen Gemahls Kindern oder nächsten Anverwanten wieder anheim.

Vel:

So Ihr. Lbden nach ihren Tod keine Kinder verliessen, und die Morgengab bey Lebzeiten nicht vertestiret oder übergeben hätten: soll selbige Uns oder unsern Erben, daher sie kommen, wieder ohne einigen Eintrag verfallen seyn.

§. DXXXIV.

Hand-geld

Præterea assignatur Jährlich Hand- und Spielgeld *pour les menus plaisirs*, addita strenarum & donorum natalitiorum mentione: ac determinatur numerus domesticorum cum salariis & alimentatione:

Auch wollen wir Ihr. Lbden über dieses alljährlich mit 2000. Thlr. obiger Müntz-Sorten auf die gewöhnliche Quartale zu bezahlen vermittelst einer gesicherten Assignation auf die bereiteste Unsers Fürstenthums N. Revenuen zu Hand- Spiel- und Kleider-Geldern Standesmäßig versorgen und versehen, auch danebst die Präsenten bey Ehren-Sachen und sonsten verschaffen lassen: nichtweniger Dero sämtliche Bediente, wenn anderst dieselbe mit unsern Bewust angenommen, gleich denen Unsrigen mit aller Verpflegung und Unterhalt gehörig versehen.

Vel:

On payera tous les ans & de trois mois en trois mois par egale portion a la dite Princesse la somme de quinze cens livres Sterlings pour ses menus plaisirs, outre son entretien, habillement & gages des officiers & autres domestiques.

Vel:

Wir wollen auch von unsern Mitteln ohne unserer künfftigen hertzgeliebten Gemahlin Lbden Zuthun alle zu Deroselben Aufwartung gehörige Personen, so da bestehen sollen in 2. Adelichen Dames, ein Cavalier, eine Cammer- und eine Wasch-Magd, 2. Pages, 3. Laquayen, Kutscher und Knechte vor 2. Kutschen (Item noch ein Hof-Prediger) welche jedoch mit Ihr. Lbden Vorbewust angenommen werden sollen (vel: welche von Ihr. Lbden doch dergestalt dazu sollen angenommen werden, daß sie lauter eingebohrne Landes-Kinder seyen) mit Besoldung, Kleidung und anderer Nothdurfft versehen und unterhalten.

§. DXXXV.

Dos antipherna & dotalitio in certa præfectura compensatur:

Ferner wollen Wir Hertzog N. das von Ihr. Lbden zugebrachte Heyrath-Guth mit eben so viel als 20000. fl. obiger Wehrung wiederlegen, welche beyde Summen des Heyraths-Guths und Wiederlage, ob sie zwar zusammen 40000. fl. die Zinssen aber davon a 5. pro Cent 2000. fl. ertragen: Wollen Wir jedennoch aus sonderbarer Affection und Bezeugung Unserer beständigen Liebe gegen Unserer Gemahlin Lbden auf den Fall, der in GOttes Händen stehet, zu ihren Witwenthum und Leibgedinge hiemit und in Krafft dieses Deroselben inclusive der Morgengabs pension 4300. fl. jährlich Einkommen, Nutzung und Gefälle auf Unser Schloß, Stadt und Amt N. mit allen Zu- und Eingehörungen (doch daß dagegen obbestimmtes Hand- und Spielgeld so bald Ihr. Lbden Dero Witwenthum nach Unsern Absterben beziehen, allerdings gefallen, todt und ab seyn solle) versichern dergestalt, daß Ihr. Lbden jetztbemelte Summe von solchen Einkünfften ihres Witwenthums entweder gantz oder zur Helffte in Gelde, das übrige aber an allerhand Früchten und Victualien, nach Innhalt der absonderlich auszustellenden Witthums Verschreibung, und dabey gefügten von Uns unterschriebenen Specification, in mittlern Anschlag anzunehmen frey stehen solle.

dotalitium.

(§. 534.)

Defectus in præfecturæ reditibus aliunde supplendus, excessus redditur, vel non:

Woferne auch gedachtes Amt mit seinen Ein- und Zugehörungen die vorberührten 4300. fl. jährliche Leib-Renten nicht ertragen möchten, oder daß selbige durch allerhand unvermuthete merckliche Schäden verwüstet und verderbet würden, also daß Unsere geliebteste Gemahlin ihre vollkommene Leibzucht und Morgengabs Verzinssung daraus nicht haben könten: so wollen Wir Hertzog N. Unsere Erben und Successores solchen Abgang von andern Renten und Intraden ersetzen und ergäntzen. Wie denn auch da von Gülten und Nutzungen in den Witwenthum gehörig einige andern verschrieben und obligiret wären, oder noch würden, damit sollen Ihr.

Lbden nichts zu thun haben, sondern dieselbe von Uns dem Hertzog oder Unsern Erben, ohne Ihr. Lbden Kosten und Schaden binnen Jahres Frist, frey und ledig gemacht werden: oder da solches nicht geschehe, an statt derselben jetzt als dann, und dann als jetzt andre unsre Intraden, so viel hierzu vonnöthen und erklecklich sind, assecuriret, und verschrieben seyn. Was aber über obige verwilligte 4300. fl. der Ertrag des Witthum-Amts wäre, solcher Uberschuß soll nicht aufgerechnet, sondern der Frau Wittib überlassen werden (vel: solcher soll unsern Fürstl. Erben verbleiben.)

§. DXXXVI.

determinatur. Proventus incerti, mulctæ, laudemia, venatio, operæ subditorum vel æstimantur vel non:

Auch (doch) sollen Ihr. Lbden an obgemelten 4300. fl. jährlich Gefälle, Gült und Nutzung keine unbeständige Gefälle als Bussen, Frevel, Frohndienste, Atzung, Fischwasser (ausserhalb deren, so von Alters her um einen jährlichen Zinß verlassen) Wildbahn, Vogelwaidwerck, und was mehr dergleichen unbeständige Nutzung sind, und zu berührten Schloß, Stadt und Amt N. gehören, zu dem auch das Feder-Vieh aus Freundschafft nicht gerechnet, sondern Ihr. Lbden zur Zeit Witwenthums zu nutzen ohne Anschlag gelassen werden: jedoch daß die armen Leute mit Bussen und Straffen nicht übersetzet, oder ohne Noth bedränget oder betrübet werden.

Circa jurisdictionem modus ponitur:

Mehr hochgedacht Ihr Lbden sollen auch bey Besitzung ihres Witthums die Obrigkeit und Jurisdiction über ihre Bedienten, und den Angriff derselben in Criminal-Fällen haben, desgleichen soll Deroselben zu Einbringung ihrer Einkünffte von denen Beamten des Ortes jedesmahl hülffliche Hand unweigerlich geleistet werden.

§. DXXXVII.

Reservantur Regalia majora: *restringitur.*

Wir behalten Uns aber und Unsern Erben bevor, in bemelten Schloß, Stadt und Amt die Erbhuldigung, Lands-Fürstl. Hoheit, Jura Episcopalia & Patronatus oder Bestellung Kirchen und Schulen (jedoch daß das Witthum allezeit mit tüchtigen Seel-Sorgern und Geistlichen versehen sey) auch aller Jurisdiction in Criminal- (und Civil auch Ehe-) Sachen, Appellation, (wo die Klage über 100. fl. beträgt) Geleit, Folge, Musterung, Müntz, Forst, Wildbahn, Grentz-Streit-Sachen, Reichs-Türcken- und Land-Steuer, Zoll- und Umgeld, Ritter- und Mannlehn, Anfälle, Ritter-Dienste (doch daß Unserer Gemahlin nach erfoderter Nothdurfft zum Verreyßen ihrer Hoffstadt und dergleichen Behuff jedesmahl mit Adelicher Aufwartung ihrem Fürstl. Stande gemäß versehen seyn, und derenthalben von Unsern Erben und Nachkommen behörige Vorsehung auf vorhergehendes Ersuchen beschehen solle) den Aus- und Einzug und die Oeffnung wieder männiglich, jedoch mit der Maße, daß Wir und Unsere Erben die Oeffnung auf Unsere Kosten, und ohne Ihr Lbden Unserer Gemahlin Schaden und Nachtheil gebrauchen.

Vel:

Es sollen auch Ihr Lbden in obgedachten Schloß, Stadt und Amt alle Obrigkeit und Herrligkeit, Geboth, Verboth, hohe und niedere Jagden und andere Gerechtigkeit haben in allermassen, wie Wir dasselbe biß anher gehabt und gebraucht, nichts ausgenommen, denn allein die hohe Lands-Fürstl. Obrigkeit, auch Unsere weltliche Ritterlehn, Folge, Reiß, Tranck- und Land-Steuer, die Wir Uns und Unsern Erben vorbehalten haben wollen. Doch sollen die von Adel und Ritterschafft, so in bemeltem Witwenthum gesessen, Ihr. Lbden zum Aufwarten und gebührenden gewöhnlichen Hof-Diensten gewärtig seyn. Auch geistliche und Burglehn in solchem Witwenthum gelegen sollen Ihr Lbden zu verleihen und zu besetzen Macht haben, doch daß die mit tauglichen Pfarrern der unveränderten Augspurgischen Confession versehen werden, nur den

Super-

Superintendenten ausgenommen, welcher von dem regierenden Fürsten selbst bestellet wird.

Vel:

Die Pfarrer und Schuldiener des Amts in denen Dörffern und Oertern, in welchen sie die Leib-Renthen einnimt, so offt deren Amt verlediget zu præsentiren befugt: mit der Besoldung aber unbeschweret seyn soll.

Item:

Ihr. Lbden sollen kein Wild ausser Haasen und Feder-Wildpret zu fohen Macht haben: dagegen wollen Wir Ihr. Lbden zu Dero Fürstl. Küchen jährlich 10. Hirsche oder Wild, 15. gute Schweine und 15. Rehe jegliches wenn es zu seiner Zeit am besten ist, ohne Jäger Recht und Fuhrlohn, auf Unsere und Unserer Erben Unkosten, überantworten, liefern und ohne Anschlag folgen lassen. Ob aber von solchen Wildpret ein oder das andere gar nicht, oder nicht völlig zu haben: sollen Ihr. Lbd. sich mit der Unmöglichkeit zufrieden geben, doch hierunter keine Gefehrde gebraucht werden. So sollen auch Ihr. Lbd. jährlich ohne Dero Kosten so viel Brenn- Brau- und Bauholtz geliefert werden, als sie dessen bedörffen.

Vel:

So ist auch per expressum vorbehalten, daß Unserer künfftigen Gemahlin Lbd. die Holtzungen pfleglich gebrauchen, sich darin allerdings nach der Fürstl. Holtz-Ordnung richten, und dem Fürstl. Forst-Amte die Inspection darüber lassen: auch die Beamten uud Haußhaltungs-Bedienten nicht ohne Vorbewust der Fürstl. Landes- und Lehns-Erben zu verändern, vielweniger aber Dero Witthum-Sitz ohne jetztangezeigter Landes- und Lehns-Erben Consens und Gutfinden in einige Wege jemanden zu öffnen, noch einige præjudicial-Einigung neque tacite neque expresse deshalben treffen solle.

§. DXXXVIII.

§. DXXXVIII.

Possessionis apprehensio homagiique exactio viduæ permittitur.

Mehr besagtes Schloß, Stadt und Amt N. sollen Ihr. Lbd. auf begebenden Fall berechtiget und bemächtiget seyn, ohne unserer Erben oder einiges andern Verhinderung nach Dero Belieben alsobald einzunehmen, zu gebrauchen und als Dero Verschriebenes und constituirtes Witwenthum zu nutzen. Damit auch Ihr Lbd. deshalber desto mehr versichert seyn mögen, sollen so bald nach vollzogenen Beylager der Verweser, Hauptmann, Beamte und Befehlhaber auf den vorher gesetzten Fall an Ihr Lbd. gewiesen, auch gedachte Beamte Unterthanen, wie nicht weniger die erbare Mannschafft in Amte N. deroselben geloben und schweren, Ihr Lbd. (wenn es dazu käme, daß sie dieses Deroselben verschriebenes Witwenthum bezöge, oder wo sie vor uns ohne Leibes Erben abgienge, ihren Erben, wie hernach folget, des Wiederfalls und davon gebührenden Nutzung und Einnehmens halber, bis sie alles des, so vermöge derer Rechten und dieses Heyrath Brieffes an sie fallen sollen, vollkommentlich entrichtet und bezahlet seyn) gewärtig und gehorsam zu seyn, und die vorhergesetzte Nutzungen, nichts überall davon ausgeschlossen, gleichwie uns vorher geschehen, vollkommentlich abfolgen zu lassen, und sich in diesem Stück an Ihro Lbd. als ihrer rechten Herrschafft zu halten, auch deroselben Gebot und Verbot darin gehorsamlich zu folgen; ihren Schaden zu warnen und wenden, und ihren Nutzen und Frommen zu werben und fordern: dabey jedennoch Ihro Liebden frey stehet, auf den Fall da von deroselben das Witwenthum bezogen würde, die vorhandene Verweser und Hauptleuthe zu behalten, oder nach Dero eigenen Belieben andere Anstalt zu machen. Dafern auch der Verweser, Haupt- und andere Amt-Leute einer oder mehr, ehe der Witthum-Fall entstehet, verändert und mit Tode abgehen, und an deren Stelle andere bestellet und angesetzet würden: alsdenn sollen die von neuen bestellte und angesetzte Ihro Liebden gleichergestalt, wie die abgegangene gethan geloben und schweren: desgleichen auch die von Adel und Ritterschafft, so in bemelten Witwenthum gesessen, Ihro Lbd. zum aufwarten und gebührenden gewöhnlichen Hofdiensten gewärtig machen. Hin-

Homagium.

gegen sollen und wollen Ihro Ldd. wenn sie ihr Witthum beziehen werden, die Diener und Unterthanen geist- und weltlich bey ihren Freyheiten, Rechten und Gerechtigkeiten auch wohlhergebrachten Gewohnheiten bleiben lassen.

Vel:

Gestalt denn auch zu mehrerer Versicherung Ihro Ldden in würckliche und eventual-possession jetztgedachter Stadt und Amts so viel zu künfftigen Witthum und Befriedigung hochgedacht deroselben aus diesen Ehe-Pacten herfliessenden Anfoderung und Behörniß nöthig seyn wird, krafft dieses beständigster massen nicht allein gesetzet und darin ruhig gelassen: sondern auch die Bediente bey solchen Amt Ihr. Ldden Foderung und schuldiger Vergnügung halber, ihrer Pflicht, mit welcher sie denen Lehns-Folgern zugethan, entweder jetzo vor, oder so bald und kurtz nach dem Beylager auf obberührt erfolgten eventum erlassen, und die Schuldigkeit mit einem Handschlage angelobet; bey eintrettenden Witthum aber in der Frau Wittwen würckliche Pflicht mitgenommen, auch sonsten mit Ihro Ldden Vorbewust und Einwilligung, und ohne solche nicht de novo bestellet und dimittiret werden sollen, obgleich deswegen die Lehnsfolger vor sich einstimmig wären.

§. DXXXIX.

Habitatio. Habitatio cum suppellectile & fructibus repositis vel advehendis assignatur, cujus reparatio nunc viduæ nunc successori incumbit:

Wir der Hertzog wollen auch die Verfügung und Verordnung thun, damit die Schlösser zu N. und N. als Witthums Residenzen in solchen Zustand kommen und erhalten, auch auf den Fall mit bedürffenden Haußrath also versehen und angerichtet werden, auf daß sie von einer Fürstl. Wittib mit Ehren und guter Bequemlichkeit bewohnet werden können. Und wenn über Verhoffen dieses Witthum durch äusserliche Gewalt oder sonsten verlohren gienge, auch sonst dergestalt verwüstet, verderbet und ruiniret würde, daß Ihr. Ldden dessen sich nicht gebrauchen oder

darauf

darauf Dero Residenz sicher nicht haben und nehmen könten: auf solche Begebenheit sollen Wir der Hertzog oder nach unsern Tod unsere Erben schuldig seyn, Ihro Lbden eine andre bequeme Residenz anzuweisen, und den Abgang der Intraden aus andern Gefällen zu ersetzen.

Als es sich auch begeben könte, daß die Besetzung des Leibgedings zu der Zeit geschehen müste, da die Gefälle noch nicht angehen: so soll der Vorrath, welcher an Getreid, Geträncke und Küchen-Speise vorhanden, bey dem Witthum gelassen, auch da bis zu Angehung der Gefälle etwas ermangelte, die Nothdurfft von andern Orten für diesmahl dahin geschaffet werden.

Vel:

So sollen unsere Erben alsdenn gedachter unserer Gemahlin das Hauß N. mit

1000. fl. Geld
20. Juder Wein
100. Eymer Bier
50. Malter Waitz
100. Malter Gerste
300. Malter Korn
500. Malter Habern
50. Juder Heu nebst gnugsamen Stroh zur Fütterung und Streu.
200. Klaffter Holtz.

und andern Vorrath versehen, auf daß sie sich ein Jahr lang wohl und ihrem Fürstlichen Stande gemäß damit ohne Abbruch der jährlichen Witthums Gelder erhalten möge: dazu solches Hauß mit Hauß-Geräthe Leinen-Tisch-und Bettgewand auch Tapezereyen also bestellen, daß sie ihrem Fürstl. Stande nach daran keinen Mangel habe. Wo Ihro Lbden alsdenn mit nothwendigen Silber-Geschirr nicht versehen: so sollen unsere Erben schuldig seyn (unangesehen es bey denen Häußern N. und N. nicht also herkommen.) ihr so viel Silber-Geschirr cum inventario zustellen zu lassen, als sie zur Nothdurfft bedörfftig; doch dergestalt, da sie sich anderwerts verheyrathen, oder aber mit Tode abgehen würden, daß sol-

ches Ihr vom Fürstenthum N. zugestelltes Silber-Geschirr wiederum überantwortet werden soll, aut: Welche Fahrniß und Mobilia alle zugleich nichts davon ausgenommen, Ihr unserer Frau Wittib eigenthümlich verbleiben, und nach Dero begebenden Todes-Fall, da nicht Kinder vorhanden, ihren Erben Väterlicher Linie erfolgen soll.

Vel:

Mit denen Witthums-Gefällen hat es die Meynung, daß solche gleich zum Antritt auf ein halb Jahr von unsern Erben an Frucht und andern angeschafft, und hernach von halben zu halben Jahren die Lieferungs-Termine continuiret, nichtweniger auch das Witthums-Hauß von unsern Erben in guten baulichen Wesen, Dach und Fach gebührend erhalten werden solle. aut: Der Witthum-Sitz aber von Ihr Lbden mit den Ingebäuden bäulich erhalten werden: doch daß die erforderliche Materialien aus dem Witthums-Amt, oder da solche daselbst nicht vorhanden, aus andern Orten ohne Ihr. Lbden Entgelt und Beschwerde genommen werde. Den andern Grund-Bau zu Ihr. Lbden Nothdurfft sollen unsere Erben zu thun pflichtig seyn. Da auch nach unsern Tode durch unsere hinterlassene Wittib auf ihre Kosten einige mehrere Nutzung auf solch Witwenthum würde angerichtet werden: soll derselben solches zu thun nicht allein frey stehen, sondern auch Ihr. Lbden dessen so lang sie im Leben und den Witwenstuhl nicht verrucken zu geniessen zugelassen werden.

Reluitio dotalitii.

§. DXL.

Vidua renubens ad Principis regentis beneplacitum vel dotalitium continuare sinitur, vel illud ita reluitur, ut post viduæ renubentis obitum dimidium pecuniæ ad Principem regentem redire debeat:

So denn durch Schickung des Allmächtigen Ihr. Lbden nach unsern tödtlichen Hintritt ihren Witwenstand verändern, und sich wiederum vermählen würde: soll in unserer Erben Willen und Gefallen stehen, ob sie Ihr. Lbden auf dem Leibguth ihr Lebenlang wollen lassen, oder sie

darab

darab lösen, und im letzten Fall soll Ihr. Lbden mit 40000. fl. an guten unverschlagenen Müntz-Sorten von berührten Leibguth dergestalt gelöset werden, daß nach ihren Tod die Helffte nur gedachter Summe an unsere Erben zurückfallen solle (wie denn bey der Ablösung nur eine Helffte zu entrichten, von der andern aber nur die Zinsen jährlich a 5. pro Cent sollen abgestattet und auf mehrbenanten Leibguth versichert werden) Jedoch soll solche Ablösung Ihr. Lbden ein Jahr lang zuvor verkündiget, und Ihr. Lbden ehe nicht, als bis sie solcher Summe halber vergnügt und bezahlet, das Leibgeding und Vermächtniß abtretten.

§. DXLI.

Successio per casus speciales determinatur, & num in casu prolis deficientis bona conjugum superstiti, an familiæ, unde venerunt, relinqui debeant? *Successio.*

Damit auch sonsten künfftiger in Gottes Händen stehender Fälle halber gute Richtigkeit getroffen werde, ist abgeredet, und verglichen: da aus obvermeldeten Fürstl. hohen Verlobten eines oder das andere ehe und zuvor das eheliche Beylager geschicht mit Tode (welches der Allerhöchste gnädig verhüten wolle) abgehen würde, daß alsdenn diese vorbeschriebene Heyraths-Abrede keinen Theil binden, sondern dieselbe dadurch allerdings cassiret und aufgehoben seyn solle: dahingegen woferne eines von beyden nach dem Beylager, aber vor Erlegung des Heyrathguths auch Vollziehung der Verweisung verstürbe (welches die göttliche Allmacht ebenmäßig in Gnaden abwenden wolle) alles das so sich beyderseits gegen einander zu leisten vermög gegenwärtiger Heyraths Abrede gebühret, nichts destoweniger solle vollzogen werden.

Ferner ist verabredet, daß bey Entstehung Leibes Erben aus dieser Ehe der überlebende Fürstl. Ehegatte die Heyraths und Wiederlags-Gelder eigenthümlich behalten solle.

Vel:

Auf seine Lebens-Zeit zu geniessen, nach dessen Absterben aber selbige wieder hinter sich an die nächsten Erben des Haußes, davon sie herkommen,

men, nemlich das Heyrathguth an Bayern und die Wiederlage an Sachsen fallen solle.

Vel:

Daß in quemcunque casum das Heyrathguth nicht wieder zuruck fallen, sondern bey dem Stamm, dahin sie verheyrathet, bleiben solle.

§. DXLII.

Vel specialius:

Si præmoritur maritus.

Würden den Wir der Hertzog vor unserer Gemahlin Ebden mit Tode abgehen: soll Jhr. Ebden zugelassen seyn, auf solchen Fall unsers Uberlebens 6. Monath nach unsern Absterben bey unsern Erben und Successoren zu verbleiben, und in deren Unterhaltung zu seyn (doch gegen Nachlaß der halben Witthums-Gefälle.) Aber wenn Jhr. Ebden Dero Witwenthum vor oder nach solcher bestimter Zeit beziehen, hat es bey dem, was oben desfalls festgestellet, seyn billiges Verbleiben. Es wäre denn, daß sie sich lieber zu denen Jhrigen oder anderswohin begeben wolten, auf welchen Fall Deroselben nach vorherbeschehener halbjährigen Aufkündigung das Heyrathguth derer 20000. fl. soll heimgezahlet, von denen Wiederlags-Geldern aber die Interessen a 5. pro Cent jährlich wohin sie es verlangen würden ohne (vel auf) Dero Kosten übermachet werden. Es soll auch über das Jhr. Ebden ungehindert abgefolget werden Dero Silber-Geschirr, Kleinodien, Kleider, Geschmuck (ausgenommen den Hertzoglichen Hauß Schmuck, welcher laut Inventarii Jhr. Ebden bloß zum Gebrauch übergeben, und jederzeit bey unsern Hauße bleibet) auch behalten Jhr. Ebden was ihnen von uns oder andern geschencket worden, oder Jhr. Ebden sich selbst angeschaffet hätten, item den halben Theil derer Præsenten, so uns auf unsern Beylager geschencket werden möchten. Was aber auf die Kinds-Tauffen geschencket, solches soll uns dem Hertzog zum voraus allein verbleiben. Ferner sollen Jhr. Ebden haben die Helffte aller Fahrniß und Chatoul-Gelder, so wir verlassen, ausgenommen verbriffte Schulden, Bibliothec, Geschoß, Pferde, Harnisch und was zur

Wehr

Wehr gehörig, wie auch die Erb-Kleinodien und Silber-Geschirr unsern Hochfürstl. Hauße gehörig.

Woferne Wir auch aus dieser Ehe erzeugte Kinder verliessen, und dieselbe noch in ihrer Minderjährigkeit begriffen seyn würden: so sollen Ihr. Lbden so lange sie im unverruckten Witwenstand verbleiben die Vormundschafft über dieselbe nebst andern Mit-Vormundern auf sich nehmen und getreulich verwalten. Würden aber Ihr. Lbden zur anderweitigen Ehe schreiten, und in derselben ebenmäßig Kinder gewinnen, die nach ihrem Tode im Leben wären: so fället zwar das Heyrathguth der 20000. fl. auf die Kinder erster und anderer Ehe. Aber die Morgengabe und was Ihr. Lbden von uns an Silber, Kleinodien, Kleidern und Geschmuck bekommen, wie auch die auf unsern Beylager erhaltene Præsente, verbleiben denen Kindern erster Ehe zum voraus.

Falls wir aber ohne Ehe-Seegen und Kinder verstürben sollen Ihr. Lbden unsre sämtlich nachgelassene Fahrniß und Chatoul-Gelder eigenthümlich verbleiben, gleichwohl ausgenommen verbrieffte Schulden nebst andern oben specificirt zu unsern Fürstl. Hauße gehörigen Sachen: Dero zugebrachtes Ehe-Geld aber in Ansehung des genossenen Witthums unserm Hauße verbleiben.

Vel:

Dero zugebrachtes Ehe-Geld (wofern sie keine Disposition hinterliessen) Ihren Erben wiederfällig seyn ohnerachtet wie lange sie das Witthum besessen und genossen hätten. Hingegen soll die Wiederlag und Morgengab, und was von unsern Hause herkommen, nach ihren Tod auf unsre nächste Erben kommen.

§. DXLIII.

Si uxor præmoritur.

Da es aber GOtt gefiele, uns die Hertzogin vor unsers Herrn und Gemahls Lbden und zwar, daß wir mit deroselben erzeugte Kinder hinterliessen nach seinen unerforschlichen Rath und Willen abzufodern: Auf solchen Fall bleibet alles und jedes, was wir verlassen möchten, nichts

über-

überall davon ausgeschlossen, unsern Kindern; der Gebrauch und usus fructus aber, so lange die Kinder nicht ihr eigen Wesen haben, unsers Herrn und Gemahls Lbden, und so die Kinder vor unsers Gemahls Lbden mit Tode abgiengen, ad dies vitæ: aber nach dessen ebenmäßigen Absterben soll die Helffte unsern Erben rückfällig seyn.

Begebe sich es endlich, daß Wir die Hertzogin vor unsers Herrn und Gemahls Lbden ohne hinterlassenen ehelichen Leibes-Erben todes verführen: so sollen unsers Gemahls Lbden alle und jede unsre Verlassenschafft an sich nehmen und erblich behalten.

Vel:

So sollen Unsers Herrn und Gemahls Lbden das heyrathguth ihr lebenlang nutzen und geniessen und nach Dero erfolgten Ableben dasselbe an unsre Erben zuruckfallen. Aber die Kleider, Kleinodien, Geschenck und anders sollen so gleich nach unsern erfolgten tödtlichen Hintritt unsern Erben verabfolget: hingegen das Silber-Geschirr, Baarschafft und andre Mobilien in zwey gleiche Theile getheilet, und die Helffte unsers Herrn und Gemahls Lbden die andre Helffte unsern Erben zufallen. Es wäre denn durch anderweitige testamentliche Disposition, welche in allewege vorbehalten und unbenommen seyn soll, der Baarschafft und Fahrniß halber ein anders verordnet worden.

Item:

Die Morgengab aber und Præsenten, so wir von unsers Gemahls Lbden bekommen, sollen auf denselben wiederum zuruck fallen, und unsere Erben nichts daran zu prætendiren haben.

§. DXLIV.

Debita. Ut debita utrinque contracta solvantur, prospicitur:

Woferne Wir der Hertzog währender dieser unserer Ehe, oder unsere Gemahlin Lbden mit unsern Vorwissen und Consens einige Schulden machen würden: damit sollen unserer Gemahlin Lbden nichts zu thun haben:

haben: sondern selbige durch uns oder unsere Erben alleine bezahlet werden. Andere Schulden aber, so Ihr. Lbden vor sich zugezogen, und unbezahlt verlassen würden, werden von Dero Eigenthums Erben billig abgeführet, und sollen unsere Erben und Nachkommen damit nicht belästiget werden.

§. DXLV.

Variæ adduntur clausulæ:

Ubrigens behalten Wir der Hertzog uns bevor, in Zukunfft nach unsern Belieben aus unsern eigenthümlich zustehenden Erbe und zukünfftigen Güthern das Witthum zu vermehren und zu verbessern.

Vel:

Und nachdem Wir der Hertzog unserer freundlich Hertzvielgeliebtesten Gemahlin ein weit höheres Witwenthum geordnet und verschrieben, als etwa das Herkommen unsers Fürstl. Haußes zulässet, oder aber die eingebrachte Heyraths-Gelder erfodern: So wollen wir uns zum besten unsers Fürstl. Haußes hiemit beständigst bedinget haben, daß dieses hinfüro zu keiner Consequenz oder Nachfolge nicht solle gereichen oder gezogen werden: indem es mit gegenwärtiger Erhöhung seine sonderbahre Erhebligkeit und sattsame Ursachen gehabt.

§. DXLVI.

Item assecuratio promissorum:

Damit auch Ihr. Lbden alles dessen, was in selbigen verabredet und zugesaget worden, desto mehr versichert und vergewissert seyn mögen: Wollen wir sowohl Ihro Röm. Kays. Maj. als auch unsers freundlich geliebten Bruders Herrn Hertzogs N. Lbden und derer übrigen nächsten Herrn mitbelehnten Einwilligung und Consens vor Erlegung des Heyrathguths beybringen (und weil solcher wegen der in unsern Fürstl. Gesamt-Hauß vorhandenen Compactaten die obbemelte Summe nicht erreichet, unsere Erb und Allodial Güther, so viel hierzu vonnöthen, ratione der Uber-

masse hiemit verschrieben und hypotheciret haben, auch deswegen eine besondere Verschreibung ausstellen.)

Solchem allen also festiglich nachzukommen und zu geloben, haben beyde Hochfürstl. Ehe-Contrahenten stet, fest und unverbrüchlich ohne arge List einander bey ihren Fürstl. Ehren und Treuen zugesagt, verlobt und versprochen. Sie geloben und versprechen auch hiermit solches, und haben dabey sich aller Gnaden, Freyheiten, Remedien, geist- und weltlich. Rechten, Gerichten, Auszügen und Behelffen, so zu Wiedertreibung dieser Heyraths-Pacten gegeben, erdacht oder erfunden werden möchten, samt dem Recht gemeiner Verziehung ohne vorgehende Sonderung wiedersprechend, wissent- und wohlbedächtig verziehen und begeben. Dessen allen zu wahrer Urkunde, Stet- und Festhaltung haben beyderseits Hoch-Fürstl. Ehe-Contrahenten gegenwärtige Eheberedung in 4. darüber gefertigten Originalien, deren jeder Theil eines und die andern N. und N. zu Handen bekommen, eigenhändig unterschrieben, und Ihre Fürstl. Innsiegel daran hangen lassen. Wenn denn auch Wir V. G. G. N. Hertzog N. von mehr hochgedachten unsern freundlich lieben Bruder Herrn Hertzog N. freundlich ersucht und gebethen worden, in obbeschriebene Fürstl. Heyraths-Abrede mit zu consentiren, solche zu unterzeichnen und zu besiegeln: so haben wir solches also freundbrüderlich verwilliget, uns nicht minder mit eigenen Händen unterschrieben, und sowohl als Sr. Lbden unsere Fürstl. Innsiegel hieran hengen lassen, auch uns und unsere Erben dadurch zu dem Innhalt derselben, so viel uns oder dieselben darin binden und berühren mag, damit bekennende, und dessen allen Festhaltung Krafft dieses versprechende. So geschehen und gegeben &c.

TITU-

TITULUS II.

Cui & a quo dos constituatur?

* * *

Dotem marito uxor vel alius uxoris intuitu pro ferendis matrimonii oneribus constituit. Pater filiæ nomine eam non ex juris naturalis, sed civilis, vel pacti necessitate constituere tenetur.

§. DXLVII.

Nomine dotis, Germanice Mitgabe, Ehegeld, Brautschatz, Heyrathsguth, ein oder zugebracht Guth, venit res quævis, marito vel ab uxore, vel alio uxoris intuitu pro ferendis matrimonii oneribus data atque a marito acceptata. Sigillatim ad ductum hujus descriptionis videbimus, quis capiat dotem, & a quo? quid & quantum dotis nomine capiatur? denique quomodo & quem in finem capiatur? & quomodo amittatur? *Dos quid?*

§. DXLVIII.

Capit dotem maritus, adeo ut proprie loquendo sine marito dos nec intelligatur, nec fœmina innupta dotem habere dici possit. Res enim, quam uxor in dotem affert marito, antequam in dotem detur, dos non est, sed simplex fœminæ patrimonium, & soluto sive per mortem sive per divortium matrimonio itidem dos esse desinit, & simplicis patrimonii jure censetur, quæ duo ita differunt, ut dos omnis quidem sit patrimonium fœminæ, at non omne fœminæ patrimonium sit dos ipsius. At- *Capitur a marito.*

que hinc est, quod, si filiæ illustri ex territorio vel feudo dos debeatur, illam tunc demum capiat, si nubit: si vero innupta manet, nihil plane dotis nomine * petat, aut ad heredes transmittat, cum exadverso ubi nupta moritur, heredes ipsius dotem ex territorio vel feudo debitam & vivæ forsan nondum solutam recte omnino petant. Quodsi filiæ illustri indefinite, si nubat, vel potius futuro ipsius marito dos constituta sit, tacita subesse intelligitur conditio, si indigno non nubit: hoc enim casu nec dos, nec promissi forte sumtus nuptiales debentur.

* Aliquando dos legitimæ vicem subit, & tunc eam filiæ innuptæ heredes non dotis, sed legitimæ portionis nomine capiunt.

§. DXLIX.

vel ejus nomine. Dum vero maritum dotem capere dicimus, nihil interesse putamus, utrum ipse, an alius ejus nomine illam capiat. Regulariter quidem ii saltem uxores ducunt, qui maturæ sunt ætatis, & ex parentum familia abeuntes, ac separatam œconomiam constituentes, sibi sustinendisque matrimonii oneribus soli sufficiunt. At fallit hoc ipsum sæpissime in personis illustribus, quas inter quotidie Principes hereditarios uxores ita ducere animadvertimus, ut in parentum, si non potestate, certe familia & aula remaneant ac a parentibus victum, die Tafel, aliaque necessaria Fürstlich oder Standsmäßigen Unterhalt accipiant, quo casu cum onera ferant parentes, justum quoque est, ut commoda & proinde filii nomine dotem capiant, eâdemque tam diu utantur fruantur, donec matrimonii onera in ipsum filium recidant, instituta forte separata œconomia, aut secuta parentum morte, quo casu dotem filius omnino recipit, nec in reliquam parentis sui hereditatem confert. Quodsi vero maritus moriatur in parentis adhuc familia constitutus, licet liberos haud relinquat, retinebit tamen pater usumfructum dotis propter dotalitium filii viduæ constituendum, cui tamen optio relinquenda, ipsam dotem, dotalitio repudiato, recipiendi. Pariter dos, quæ Principi Apanagiato ab uxore affertur, a Principe regente recipitur, qui vicissim dotalitium Apanagiati viduæ præstare tenetur. Secus se res habet in paragiatis, qui dum dotalitium ipsum constituunt, dotem quoque accipiunt.

§. DL.

Dare seu constituere potest dotem quilibet, qui potest paciſci & alienare, adeoque tum ipsa uxor de propriis suis bonis, tum pater ipsius, tum denique alius quivis, qui hoc intuitu extraneus vocatur. Dos, quam pater constituit, profectitia, quam vero extraneus, adventitia appellatur. * Quæ ex familiæ pactis a Principe regente Principiſſis dos præstatur, merito reputatur profectitia. Vide dicta de patria potestate §. 250. Ipsa uxor vel extraneus ubi dotem constituunt, rem agunt meri arbitrii, a quo unice pendet, num, qualem & quantam dotem constituere velint; De patre vero disceptatur, num ille filiabus nubentibus dotem ex juris necessitate debeat? Asserunt haud pauci, ducto argumento ab alimentis ad dotem, atque exinde quod pater illustris filiabus suis indistincte sive impuberes sint, sive adultæ, alimenta debet, eundem quoque dotem ipsis debere concludunt, præsertim cum per dotationem ab onere alendi filiam liberetur, atque illa in hujus locum succedere videatur. *Datur ab uxore vel patre ejus.*

* Carolus V. Imperator suæ ex sorore Isabella nepti, Christiernæ Danicæ, Francisco Sfortiæ Mediolanensi nuptæ 1534. dotem 100000. Coronatorum constituit.

Catharina Medicæa, Henrico II. Gallo nupta, a patruele Clemente VII. Papa 100000. thaleris dotata.

Ludovica Maria Gonzaga, Vladislao IV. Poloniæ Regi 1645. nupta, a Ludovico XIV. Galliæ Rege (comme si elle etoit sa fille) ac si ipsius esset filia, dotis loco accepit 700000. thal. seu deux millions cens mil livres de france.

De eodem Ludovico XIV. scribit *Larrey* histoire d'Angleterre T. 4. p. 476. Le Roi tres Chretien fit proposer a Jacques Prince d'Angleterre la Princesse de Modene, a qui il promit de donner cinq cens mille ecus pour sa dot, comme il avoit fait pour celle de la Princesse Henriette d'Angleterre, qui epousa le Duc d'Orleans, & pour celle de l'Infante de Portugal, qui epousa le Roi Charles II. Il s'acquita de toutes ces trois promesses, & on scait, qu'a ce prix il se rendit maitre de la cour & de l'esprit

l'esprit de ces Princes, & qu'il ne tient pas a eux, qu'il ne le fut de leurs Royaumes.

§. DLI.

An pater filiam dotare tenetur?

At enim vero vehementer fallit hoc ratiocinium. Tunc demum valide ab alimentis infertur ad dotem, quoties eadem utrobique subest ratio, ceu recte monet *Everardus* in Locis legalibus Loc. 70 princ. p. 761. ut proinde ducto argumento a majori ad minus recte sic inferamus: Si ob ingratitudinem liberis alimenta negare licet, multo magis dotem. Quæ vero subjicit Everhardus l. c. e. c. quod sicut pater spuriis & naturalibus liberis, adeoque multo adhuc magis legitimis alimenta debeat, ita pariter dotem: aut sicut mater dives filiam inopem & frater dives sororem inopem in subsidium alere tenetur, ita & dotare; & sicut donatio in alimentorum favorem præsumatur, ita & in favorem dotis; hæc inquam omnia vel legi particulari, aut ubi illa deest, liberali nimis, nec per omnia sequendæ Doctorum ampliationi innituntur, neutiquam vero ex justa quadam illatione ab alimentis ad dotem ducta fluunt. In proposita præsertim nostra quæstione dispar satis alimenta inter ac dotem ratio cernitur. Alimenta quippe liberis propterea debentur a parentibus, quod hi illorum vitis causam dederunt, quas sine alimentis duci non posse manifestum. At vitam sine matrimonio, & matrimonium sine dote constare omnino potest.

§. DLII.

Neg. jure nat.

Neque stringit, quod dicitur, liberare dotem ab alendi onere, atque in ejus locum succedere. Nam utut pater liberis suis de alimentis prospicere debeat, modus tamen, quomodo id facere velit, ipsius arbitrio est permittendus, num ipse alimenta subministrare, an ut ab alio eadem suppeditentur, curare velit, quo & pertinet, quando filiæ illustres Reginæ in gynæceum conceduntur, wenn Fürstliche Princeßinnen einer Königin zur Aufwartung gegeben werden, quæ tali casu de necessariis prospicere ipsis solet; an denique filiæ convenientem nubendi conditionem ea lege procuret, qua maritus sponte, sine dote, uxorem alendi onus in se recipit. Quæ omnia evincunt, nullam omnino subesse necessitatem,

quæ

quæ parentibus onus, filias suas dotandi imponat, & proinde dotis constitutionem regulariter liberrimæ donationis naturam per omnia imitari, adeoque inter Principes, superiorem non agnoscentes meræ liberalitatis esse, nisi per pacta aut consuetudinem id, quod voluntatis erat, necessitatis fieri passi fuerint.

§. DLIII.

Atque hinc est, quod plerique Imperii nostri Principes, non modo suas, ultragenitas æque ac primogenitas, sed & Apanagiatorum suorum filias dotare debeant.* Quo facit adducta a *Fritschio* de dotatione filiæ Principis c. 8. §. 1. in fin. dispositio Electoralis Brandeburgica de 1553. qua cavetur, daß der primogenitus regens der andern abgegangene Töchter alle, die sie hinter ihnen verlassen werden, berathen und besteuern soll, als ob sie seine leibliche Töchter wären: nec non transactio Christophori Ducis Wurtenbergici, & Georgii Comitis Montisbeligardi de 1553. apud *Myler*. in Addit. ad Rumelin. diss. ad A. B. part. 3. diss. 5. §. 14. p. 779. qua primogenitus omnibus ex familia Wurtenbergica condecentem dotem constituere jubetur. Quid in familia Saxonica dispositum sit vid. §. 593. Et vix ulla reperitur familia illustris, in qua pactis vel consuetudinibus dotis jura non sint determinata, adeo ut opus non sit recurrere ad jus Romanum speciatimque L. 19. Dig. de ritu nupt. qua patres cogendos esse, filias suas, quas in potestate habent (nam emancipatis dos non debetur L. 44. pr. de jur. dot.) in matrimonium collocare, & dotare statuitur, quod ampliatur, etiamsi aliunde habeant, unde se dotent; L. fin. Cod. de dotis promissione. Sic & fratrem locupletem sorori inopi, si eodem patre nata fuerit, dotem debere colligitur ex L. 12. §. 3. Dig. de administr. & peric. tutor. Uterinam sororem inopem alere frater tenetur, sed non dotare. Leg. cit. junct. L. 1. §. 2. Dig. de tutor. & rat. distrah.

Affirm. jure Rom.

* Disceptatum quondam de onere dotandi filias Apanagiatorum. Primogenito illud imponit *Vultejus* Consil. Marpurg. Vol. 3. Consil. ult. & *Springsfeld*. de Apanag. c. XI. n. 271. *Myler*. ad Rumelin. part. 3. diss. 5. th. 14. At patri Apanagiato *Cothman-*

mannus Vol. 4. Conſ. 3. & 4. (ubi in cauſa Ducis Holſatiæ ſcripſit) & *Petr. Muller.* pec. diſſ. item *Limnæus* ad A. B. Obſ. XI. cap. 25. §. 2. *Rhetius* de portion. aliment. c. 3. n. 51. Alii Cothmannum Apanagium proprium, Vultejum improprium reſpexiſſe, eosque conciliare contendunt. Nobis familiæ pacta & conſuetudines omne punctum ferre videntur, quibus deficientibus, nec patri, nec Principi regenti dotatio neceſſario incumbit, ſed meræ liberalitatis eſt. Conf. §. 574.

§. DLIV.

Quid jure Germ? Quod vero vulgo colligitur ex cap. 5. X. de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit adulterio, etiam ſpuriis & adulterinis liberis dotem a patre deberi, haud probandum videtur. Nam ſola neceſſaria iis ſubminiſtranda eſſe, citatus textus ait, quorum nomine alimenta ſola veniunt, a quibus hoc caſu præpoſtere ad dotem infertur. Imo Germaniæ moribus inter civici quoque ordinis homines ceſſare juris Romani neceſſitatem dotandi liberos, utut legitimos, *Schilterus*, *Thomaſius*, *Titius*, *Wernherus*, *Leyſerus*, aliique paſſim teſtantur. Non enim tanta inter Germanos matrimonii fuga cernitur, quanta apud Romanos, per præmia nuptiis propoſita demum diſpellenda.

§. DLV.

An ſemel dotata iterum dotanda? Ubi vero Princeps ex pacto, conſuetudine aut lege filiam vel agnatam dotare tenetur, regulariter ſemel ſaltem in primis nimirum ipſius nuptiis, in ſecundis non æque illud fieri debere vel inde patet, quod dos marito mortuo ab uxore repetitur, ab eaque ad ſecunda vota tranſeunte alteri marito iterum in dotem dari poteſt. Quodſi vero prior maritus dotem diſſipaverit, propterea uxor relicta aliam dotem a Principe, qui priorem dederat, petere nequit, ſed ſibi potius imputet, quod ſibi dotisque ſuæ ſecuritati melius non proſpexerit. Accedit, quod quævis pacta & leges circa onera ſtrictiſſimam interpretationem poſtulent. Confer etiam L. 89. §. 1. Dig. de Verb. Signif. ubi hoc ſermone: *dum nupta erit*, primas nuptias ſignificari, recte docetur. Nec male inde infertur, ſi caſu dos

dos perierit, novam dotem, ſecutis ſecundis nuptiis non deberi, nec etiam dotem, quæ filiæ, *dum nupta erit*, debetur, peti poſſe ab ea, quæ monaſterium ingreditur, cum a matrimonio carnali ad ſpirituale non ſemper procedat illatio.

TITULUS III.

DE

Maritagii Collectis, vulgo Princeßin-Steuer.

* *
*

Nec dotis favor, nec publica utilitas ſubditis onus Principis ſui filias aut ſorores dotandi imponit: ſed ſolum pactum vel unanimi, vel, quod ſufficit, plurimorum conſenſu nunc expreſſe, nunc tacite initum, ſtricte tamen utique interpretandum.

§. DLVI.

Gravis nonnunquam inter Principes, ejusque ſubditos oritur controverſia, ſuper eo, unde Princeps dotem filiæ aut agnatæ debitam ſumere, & num ex proprio ſuo marſupio eam depromere debeat? an a ſubditis per modum collectarum, vulgo maritagii, Freulein oder Princeßin Steuer dictarum, petere poſſit? Pro Principum jure ſubditos ſuos ob filias elocandas collectandi pugnat *Roffredus Beneventanus*, qui primus ſubdi-

An ſubditis maritagii collectæ imponi posſunt?

ſubditis onus Principum filias dotandi impoſuiſſe putatur. Hunc ſecuti ſunt *Hoſtienſis*, *Accurſius*, *Albericus*, *Springsfeld.*, aliique antiquiores præſertim, quos laudat huic ſententiæ pariter favens *Maulius* de homagio Tit. 9. n. 29. At ſubditorum cauſam tuentur, ac Principibus jus maritagii collectas a ſubditis exigendi negant *Roſenthal.* de feud. c. 5. concluſ. 77. *Kœppen.* deciſ. 32. *Klock.* de Contribut. c. 8. n. 27. aliique magno numero ibidem citati, & recentius *Ahasverus Fritſchius* in peculiari diatribe de dotatione filiæ Principis, & in ſpecie de collectis maritagii, vulgo Freulein Steuer, Geræ 1671. & in Opuſc. Tom. I. num. 3.

§. DLVII.

Argumenta. Principibus qui favent in dotis favore & utilitate, qui vero ſubditis in alto legum hac de re ſilentio, ſubditorum allevatione & innovationum odio præſidium quærunt. Atque hi poſteriores pro ſe ſuaque ſententia allegant præjudicium Cameræ Imperialis de 1590. in cauſa Hanau, contra Hattgau, quo ſubditi in Hattgau a maritagii collectis abſolvebantur, utut Comites ab Hanau-Lichtenberg omnimodam ibidem jurisdictionem exercentes 1556. coram eodem tribunali obtinuerint, daß ſie die Unterthanen zu des Orts fürfallenden Nothdurfft und erheiſchenden Nutzen mit ziemlichen und gebührenden Schatzungen und Anlagen zu belegen Macht hätten.

§. DLVIII.

Negat. Nobis utrique fruſtra ſibi crucem figere videntur. Tolli poſſet difficultas diſtinguendo, utrum ſubditi omnimoda & abſoluta, an reſtricta & limitata ſubjectione Principi ſuo tenentur? Illis ſane Princeps omnis omnino generis adeoque & maritagii collectas pro lubitu ita imponere poteſt, ut ne quidem earum rationes reddere, aut quibusnam uſibus eas impendere velit, indicare teneatur: Poſteriori vero caſu, cum omnis ſubjectio facti ſit, nec temere præſumenda, in tantum ſaltem dependens inde collectandi facultas Principi tribuenda erit, in quantum illa per pacta, leges aut conſuetudinem eidem conceſſa apparet, adeoque regulariter Princeps filias dotabit non ex ſubditorum, ſed propriis ſuis bonis, & quidem allodialibus primum, iisque deficientibus in ſubſidium quoque ex feudo (non quidem ex jure feudali Longobardico, ſed moribus in Germania præ-

fertim receptis & pactis legibusque firmatis) Conf. *Horn.* Jurisprud. feud. c. 21. §. 13. Dicta ſiquidem ubi ad Germaniæ Principes applicamus, apparet, iis in dubio jus ſubditos pro filiabus ſuis elocandis collectandi non competere. Nullus enim eorum omnimodam & abſolutam in ſubditos poteſtatem ſibi vindicare, vel ſaltem rite probare poterit. Quod ſi vero illa eſt reſtricta & limitata, jus ſubditis maritagii collectas imperandi aut ex pacto ſpeciali, aut lege, aut denique conſuetudine legitima erit deducendum.

§. DLIX.

Leges Germaniæ hac de re ſilere, certum ſatis eſt. Pacta autem, *etiam in Germ.* quæ ſubditis neceſſitatem Principum ſuorum filias dotandi imponere debent, ſpecialia requiro. Generale enim aliqualis ſubjectionis pactum huic rei vix ſufficit, cum illud ea ſaltem Principi permittat, quæ ad publicæ rei conſervationem abſolute ſunt neceſſaria, quo ſane maritagii collectæ referri nequeunt vid. §. 557. cum Principis filiæ aut ſine dote convenientem nubendi occaſionem nanciſci queant, aut eadem forte non reperta, ſolis alimentis neceſſariis eſſe debeant contentæ. Imo etiamſi neceſſitatem filias illuſtres dotandi concederemus, neutiquam tamen inde ſequeretur, quod onus hoc ſubditis ſit imponendum, cum hæc dotandi obligatio proximius longe Principem, quam ſubditos tangat, adeoque ex ipſius loculis potius, quam ſubditorum ſubſtantia eidem ſatisfaciendum ſit. Sed quid ſi ipſe Princeps non habet, unde filias ſuas dotet, numne in ſubſidium ſubditi easdem dotare tenentur? Cum dos abſolute neceſſaria non ſit, ne tunc quidem ex juris quadam neceſſitate ſubditos ad dotandas Principis filias obſtringi putarem, utut æquum omnino ſit, ſpontanea quadam liberalitate & ſubſidio quodam charitativo tali caſu ſuccurrere.

§. DLX.

Quod a diſſentientibus interſeritur, publicæ rei intereſſe, Principis *Objectiones.* filias bene dotari, noſtræ ſententiæ plane non officit. Sunt enim Principi domania, quorum fructus pleno jure acquirit, & ex quibus proinde dos filiarum deſumi poteſt. Aut ſi illi tanto oneri haud ſufficiunt, præſidium a charitativo ſubditorum ſubſidio expectari poterit. Ipſi autem Principi ci-

tra præviam conventionem aut consuetudinem tribuere facultatem imperandi pro lubitu subditis maritagii collectas, tanto videtur periculosius, quo facilius eadem nimium augendo collectas ad abusum trahi posset. Quis enim non videt, quantopere tali casu interesse Principis privatum cum publico queat collidere.

§. DLXI

Removentur. Minori adhuc specie pro maritagii collectis, earumque necessitate urgetur, quod filiæ dotem accipiant pro renuntiatione successionis in allodia territorio innexa: hæc renuntiatio cum in territorii utilitatem vergat, æquum esse, ut ex territorio per maritagii collectas compensetur. At negamus omnino, filiabus jus esse succedendi in allodia, quamdiu mascula proles adest, & pertinet consueta filiarum renuntiatio ad solennitates & cautelas superfluas, quæ saltem non nocent, ceu demonstratum de Hereditatibus §. 100. sqq. Quodsi igitur alio jure dos filiarum illustrium haud nititur, verendum omnino, plerasque indotatas fore remansuras. Plerumque enim fratres eas a successione excludunt. Quare tunc nec dotem possent prætendere. At si deficiente mascula stirpe successionis ordo eas tangit, tam insipidæ haud erunt, ut pro dote exigua longe opimiori suo succedendi juri renuntient.

§. DLXII.

Ni pactis aliud conventum. Ubi vero speciale adest pactum, quo subditi onus Principis sui filias dotandi in se receperunt, res omni dubio caret. Extat e. c. tale pactum in Ducatu Würtenbergico im Landtags-Abschied de 19. Jun. 1565. §. daß auch gemeine apud *Myler.* ad Rumelin. in A. B. part. 3. diss. 5. §. 14. p. 779. In domo Brunsvicensi vi Testamenti Julii Ducis de 1502. desponsatio Principissarum cum consilio & assensu Statuum Provincialium fieri debet, quibus ad solvendam collectam die Freulein Steuer integri anni spatium conceditur, a die deliberationis in Comitiis provincialibus de modo collectandi factæ. At observat *Leyser* in Additionibus ad dissertationem de feudis Brunsvicensibus §. 13. in fin. Statuum Provincialium assensum rarius adhiberi. Ex pristinis manumissionum tabulis quoque apparet, quod domini, servos suos manumittentes, sibi sæpius reservaverint maritagii collectas

lectas. Charta Alidis Boulariæ Dominæ apud *Aubertum Miræum* in Notitia ecclesiarum Belgii T. 1. p. 755. qua consensu filiorum manumittit, & ab omni exactione & taliis (tributis) absolvit omnes servos, & ancillas in dominio de Boulario commorantes, excipit inter alia, quod quidam tenebuntur ad nuptias puerorum meorum, (Juncker-Steuer) & si quem contigerit fieri militem, ad hoc nobis conferre juvamen.

§. DLXII. b.

Ut exterorum Regnorum exempla addam, Regni Svecici constitutionibus dos Regis filiabus non e fisco Regio, sed Ordinum contributione danda determinata legitur apud *Andream Bureum* in Regni Svecici descriptione, quæ statim num. 1. apparet in Republica Svecica Elzeviriana p. 6. In Siciliæ Regno speciali capitulo cautum, quod liceat Regi pro maritagio filiæ collectam a Vasallis & subditis exigere. Vid. *Marius Muta* in Comment. in Capitula Regni Siciliæ Panormi 1605. fol. 4. Tomis edito Tom. I. cap. 6. 7. *Quorum exempla*

§. DLXIII.

Observare licet, in diversis Regnis pro diversa temporum ratione, prout nunc major, nunc restricta magis imperantium potestas extitit, variasse potestatem imperandi subditis maritagii collectas. In Imperio Germanico adhuc Friderici II. Imperatoris temporibus regnicolis maritagii collectas impositas discimus ex *Petri de Vineis* Epist. L. 5. n. 16. Hodie earum nomine nihil amplius exigi constat. Econtra in Gallia antiquis temporibus pro filiabus elocandis subditis nullas fuisse impositas collectas ex *Boërio* refert *Kœppen.* Decis. 32. At sequioribus temporibus solebant Reges pensiones subditis dominii sui imponere nupturis filiabus, eamque exegit Rex Philippus Pulcher, cum secunda ipsius filia Isabella nuptura esset Eduardo II. Angliæ Regi. Atque hinc Vasalli percipiebant lucrum. Nam a subditis suis ita exigebant, ut partem ipsi perciperent, præter id, quod dabatur Regi. Normanni summam totam Regi in matrimonium illud spoponderunt, qui mense Octobri 1308. statuit, ne illa liberalitas ipsis in posterum damnosa esset. Quod autem ad jus Vasallorum partem indictionis ex consuetudine sibi retinentium, fuit jus illud jam olim receptum, con- *Adducuntur.*

firmaturque tribus decretis, sub tempus (ut vocant) Candelosæ factis 1271. & habent idem memoria nostri Vasalli quamplurimi in agris suis, nascente aut nubente maxima Regis filia: pro aliarum vero matrimoniis facultas tribuitur instituendi opificia in civitatibus Regni, in quibus juratæ fratriæ receptæ sunt: verba sunt *Joannis Tilii* de Rebus Gallicis p. 199. Hodie Galliæ Rex collectas pro lubitu plane imperat. In Anglia vero Parlamentum singulis vicibus Regis filiabus dotem pro suo lubitu determinat.

§. DLXIV.

Plurimorum subditorum consensus sufficit.

Utrum vero in condendis ejusmodi pactis, quibus se subditi ad maritagii collectas obstringunt, omnium & singulorum subditorum consensu opus sit, an plurimorum sufficiat? disceptatur. Nos posterius affirmare nulli dubitamus, generali potissimum nixi ratione, qua in iis rebus, quæ ad societatem spectant, majorem ejus partem singulos obligare deducit *Grotius* L. 2. c. 5. §. 17. & *Klock.* de Contributionib. c. 6. per tot. utut quoad præsentem nostrum casum dissentiant, & ad maritagii collectas, si plurium saltem subditorum consensus intervenerit, reliquos non teneri asserant *Kœppen* decis. 32. n. 12. *Fritsch* de dotatione filiæ Principis c. 6. §. 3. n. 19. & reliqui omnes, qui in genere in contributionum materia unanimia vota requirunt, eorumque pluralitatem renuentes plane non obligare putant, *Limn.* de Jurepubl. L. 9. c. 1. n. 183. ibique *Oldenburger.* L. 4. c. 72. §. 49. *Myler* ad Rumelin. part. 2. diss. 3. th. 20. lit. b. *Matthias Colerus* in Responso pro civitate Rostochiensi contra Ducem Megapolitanum, aliique, quos citat & refellit *Gerhard Buxtorf* in Consilio de jure collectandi, quod in fasciculo seu decade Consultationum Klockii Tractatui de Contributionibus subjuncta num. 2. apparet, ubi præsertim legatur p. 28. & 33.

§. DLXV.

Obj. 1.

Vis argumentorum, quibus dissentientes utuntur, huc redit: id quod omnes ut singulos tangit, ab omnibus approbari debere, prout hoc non modo cap. 29. X. de R. J. sed ipsa sana ratio dictitat: at collectas seu contributiones subditos, ut singulos omnino concernere, cum quilibet ex proprio marsupio illas pendere debeat, nec alius pro alio solvat; quare & justum

justum esse, ut singuli sigillatim iisdem imponendis consentiant, ne per aliorum vota dissentientium crumenis damnum inferatur, ipsisque invitis contribuendi necessitas a reliquis civibus imponatur, id quod imperium quoddam saperet, quale civis in civem tanquam par in parem habet nullum.

§. DLXVI.

Sed enim vero hæc omnia id, quod est in controversia, plane non- *Diluitur.*
dum evincunt. Frustra enim supponitur, collectas omnes ut singulos concernere, cum potius ad omnes ut universos pertineant. Patet hoc ex causa, quare eædem exiguntur, quæ publica est vel necessitas vel utilitas, omnes omnino & universos respiciens. Et licet tales collectæ secundario res & bona subditorum afficiant, ex iisque solvendæ sint, attendendum tamen potius erit id, quod principaliter & primario intenditur, publica nimirum utilitas. Quare nec obstat id, quod interseritur, parem in parem imperio non gaudere. Pares quidem sunt subditi inter se spectati, at quoties in partes scinduntur, ita ut una eaque major unam, alia vero eaque minor aliam sententiam arripiat, tunc sane pares esse desinunt, & minor pars majori simpliciter se subjicere tenetur vi societatis civilis, quam semel inierunt. Ea siquidem fuisse intelligitur in societatem coëuntium voluntas, ut ratio aliqua esset expediendi negotia, quæ commodior concipi nequit, quam si minor pars sequatur majorem, atque hæc proinde jus integri habeat. *Grotius* L. 2. c. 5. §. 17.

§. DLXVII.

Ais, ni fallor, hæc omnia bene se habere, si agatur de rebus ob *Obj. 2.*
quas consociatio est instituta, ad collectarum vero materiam indistincte applicari non posse. Ibi distinguendum potius esse inter collectas necessarias & voluntarias. In necessariis quidem votorum pluralitatem dissentientes quoque obligare, in voluntariis non item, cum in genere in actibus voluntariis prohibentis conditio melior esse debeat. Atque ad has posteriores, voluntarias nimirum collectas sine dubio pertinere illas maritagii, de quibus hic in specie est quæstio, easque proinde invitis per votorum pluralitatem imperari non posse.

§. DLXVIII.

§. DLXVIII.

Removetur. Quantam vero ſpeciem hæc præ ſe ferant, ſalva tamen utique res eſt. Namque initur ſocietas civilis non tantum ut Res publica ſit, ſed & ut bene eidem ſit, adeoque ad talem ſocietatem ejusque deliberationes non neceſſaria modo, ſed utilia quoque pertinent, quæ proinde pariter ac illa a votorum pluralitate pendent. Taceo, quod lubrica ſit illa in neceſſarias & voluntarias collectas diviſio. Haud ita expeditum ſemper eſt, quænam collectæ neceſſariis, quæve voluntariis annumerandæ veniant, & pro diverſo reſpectu ac conſiderandi modo eædem collectæ nunc neceſſariæ, nunc voluntariæ eſſe poterunt. Quid quod voluntariæ eo ipſo, dum per votorum pluralitatem imponuntur, reliquorum intuitu neceſſariæ plane fieri videntur. Eo reſpexerunt ſine dubio Electores in Comitiis de 1653. qni cum Proteſtantes diſtinctionem hanc inter collectas neceſſarias & voluntarias acriter urgerent, eam hoc ſenſu admittendam duxerunt, ut omnes collectæ ratione cauſæ pro neceſſariis aut *utilibus*, ratione vero conſenſus pro voluntariis haberi debeant, diſſentientibus nonnullis Catholicis ex Principum ſenatu, qui omnes collectas reſpectu dantis voluntarias, nullas neceſſarias dici poſſe ſtatuebant, ceu ex Actis Comitialibus refert *Oldenburger* in Limnæo enucleato L. 4. c. 72. §. 49. in fin. Certe ad utiles collectas quod attinet (in quarum cenſum veniunt & maritagii collectæ, quoties ſubditi ad illas præſtandas de novo demum per pacta ſunt adſtringendi) illæ præpoſtere voluntariis contradiſtinguuntur, cum id, in quod major Reipublicæ pars conſentit, & ſpontaneum ac voluntarium & utile ſimul eſſe poſſit, imo tale cenſeri debeat, niſi in ipſam Rempublicam ejusque membra potiora injurius videri velis.

§. DLXIX.

Et conſuetudine Sicut autem per pacta expreſſa, ita & per tacita e. c. conſuetudinem & præſcriptionem onus dotandi Principis filias in ſubditos devolvi poſſe, dubitandum non eſt, dummodo reliqua rite ſe habeant, omniaque legitimæ conſuetudinis aut præſcriptionis requiſita adſint. Sic cum ſubditi ſæpiſſime precario dotare ſoleant Principum ſuorum filias, hæc autem precarii ſit indoles, ut nunquam plane obligationem in futurum producat, liquet,

quet, ejusmodi dotationes nec Principi jus tribuere, nec subditis præjudicium creare posse, etiamsi innumeri actus per immemoriale tempus se exceperint, ut merito culpandi sint Principes, qui hac subditorum suorum liberalitate & benevolentia abutentes, non obstantibus literis reversalibus, quibus eandem fraudi non esse debere promiserunt, nihilosecius sub obtentu juris ex tali collectandi actu quæsiti, de novo pro lubitu subditos interpellant, & minimum toties ad novas tales collectas cogi posse putant, quoties reversales ejusdem tenoris literas de novo ipsis offerunt.

§. DLXX.

Porro cum actuum frequentia ad inducendam consuetudinem vel præscriptionem requiratur, quæri posset, quot actus requirantur ad constituendum Principem in possessione aut jure collectandi subditos pro filia sua elocanda? Et quidem pro possessione talis juris acquirenda unicum sufficere putarem actum, quo nimirum subditi a Principe jussi (non rogati, NB. hoc enim precarium involveret) ut pro filia sua elocanda certas pecunias conferant, vel statim dicto audientes sunt, aut si forte ab initio se difficiliores præbeant, tandem tamen in hac Principis sui voluntate acquiescunt. Consuetudo vero cum actuum pluralitatem involvat, pluralis autem numerus duobus contentus sit, duo minimum actus ad eandem requiri videntur. Ad Præscriptionem vero complendam tantus accedere debet temporis lapsus, quo vitium exerciti actus possessorii obliteretur. *Ac præscriptione subditi ad maritagii collectas obligantur.*

§. DLXXI.

Exempla talis consuetudinis passim occurrunt. Eo tamen referre vix audeo, quæ de Anglorum Regum consuetudine inde ab Henrici I. temporibus imponendi subditis tributa pro parandis filiarum dotibus ex *Polydor. Virgil.* lib. II. Hist. Angl. refert *Petr. Gregor. Tholosanus* de Republ. L. 3. c. 4. §. 17. in fin. cum inter omnes constet, Anglorum Reges hodie sine Ordinum consensu tributa a subditis exigere non posse. Ita autem ipsa fluunt Gregorii verba: Primus apud Anglos Henricus I. Anglorum Rex, cum vellet parare pecuniam dotis causa Mathildæ filiæ pactæ Henrico V. Imperatori, tributum per jugera terræ imposuit, unde ingentem paravit *Exempla.*

pecuniam. Secuti autem ſunt hoc factum poſteri Reges ad parandam pecuniam dotium nomine filiarum elocandarum.

§. DLXXII.

Talis conſuetudo univerſalis in Germania non adeſt.

In Germania conſuetudo, qua ſubditis pro Principis filiabus elocandis ſubſidia conferre tenentur, in variis Principum territoriis animadvertitur. Imo plane univerſalem eam eſſe prætendunt *Mynſingerus*, *Zaſius*, *a Weyhe* alIique apud *Klock.* de Contribut. c. 8. n. 14. quos tamen, quoniam conſuetudo univerſalis Doctorum aſſertione & teſtimonio probari nequit, & Doctori nonniſi de ſuæ provinciæ conſuetudine atteſtanti fides accommodanda, recte refutat n. 32. eorumque autoritati opponit teſtimonium ipſius modo memorati *Mynſingeri*, Cameræ Imperialis quondam Aſſeſſoris, qui in contrariam ſententiam pronuntiaſſe Cameram Imperialem teſtatur, vide dicta §. 557. quod ſane facere non potuiſſet, ſi indefinite & univerſaliter talis in Germania recepta eſſet conſuetudo. Imo quam lubrico fundamento univerſalis hæc Germaniæ conſuetudo nitatur, tum pacta §. 562. memorata, quæ tunc ſuperflua forent, tum exempla evincunt territoriorum in Germania, in quibus ſubditi Principis ſui filias dotare non tenentur. In domo Saxonica dotatio filiarum ac ſororum Principis domanio, non vero Statibus Provincialibus der Landſchafft incumbit, ita ut potius Status Provinciales charitativo ſubſidio domanium Principis augere aſſoleant, quam pro elocatione filiarum ac ſororum ſe collectari patiantur, prout ex Actis Provincialibus conſtat, quæ verba ſunt *Springsfeldii* de Apanag. c. 12. n. 54. p. 242. quem tamen hoc in paſſu falli ait *Ludolf.* de jur. fœm. illuſtr. p. 164. Springsfeldium, ni fallor, minus recte intelligens. Conf. §. 574.

§. DLXXIII.

Stricte interpretanda.

Interim ſive ex pacto, ſive ex conſuetudine maritagii collectæ debeantur, ſemper tamen eædem tanquam jus exorbitans, ſtrictiſſimam recipiunt interpretationem. Quamobrem in dubio, & niſi aliud actum aut receptum, in ſubſidium demum, & ſi Princeps ex propriis reditibus commode filiam dotare nequeat, eædem debentur. Eandem ob cauſam quoties

ties ſubditi Principis ſui filiam dotare tenentur, illud ad legitimam eſt reſtringendum, nec tali deficiente ad ſpuriam extendendum. Imo ſi plures filiæ legitimæ adſint, nonnulli volunt, ſoli primogenitæ dotem a ſubditis deberi, niſi & quoad ultragenitas aliud receptum doceri queat. Vid. §. 563. In Germaniæ provinciis, ubi maritagii collectæ exiguntur, eædem indiſtincte pro primogenita æque ac ultragenitis maritandis ſolvi conſueverunt, quæ tamen conſuetudo cum facti ſit, non præſumenda, ſed probanda eſt.

§. DLXXIV.

An ad Apanagiatorum filias extendendæ.

Dirimi hinc poterit agitata illa controverſia, utrum Princeps regens pro Apanagiatorum filiabus dotem a ſubditis exigere queat? Affirmativam ſententiam in favorem Holſatiæ Ducis propugnarunt JCti Marburgenſes apud *Vultejum* Conſil. Marburg. Vol. 3. Conſil. ult. At negativam tuetur *Erneſtus Cothman*. Vol. 4. Conſ. 3. & 4. Nos Principem regentem Apanagiatorum filias dotare non teneri, multo minus eo intuitu ſubditis tributa imperare regulariter poſſe putamus, ſed tunc demum, ſi tale quid per conſuetudinem aut pacta fuerit receptum, qualia ſpeciatim in domo Würtenbergica adeſſe, ejusque primogenitum omnibus filiabus dotem ita debere conſtituere, daß ſolch Heyrathguth NB. von der Landſchafft Einkommen, abgeſtattet werde, ex Landtags-Abſchied de 1565. docet *Myler* ad Rumelin. part. 3. diſſ. 5. §. 14. p. 779. In Ducatu Gothano Apanagiatorum filiabus Dux regens 3000. thl. ex reditibus Cameralibus, Status Provinciales autem præterea aliquid conferre jubentur in teſtamento Friderici Ducis de 1685. apud *Ludolf* de jur. primog. p. 267. ibi: Nachdem aber auch die von denen jüngern Herrn künfftig herſtammenden Princeßinnen billig dergleichen Sorgfalt zu haben: als ermahnen wir hiemit alle unſre Fürſtliche Nachkommen derer jüngern Linien, da uns GOtt ſolche gnädiglich gönnen wird, daß ſie durch vernünfftige Haußhaltung in der Furcht Gottes dahin trachten, damit ſie den himmliſchen Seegen behalten, und es ihnen, die ihrigen Chriſt-Fürſtlich zu verſorgen daran nicht mangeln möge. Zu deſto beſſerer und vergnüglicherer Ausſtattung aber nur gedachter Ihrer Princeßinnen verordnen wir vor eine jedwede dererſelben 3000. Thl. welche zu Erhöhung des Heyrath-

Guths aus des regierenden Printzens Cammer-Mitteln auf verglichene Fristen ausgezahlet werden sollen: Und ist hiernechst bey der Landschafft es dahin zu richten, damit sie ihre unterthänigste Devotion bey solchen Fällen gleichergestalt erweisen, und also die Standsmäßige Ausstattung und Ausfertigung der Gebühr nach ohnnachbleiblich geschehen möge.

§. DLXXV.

An ipse Apanagiatus subditos collectare potest?

Ejusdem generis quæstio est, an Princeps Apanagiatus subditis suis maritagii collectas recte imponat? quam eo securius negamus, quo pluribus modo ostensum, ne quidem primogenitis ac regentibus Principibus hoc jus in dubio competere, qua ergo ratione Apanagiatis, qui regulariter nec Regalibus, nec jurisdictione territoriali, sed solis reditibus per modum provisionis gaudent. Quodsi tamen Apanagium improprium Principi postgenito ita constituatur, ut ipsi territorium quoddam, cui jus maritagii collectas exigendi est annexum, plene concedatur, isque desuper separatim forte investiatur, tunc vi hujus dispositionis Apanagiato quoque (qui tamen tunc improprie talis dicitur) jus maritagii collectas imponendi vindicandum erit. Add. *Springsfeld.* de Apanag. c. XI. n. 210. p. 224.

§. DLXXVI.

An Vasallis idem quod subditis onus incumbit?

Denique restrictiva, quam collectarum materia requirit, interpretatio jubet, ne quod subditis incumbit, Principis filias dotandi onus temere ad Vasallos proferamus. Nihilominus si non ipsos Vasallos, eorum tamen subditos ad maritagii collectas teneri asserit & præjudicio Scabinorum Jenensium de 1600. confirmat *Fritsch.* de dotatione filiæ Principis c. 7. §. 3. n. 12. Mihi hæc Jenensium sententia non omnino optimo fundamento niti videtur. Sane quod in fine addunt, posse subditos ab obligatione, qua tenebantur, dotandi Principis sui filias liberari, si intra tempus legitimum maritagii collecta ab iis nulla fuerit postulata, utut commodæ easdem postulandi sese obtulerint occasiones, his verbis: Es könnten denn die Unterthanen beweisen, daß von ihnen über rechts verwährte Zeit nie nicht, um einige Zulage zu solcher Ehe-Steuer, deren

ren sich doch viel zugetragen, angelanget, in solchen Fall würden sie hinfüro mit solcher Neuerung verschonet, id inquam non simpliciter admittendum. Est enim collectarum impositio respectu imponentis res liberi arbitrii, meræ facultatis, quæ fieri & omitti, pro lubitu citra præjudicium potest, quamobrem non-usus ejusmodi juris, utut per aliquot Secula continuatus, fraudi esse non debet, nec ad præscribendam exemtionem a maritagii collectis sufficit, easdem per longissimum tempus non esse petitas, sed requiritur potius, ut petitæ fuerint *denegatæ*, & dominus in hac subditorum denegatione acquieverit, iisque per accedentem temporis a lege præscripti lapsum jus firmum sit quæsitum.

TITULUS IV.

Quid & quantum dotis nomine detur?

* * *

Immobilia raro a Principibus in dotem dantur. Pecuniæ in dotem dari ſolitæ quantitas pro pactorum & conſuetudinum diverſitate varia deprehenditur, nec ad legitimæ regulas præciſe exigenda. Jocalia in dubio ſub dote nec comprehenduntur, nec ejus jure & privilegiis gaudent, ſed receptitiis annumerantur.

§. DLXXVII.

Regna in dotem data. Dari poteſt in dotem, utpote quæ pacto conſtituitur, res quævis quæ in commercio exiſtit, & proinde pacti objectum conſtituit, ſive corporalis ſit, ſive incorporalis ſive mobilis, ſive immobilis. *

* An & omnia bona a fœmina dari poſſunt in dotem? Reſp. Aff. modo præjudicium nemini inde oriatur. Quare vidua ſecundo marito tantam ſaltem conſtituere poteſt dotem, quæ liberis ex priori matrimonio ſuſceptis legitimam ſalvam, quæ naturali jure ſola alimenta neceſſaria complectitur, relinquit. Jure Romano vidua ſecundo marito plus in dotem dare nequit, quam ad unumquemque liberorum pervenit L. 6. C. de ſecundis nuptiis. Mulier parentes adhuc habens omne ſuum peculium recte in do-

tem

tem dat, quia eadem mortua dos redit ad heredes. Quodsi vero simul paciscatur, ut dos apud maritum superstitem remaneat, tunc parentibus minimum legitima relinquenda.

§. DLXXVIII.

Nec desunt exempla integrorum regnorum in dotem datorum. Cœle-Syriam una cum Phœnicia Judæaque & Samaria Ptolomæo Epiphani Ægypti Regi ab Antiocho Magno Syriæ Rege, data in matrimonium Cleopatra filia, dotis nomine concessam testatur *Josephus* Antiq. Judaic. L. 12. c. 3. Regni *Lusitanici* primordia ita describit *Rodericus Sanctius* Hist. Hispan. P. 3. c. 29. Alfonsus (Sextus Castellæ Rex) ex quadam concubina genuit Theresiam, quam nupsit Henrico Comiti Lotharingiæ, & dedit eis in dotem partem Galliciæ, quæ nunc Portugallia vocatur, ex quibus descendunt Portugalliæ Reges. In eodem Portugalliæ Regno postquam Sanctius Rex jussu Innocentii IV. Alphonso fratri regno cessit, quod ineptus esset ad ejus administrationem, Alphonsus, ducta uxore Beatrice, filia Alphonsi X. Castiliæ Regis, Regnum *Algarbiorum* in dotem accepit. Unde Reges Portugalliæ deinceps se ita inscripserunt, ut refert *Vasæus* Chron. Hispan. ad an. 1260. *tum patrimonialia*

De *Arragonia* ita ferunt tabulæ dotales, quibus Ramirus Rex filiam Petronellam Raimundo Barcinonensi Comiti dat in matrimonium, apud *Lucium Marinæum* de Reb. Hisp. L. 8. Ego Ramirus, Sanctii Regis filius, Rex Arragonensium, dono tibi Raimundo Comiti Barcinonensi cum filia mea meum Regnum Arragoniæ ab integro totum.

Otto IV. *Burgundiæ* Comes 1295. cum filia sua Joanna totum suum Comitatum Philippo Pulchro Galliæ Regi administratorio nomine filii sui, futuri mariti prædictæ Joannæ dat, & irrevocabiliter assignat in dotem apud *du Mont* Corps diplomatique T. 1. num. 529.

In *Sicilia* mortuo Tancredo, qui occupaverat regnum, Cœlestinus III. Papa eduxit ex cœnobio monialium Panormo Constantiam, jam Monialem, filiam Rogerii Regis Siciliæ, & eam nuptui dedit Henrico VI. Friderici Ænobarbi filio, & una in dotem Regnum Siciliæ. *Platina* de Vitis Pontificum in Cœlestino III.

Char-

Charlotta Jani II. *Cypri* Regis filia Ludovico Sabaudo 1459. nupta in dotem attulit Cypri regnum. Ipsas tabulas exhibet *Guichenon* Histoire de Savoie dans le Preuves p. 326. De *Neapolitano* regno scribit *Mariana* Hist. Hisp. L. 24. c. 11. Conjugium Ferdinandum inter Neapolitanum Regis nepotem & Isabellam Ferdinandi filiam pactum est. In cultum puellæ ducenta aureorum millia a Neapolitano promissa, tantundem quarta minus parte a patre, si alia proles mascula in spem regni esset suscepta. Alioqui amplissimi regni spes dos esset.

Maria *Scotiæ* Regina Francisco II. Gallo Regnum in dotem attulit, & post hujus mortem secundo itidem marito Henrico Darlæo Stuarto.

Carolus VIII. Galliæ Rex cum Anna Britanniæ minoris Ducissa Ducatum Britanniæ dotis nomine accepit. Vid. *Baco de Verulam.* Historia Henrici VII. Angl. Regis p. 160.

§. DLXXIX.

tum libera. Observare juvabit, non modo regna patrimonialia posse esse dotalia, sed & libera regna ab ordinibus Reginæ sub formula certa collata, interveniente eorum, quorum interest consensu, in dotem posse dari, prouti constat, Poloniæ regnum Hedwigi, dum Jagelloni nuberet, in dotem ab ordinibus fuisse concessum.

Pariter Theodelinda Longobardorum Regina mortuo Anthari marito, regnum ex Procerum consensu in Agilulfum Ducem Taurinatium transtulit apud *Paulum Diaconum* de gest. Longob. L. 3.

Nec protinus regna jure uxorio acquisita, atque ad liberos transmissa pro dotalibus sunt habenda, quippe quæ ad Reginam potius, quam Reginæ maritum spectare videntur. Nonnunquam etiam territoria non tam in dotem dantur, quam sola in iis securitas pignus & hypotheca dotis intuitu constituitur. Confer dicenda §. sq. in fine. Utut antiquo Germanorum jure per ejusmodi pignus ipsum ejus dominium revocabile fuerit translatum. Quorsum pertinet Diploma Henrici illustris Misniæ Marchionis apud *Tentzel.* Histor. Gothan. Supplem. 2. p. 626. Henricus Dei gratia Misnensis & Orientalis Marchio, & Thuringiæ Landgravius, & Saxoniæ Comes Palatinus, & terræ Plisenensis Dominus. Cum per gloriosissimum Dominum nostrum

noſtrum Fridericum Romanorum Imperatorem *in obſtagio* decem millium marcarum argenti, ratione ſponſalitii filiæ ſuæ Margarethæ filio noſtro Alberto deſponſatæ adepti ſumus *dominium* Pliſenenſis terræ &c.

§. DLXXX.

Plerumque terras in dotem dare prohibetur.

At cum publicæ rei interſit, territoria integra ſervari, multis in regionibus pactis legibusque fundamentalibus eſt cautum, ne filiabus illuſtribus dos in bonis immobilibus ſeu terris conſtituatur. Univerſæ Aſiæ & Africæ communem eſſe morem, ut præter pecuniam aut ſuppellectilem puellæ nubenti nil detur, teſtatur *Bodinus* de Republ. L. 5. c. 2. p. 835. Eundem in plerisque etiam Europæ regnis & ditionibus ſervari inter omnes conſtat. Nota eſt præ ceteris Salica lex, qua cavetur, ne de terra Salica ulla portio mulieri veniat, vi cujus hodienum fœminas a Galliæ domaniis arceri volunt. *

* Negari tamen nequit, Salicam legem potius Franciæ Orientali, quam Occidentali ſive Galliæ originem ſuam debere, & diu ſatis poſt conditam legem Salicam in more poſitum fuiſſe Galliæ Regibus, ut filiabus ſuis nupturis integras regni ſui portiones in dotem darent. Sic Margarethæ filiæ Ludovici junioris, & ſorori Philippi Auguſti, cum Henrico III. Anglo nuberet, Vexinum Comitatum in dotem fuiſſe traditum, docet *de la Force* Etat de France c. 2. in fin. addens, morem illum, quo fœminæ a Galliæ domaniis excluduntur, derivandum eſſe ex teſtamento Caroli V. Regis 1374. condito, quo cavetur, ut nonniſi pecunia numerata Regum filiæ dotentur, quæ inde ab hoc tempore ſemper, dote accepta, omni reliquæ ſucceſſioni paternæ æque ac maternæ renuntiare ſunt juſſæ. At obſervat *Joannes Tilius* de rebus Gallicis p. 199. Reges agros ad regnum pertinentes filiabus pro dote ipſarumque liberis ſaltem oppignoraſſe, & quod ipſis dotis nomine tribuitur, improprie vocari aſſignationem. Cumque Henricus III. Angliæ Rex liberis caruiſſet, Philippum Auguſtum Galliæ Regem Comitatum Vexinum repetiiſſe, & recuſantibus Anglis recuperaſſe armis.

§. DLXXXI.

An in Germania?

Ex Germaniæ Principatibus nonnulli adeo in plena possessorum proprietate sunt, ut in fœminas pro lubitu vel integri vel pro parte transferri, ac in dotem dari valide possint, quod Brunsuicensibus ditionibus quondam obtigit. Pomeraniam Micislaus II. Poloniæ Rex Belæ in dotem dedit apud *Martin. Cromer.* L. 3. Maria Wilhelmi Juliacensis filia 1496. Joanni Clivensi in dotem attulit Ducatus Juliacensem & Montium. Balthasar Thuringiæ Landgravius uxorem duxit Margaretham, Alberti Noribergensis Burggravii filiam. Doti dantur oppida Heldburgum, Hilperhusa, Eisfeldia. *Fabric.* Orig. Sax. L. 6.

Aliæ contra ditiones ob qualitatem feudalem aut alia pacta in dotem dari plane prohibentur. Hinc si feuda dantur in dotem, desuper domini directi consensus requiritur, quem intervenisse dubitandum non est in variis feudorum in dotem datorum exemplis, quæ affert *Struv.* de Allod. Imper. th. 4. e. c. terra Pleisensis, seu Comitatus Altenburg primum per Bassenam Comitem Pleissensem Ditgramo Wettinensi Comiti obvenit. *Fabric.* Orig. Saxon. L. 5. p. 513. post Alberto Degeneri Thuringiæ Landgravio una cum arce & dignitate Burggravii Altenburgi & Leisnicii & Coldicii præfecturis, ducta Friderici II. Imperatoris filia, in dotem fuit concessa *Lang.* Chron. Citicens. ad an. 1272. *Fabric.* L. 6. p. 588. cum tamen singula hæc feuda Imperii vexillaria asserat *Albinus* in der Meißnischen Chronick p. 182. Catharina Hennebergica Friderico Strenuo Thuringiæ Landgravio Coburgensem ditionem dotis loco attulit. *Fabric.* L. 6. p. 650. Fridericus Admorsus Thuringiæ Landgravius ducta Elisabetha Arnshaugiensi in dotem accepit Neustadium & Jenam *Fabric.* L. 6. p. 609. *Albin* Chron. Misn. p. 191. Deficiente domini directi consensu ipsa talis dotis constitutio est nulla. Hinc cum Georgius Dives Bavariæ Dux in Rupertum generum terras transferre vellet, Maximilianus I. ad Bavariæ inferioris Ordines mandata dabat, ne quid adversus Imperii feudorumque leges aggrederentur *Adlzreiter* Annal. Bojor. P. 2. L. 9. n. 75.

§. DLXXXII.

Nonnunquam Principatus in dotem dari pacto familiæ prohibentur. Sic in divisione Electorali Brandeburgica de 1473. cautum, daß kein Marggraff

graff solle Land und Leuthe zum Heyrathguth geben. Vid. *Springsfeld.* de Apanag. c. 12. n. 35. p. 241.

§. DLXXXIII.

Inter mobilia, quæ in dotem dari ſolent, eminet pecunia numerata, cujus quantitas in illuſtribus familiis plerumque per leges vel pacta eſt determinata, quorum tenor probe eſt inſpiciendus. Nunc enim dotis quantitas ad ſummam certam reſtricta deprehenditur in favorem Principis regentis, ita ut licet Principiſſæ elocandæ dotem majorem poſtulare nequeant, Principi tamen ſit integrum ex affectu peculiari vel intuitu dignitatis eminentioris, qua forte ſponſus pollet, largiorem indulgere. Mox vero dotis quantitas in ſucceſſorum favorem reſtringitur, adeo ut iis majus onus imponi nequeat, utut hoc quoque caſu de bonis propriis ad familiam haud ſpectantibus dotem augere liceat. Luſtrabimus regna potiora ordine Geographico, Germaniæ Principibus ad calcem ſervatis. *Quantitas pecuniæ dotalis.*

§. DLXXXIV.

Luſitaniæ Principiſſarum dos ſolet eſſe 100000. ducatorum. Conf. §. 601. *In Luſitania & Hiſpania.*

Hiſpanicarum 500000. thal. quam ſummam Ludovici XIII. & XIV. Galliæ Regum ſponſæ quoque attulerunt. De Catharina Arragonia, nubente Arthuro, Henrici VII. Angliæ Regis filio ſcribit *Baco de Verulamio* Hiſt. Henrici VII. p. 337. Summa dotis fuit ducenta millia ducatorum, quorum 100000. ſolvi debebant poſt decem dies a ſolenniſatione matrimonii: altera vero centum millia æquis portionibus proximis duobus annis. Pars tamen poterat per jocalia aut vaſa aurea & argentea repræſentari. Mariæ Antoniæ Hiſpanicæ 1750. Victori Amadeo Sardiniæ Principi hereditario nuptæ dos 300000. piſtolettarum promiſſa.

§. DLXXXV.

In *Gallia* inde a Caroli V. Regis temporibus ad Henricum II. dos Regiarum filiarum fuit 100000. thal; ab Henrico II. usque ad IV. nunc 300000. nunc 400000. thal. ab Henrico IV. ad noſtra usque tempora *In Gallia.*

500000. thal. (sive aureorum solis, quorum singuli valent 16. Reales) qui tamen filiæ suæ tertiogenitæ Henricæ Mariæ Carolo I. Magnæ Britanniæ Regi nuptæ dedit dotem 800000. thal. ceu patet ex tabulis dotalibus apud *du Mont* Corps diplomatique Tom. 3.

Bodinus de Republ. L. 5. c. 2. p. 857. scribit, Carolum IX. Galliæ Regem 1563. legem tulisse, qua dotes omnium maximæ decem libellarum millibus terminantur, pœna mille aureorum constituta, qui fraudem legi fecisset. Sed legem ipsam non antiquitate, sed novitate sua evanuisse, tametsi nec Philippus Bellus Elisabethæ Anglorum Regi Eduardo II. nuptæ, nec Carolus V. filiabus Regum majorem dotem constituissent.

§. DLXXXVI.

In Anglia & In Anglia dos filiarum Regiarum Seculo XIV. fuit 10000. ℔. Sterling. Seculo XV. & sequenti 30000. Seculo XVII. 40000. ℔. Anno 1733. Parlamentum Annæ Principi Arausionensi nuptæ dotem 80000. ℔. Sterling constituit. Conf. §. 601.

Dania, In Dania adhuc Seculo XVI. Christianus III. Rex filiæ Annæ, Augusto Saxonum Electori nuptæ nonnisi 30000. thal. dotem dedit. Sequioribus temporibus 100000. imo novissime 300000. dati, ut fama tulit.

Suecici regni constitutionibus Regis filiabus dos 100000. thal. est definita, teste *Bureo* in Sueciæ descriptione p. 6.

§. DLXXXVII.

In Polonia & In Polonia Casimiri II. Regis filiæ, Bogislao Pomeraniæ Duci nuptæ, dotem fuisse viginti millia sexagenarum Pragensium docet *Cromer*. L. 12. Casimirum M. Poloniæ Regem sanxisse in Comitiis 1368. ne dos filiæ Palatini ditissimi 100. Marcas excederet, si fratres fuerint superstites, in minus ditibus minorem statuisse dotem refert *Arnisaus* de Republ. c. 3. p. 108.

Russia, Russorum Imperatrix Catharina, filiæ suæ Duci Holsato-Gottorpiensi nuptæ 300000. thal. in dotem dedit.

§. DLXXXVIII.

In Sicilia per regni leges licet Regi pro maritagio filiæ ſummam quinque millium unciarum auri Vaſallis & ſubditis imponere. Vid. *Marius Muta* in Comment. ad Capitul. Sicil. Tom. 1. c. 6. Manfredus Siciliæ Rex, filius naturalis Friderici II. Imperatoris filiæ ſuæ Conſtantiæ Petro III. Arragonio nuptæ dotem dedit 50000. unciarum auri, ſeu ut *Mariana* Rer. Hiſp. L. 13. rem effert, 12. myriades auri, cum ſpe ſuccedendi in Siciliæ regnum: Numerat ſine dubio Mariana Realen ſeu Stück von achten, quorum ſedecim faciunt einen Species Thaler. Sed & hac ratione ingens ſatis ſumma relinquitur. *InSicilia.*

§. DLXXXIX.

Sabaudicarum Principiſſarum dos Seculo XIV. fuit 50. nunc 60000. fl. Inde a Seculo XV. hodienum 200000. Scudi. Imo Maria Franciſca Eliſabetha Sabauda Alfonſo Luſitaniæ Regi attulit dotem 600000. thal. & poſtea ejus fratri Petro myriadem Ducatorum, une million de *Croiſades* ou ducats. Ipſas tabulas exhibet Recueil des traittes de paix T. 4. n. 81. adeo ut majorem dotem reperire hactenus haud licuerit. *In Sabaudia.*

§. DXC.

Apud Florentinos Maria Medicæa Henrico IV. Galliæ Regi attulit 600000. thal. Tabulas dotales exhibet *du Mont* Corps diplomatique T. 5. P. 2. p. 4. *Apud Florentinos.*

Apud Mediolanenſes Blanca Maria Sfortia Maximiliano I. Imperatori attulit dotem 400000. ducatorum, & pro mundo muliebri 20000. ac præterea a cognatis 100000. teſte *Ponto Heutero* Rer. Auſtr. L. 5. c. 11. *Mediolanenſes.*

Apud Mantuanos Ludovica Maria Gonzaga Vladislao IV. Poloniæ Regi attulit dotem 700000. thal. a Galliæ Rege ipſi tanquam Regii ſanguinis Principiſſæ conſtitutam apud *du Mont* Corps diplomatique T. 6. p. 326. *Mantuanos &*

Veneti teſte *Bodino* de Republ. L. 5. c. 2. p. 817. lege de dotibus lata mille ſexcentis aureis patriciæ dotem definiverunt, ne familiarum illuſtrium opes dotibus exhauriantur. Si vero patricius plebejam uxorem duceret, *Venetos.*

duobus quidem aureorum millibus dotem terminaverunt, ſed legem facile antiquari patiuntur, ut patriciorum quorundam egeſtati locupletiorum plebejarum nuptiis, & utriusque ordinis concordiæ conſuli poſſit.

§. DXCI.

In Germania. In Germania ex gente Auſtriaca Albertus II. Imperator, hocque mortuo Fridericus III. Annæ filiæ Alberti, Wilhelmo Forti Saxoniæ Duci nuptæ, conſtituit dotem 100000. ducatorum, 30000. pro Auſtria, & 70000. pro Hungaria & Bohemia.

Maximilianus I. nepti Eliſabethæ, Chriſtiano II. Daniæ Regi 1514. nuptæ 250000. fl.

Cum Ferdinandus I. Imperator duceret Annam Uladislai Hungari filiam, Ludovicus II. Hungariæ Rex autem Mariam, Philippi Hiſpaniæ Regis filiam, Maximiliani Imperatoris neptem, conſtituebatur cuivis dos 200000. fl. Hungar. utrinque compenſanda, ita ut neutra pars ad illius ſolutionem obligata eſſe debeat.

Ferdinandus II. filiæ Mariæ Annæ, Maximiliano I. Bavariæ Electori nuptæ, 100000. fl. dedit pro dote.

Joſephi Imperatoris filiæ ſingulæ acceperunt dotem 100000. fl. ex ditionibus Auſtriacis, quibus Hungariæ & Bohemiæ intuitu acceſſere 400000. fl. præter jocalia & veſtes.

§. DXCII.

In Bavaria, Ex Bavarica gente Eliſabetha Alberti III. filia Erneſto Saxoniæ Electori 1450. nupta accepit dotem 20000. fl. At Maria Anna, Ferdinandi Mariæ Electoris Bavariæ filia, Ludovico Galliæ Delphino 1679. nupta, ei attulit 100000. thal. ac jocalia & ornamenta ejusdem valoris.

§. DXCIII.

In Saxonia, Saxoniæ Electorum filiæ 30000. thal. Ducum 20000. nunc florenos Miſnicos, nunc thaleros pro dote acceperunt. Equidem in confraternitate Saxo-Haſſiaca de 1392. dos 12000. fl. determinata, & Joannes Georgius I. Elector adhuc teſtamento ſuo 1652. filiabus Saxonicis a ſe deſcen-

ſcendentibus aſſignat dotem 12000. thalerorum ex Electoratu: Aber mit Silber, Schmuck und Kleidung ſollen dieſelben Fürſtlichen Töchter von ihren Eltern verſehen werden. At pacto confraternitatis Saxo-Haſſiaco de 1431. repetito 1614. ſingulis filiabus & ſororibus ultimi ſtirpis exareſcentis proſpicitur de dote 24000. fl. Rhenenſ. cum additamento, ut ſi ultimus unicam relinquat filiam, eadem præterea 20000. fl. ſin duas, quælibet 10000. fl. pro augmento capiat, ſin plures, nulla augmentum capiat.

§. DXCIV.

Brandenburgicæ domus ſobolem dotis nomine 24000. thal. accipere ſcribit *Bœhmer* de ſecundis illuſtrium nuptiis p. 146. Anno 1447. facta diviſione inter Friderici I. liberos dos Principiſſarum ad ſummam 20000.fl. Rhenenſ. reſtricta, daß die Herrſchafft deſto minder damit beſchweret werde. Imo 1473. per diſpoſitionem Alberti Achillis ad 10000. fl. Rhen. daß unſern Töchtern, auch denen Töchtern, die unſre Söhne ehelich überkommen, ihrer keiner über 10000. Rheiniſche Gulden zu Heyrathsgut pflichtig ſeyn ſoll zu geben, dazu eine zierliche Fertigung. Anno 1543. Georgii Marchionis teſtamento 12000. fl. Rhen. conſtituti cum augmento octo millium, ſi maſculi defecerint. At Principum hujus domus liberalitas raro vel nunquam Principiſſas tantilla dote contentas eſſe juſſit. *In Brandenb.*

Jam Fridericus IV. Beatrici Alberto Auſtriaco 1375. nuptæ dotem 30000. fl. dedit.

Joannes Marchio Dorotheæ Daniæ Regi 1445. nuptæ 100000. fl.

Albertus Achilles Urſulæ Henrico Munſterbergenſi Duci 1467. nuptæ 20000. fl. Sibyllæ, Guilielmo Duci Juliacenſi 1480. nuptæ 20000. Eliſabethæ 1482. Hermanno Hennebergico Comiti nuptæ 10000. Anaſtaſiæ Wilhelmo Haſſo 1482. nuptæ 25000. fl. cui viduæ factæ, & Wilhelmo Hennebergico nuptæ, frater Fridericus dotem 10000. fl. Rhen. promiſit.

Georgius Pius Marchio filiæ Annæ Mariæ, Chriſtophoro Wurtenbergico 1544. nuptæ, dotem conſtituit 12000. fl. 10000. wegen des Burggrafthums, und 2000. wegen eigener und ſonderer Güther. Ejusdem filiæ Sabinæ, Joanni Georgio Electori Brandenburgico nuptæ, frater Georgius

gius Fridericus 1547. promittit 10000. fl. von dem Fürstenthum des Burggrafthums Nürnberg, und 2000. von wegen eigener besonderer Güther.

Albertus junior sorori Cunigundæ Carolo Badensi 1551. nuptæ 10000. fl. nach Ordnung und Satzung des Haußes Brandenburg, und 6000. fl. aus freundbrüderlichen Willen.

Christianus Marchio filiæ Annæ Mariæ, Joanni Antonio Eggenbergico 1639. nuptæ 200000. thal. aus sonderbahr erheblich bedencklichen Ursachen, ohneracht es wieder altväterliche Compacta des Haußes lauffe.

§. DXCV.

In Palatinatu.

In domo Palatina Fridericus III. Elector filiæ Elisabethæ, Joanni Friderico II. Saxonum Electori nuptæ, 1558. dedit dotem 16000. fl. at Dorotheæ Susannæ Joanni Wilhelmo Vinariensi 1560. nuptæ 32000. fl.

Philippus Ludovicus Neoburgensis filiæ Annæ Mariæ, Friderico Wilhelmo Altenburgico 1591. nuptæ, dedit 20000. fl.

Philippus Wilhelmus Elector Elisabethæ Jacobo Regio Polonico Principi 1691. nuptæ 100000. fl. Rhen.

§. DXCVI.

Apud Brunsuicenses.

Apud Brunsuicenses Ericum Ducem 1431. defunctum filiæ suæ Margarethæ Simoni Comiti Lippiaco nuptæ nonnisi 500. Rheinische Gold-Gulden in dotem dedisse ex Chronico quodam annotat *Zeiller.* Epist. 286. p. 842.

Clara Henrica Francisci Gifhornensis filia Henrico Burggravio Misnensi 1563. nupta accepit 12000. thal.

Antonius Ulricus Augustæ Dorotheæ, Antonio Gunthero Comiti Schwarzburgico 1684. nuptæ, dedit 10000. thal. præter jocalia & vestes. Ipsas tabulas dotales vide in *Lünig.* Spicilegio Secular. T. 2. p. 1306. At *Augustin Leyser.* de feudis Brunsuicensib. p. 19. scribit, dotem Principissarum Brunsuicensium 20000. fl. Imperial. per Recessum de anno 1586. n. 9. §. 3. & de an. 1605. esse determinatam.

§. DXCVII.

§. DXCVII.

Apud Mecklenburgicos Magnus Dux Sophiæ Joanni Constanti Saxonum Electori 1500. nuptæ dedit 16000. fl. Conf. §. 790. *Apud Mecklenburgenses.*

In Ducatu Würtenbergico Ducis regentis filiæ accipiunt 32000. fl. Apanagiatorum 20000. ex tributis provincialibus, vi transactionis inter Christophorum & Georgium de 1565. & Landtags-Abschied de 1607. nec non brüderlichen Vergleichs de 1617. & 1628. *Würtembergenses.*

Holsatiæ Duces filiabus suis dant 20000. thal. *Holsatos.*

Ex Hassiaca gente Henricus Ferreus Hedwigi, seu Adelheidæ Casimiro III. Poloniæ Regi nuptæ, dedit 2000. sexagenas Pragenses teste *Cromer.* L. 12.

Henricus III. Landgravius Elisabethæ Joanni Nassovio Comiti 1478. nuptæ dedit 16000. fl. Mechtildi Joanni Cliviæ Duci 1481. nuptæ 25000. fl.

Wilhelmus Elisabethæ Joanni Saxoniæ Duci 1519. nuptæ itidem 25000. fl.

Philippus Agneti Mauritio Saxoni 1541. nuptæ 25000. thal.

Badensium filiarum dotem esse 15000. fl. scribit *Ludolf.* de jur. Fœm. illustr. p. 163. *Badenses & Anhaltinos.*

Ex Anhaltinis Joachimus Ernestus Agneti Hedwigi Augusto Saxoni Electori 1586. nuptæ dedit 15000. thal. & Dorotheæ Mariæ, Joanni Vimariensi 1593. nuptæ 15000. fl.

§. DXCVIII.

Apud Nassovios Joannes Comes Elisabethæ Christiano Waldecciæ Comiti 1604. nuptæ assignat zu rechten Heyrathguth aus der Grafschafft Nassau 4000. fl. und denn aus Weyland der Wohlgebohrnen Frauen Magdalenen gebohrnen Gräfin zu Waldeck, als des Freuleins Frau Mutter seel. Verlassenschafft 2000. fl. und also in einer Summe 6000. fl. *Apud Nassovios.*

Ludovicus Comes sorori Annæ Ottiliæ Wilhelmo Comiti in Sayn & Witgenstein nuptæ 1609. 8000. fl.

Henricus Princeps filiæ Sophiæ Augustæ Wilhelmo Anhaltino 1696. nuptæ zu einem rechten und wahren Heyrathguth das was in unsern

Fürstl. Hauße Nassau Dillenburg Herkommens und üblich ist, wozu unserer Tochter Ebden aus ihren propern Mitteln und Eigenthum so viel in dotem conferiren, und einbringen werden, daß die gantze Summa des eingebrachten sich auf 20000. Thaler betragen wird.

§. DXCIX.

Apud Hohenlohicenses. &c.

In gente Hohenloica, cum Eva Christina, filia Philippi Ernesti 1646. Wolfgango Friderico Hohenloico nuberet, fuit conventum: Es sollen hochwohlgedachten Freulein innhalts dieser Graffschafft Neuensteinischer Linie verneuerter Erbeinigung von beeden Ihr. Gn. Herrn Gebrüdern Herrn Graf Joachim Albrechten, und Herrn Graf Heinrich Fridrich, zu rechter Ehe-Steuer gegeben werden 5000. fl. an Geld und 3000. fl. sich mit nothwendigen Kleidern und Kleinodien ihren Stand gemäß damit auszurüsten. Zum dritten will Herr Hochzeiter von obbenanten 5000. fl. allein 4000. fl. und mehrers nicht, als ein Heyrathguth, und mit 4000. fl. zu wiederlegen annehmen, und bleiben die übrigen 4000 fl. der Freulein Hochzeiterin, als mit deren eigenen freyen patrimonio zu schalten und walten, in Handen.

Schwarzburgicarum dos est 4000. Gold-Gulden.

Solmensium 6000. Thal.

Saynensium 6000. fl.

Schœnburgicarum 4000. Thal.

In Principatu Waldeccensi Principis regentis filiæ pro dote 4000. thal. Apanagiatorum autem filiæ a regente Principe 300. thal. pro jocalibus accipiunt

§. DC.

Rerum aliarum in dotem datarum.

Quanquam vero illustrium filiarum dotes plerumque in numerata pecunia consistere solent, nihil tamen prohibet, quo minus aliæ quoque res mobiles e. c. jocalia, vestes nuptiales, imo in ipsis nuptiarum solennitatibus consumtæ res in dotem dari possint. Huc pertinet, quod §. 584. monui-

nuimus, partem dotis, quam Catharina Hispanica Arthuro Angliæ Principi attulit, in jocalibus, vasis aureis & argenteis constitisse.

§. DCI.

Sic & Maria Henrici VII. Angliæ Regis filia Ludovico XII. Galliæ Regi nupta, 200000. Coronarum auri accepit pro apparatu, vasis aureis, argenteis, jocalibus, & transmissionis sumtibus, quæ dimidiam faciebant partem dotis, quam attulit marito. Vide tabulas dotales apud *du Mont* Corps diplomatique T. 4. p. 188. *Exempla.*

Beatrix Lusitanica Carolo Sabaudo 1522. dotis nomine attulit 150000. ducatos, sub qua summa continebantur jocalia ad valorem 22000. ducatorum, vasa 15000. aulæa, domusque paramenta 8000. ducatorum.

Imo pactis dotalibus Mariæ Franciscæ Elisabethæ Sabaudæ cum Alfonso Lusitaniæ Rege cavebatur, ut itineris sumtus in dotem computarentur: Sur la quelle somme d'une million & deux cens mille livres Tournois sera prise la somme de quatre vingt dix mille livres, & mise entre les mains de la Serenissime Princesse, pour fournir a la depense de son voyage, & autre, qui conviendra faire en partant sans aucune diminution de douze cens mille livres a l'egard de la restitution de la dot.

§. DCII.

Sæpius incidit controversia & quæstio, num jocalia, vestes pretiosæ, ipseque apparatus nuptialis regulariter sub dotis appellatione comprehendi debeant? Accuratiores dotis constitutionem dotationem appellant, Ausstattung, Aussteurung, id vero quod ad apparatum sponsæ pertinet, elocationem, die Fertigung, Verbesserung, Mehrung, item das Schmuck- und Silber-Geld. Prius videbimus, an is, qui dotare tenetur, etiam jocalia sumtusque nuptiales suppeditare tenetur? deinde an etiam suppeditati sumtus nuptiales iisdem cum ipsa dote juribus gaudeant? *Jura.*

§. DCIII.

Ad prius quod attinet, plerumque pactis expressis res determinari solet, quibus extantibus standum esse, nemo dubitat. Iisdem autem defi- *An qui dotare*

 cien- *etiam*

ſumtus nuptiales ferre debet?

cientibus nonnulli, in iisque *Henricus Balthaſar Roth* de ſumtibus convivii nuptialis th. 13. & 14. putant, citra præviam promiſſionem, ne patrem quidem, in cujus poteſtate ſponſus ſponſave exiſtit, ad ſumtus nuptiales teneri, quod a dote ad hos ſumtus non ſit argumentandum, cum illa ad matrimonii onera ſuſtinenda detur, hi vero in ipſo convivio conſumantur, nec ulterius proſint, ſed ſi pacta deficiant, morem regionis, ubi nuptiæ celebrantur, eſſe ſequendum. Dum enim deſponſati in certum locum, quo ſolennitates nuptiarum peragi debent, conſentiant, tacite ſimul in id conſentire videri, quod ſecundum morem in illo loco receptum pro negotii hujus ratione unumquemque deceat. Si vero regionis mos non appareat, æquum eſſe, ut non minus ſponſa quam ſponſus contribuat, nec una pars præ altera ſumtuum erogatione gravetur. Præterquam enim quod ad utrumque ſpectet hoc negotium, commodum quoque exinde proveniens communicari, & quæ a convivis nuptialibus dari ſolent munera ipſis æqualiter acquiri. Alii vero imo plerique fere Doctores in dubio eum, qui dotare debet, etiam ſumtus nuptiales ſuppeditare debere arbitrantur. Nobis neutra harum ſententiarum arridet, nec praxi inter illuſtres receptæ reſpondere videtur: ſed in dubio a ſponſa ſola ſumtus nuptiales ferendos exiſtimamus.

§. DCIV.

Neg.

Communi Doctorum opinioni obeſt ſtricta, quam pacta ſicut in genere, ita & ſpeciatim dotalia requirunt, interpretatio. Sane cum per ea quæ Tit. 2. attulimus, naturaliter dos nulla debeatur, ſed omnis ad eam obligatio arcenda ſit demum ex conventione aut conſuetudine, plane non video, qua fronte dotibus tantos ornamentorum ſumtuumque nuptialium appendices tam audacter affingere liceat, præſertim cum ornamenta hæc & ſumtus nuptiales ipſam dotem non æquare modo, ſed longe quandoque ſuperare ſoleant. Recordari hac occaſione ſubit conſilii, quod illuſtris quidam vir ſuppeditat in ſeinem Bedencken, wie ein Fürſtlich Hauß zu erhalten, inſerto diſſertationibus Beſoldianis de Regni ſucceſſione L. 1. diſſ. 5. ubi p. 59. illuſtri filiæ 2000. fl. pro dote ac 10000. pro ornamentis ac veſtibus & 6000. pro reliquis nuptiarum ſumtibus dari ſuadet. Quem calculum ſi exempli loco ſervare velimus, nobisque caſum proponere, quo Princeps vi pactorum familiæ cognatæ dotem 2000. fl. deberet, ſine addita

dita ornamentorum ſumtuumque nuptialium mentione, quis quæſo ſanus Principem talem poſt ſolutam, quam debebat, 2000. fl. dotem, appendicem ipſa ſumma principali octies majorem puta 16000. fl. pro ornamentis comparandis, nuptiarumque oneribus ferendis obligatum pronuntiare auderet.

§. DCV.

Ni pacta illos quoque requirant?

Ad Rothii ſententiam quod attinet, illa ad illuſtres ſaltem perſonas applicanda non videtur. In iis enim non tam conſuetudo loci & regionis, ubi nuptiæ celebrantur, quam familiarum conſuetudines reſpiciendæ. Illuſtres ſiquidem perſonæ ſæpiſſime in alieno territorio quidem nupties celebrant, nec tamen durante illarum tempore ut ſubditi, ſed ut hoſpites ibidem verſantur, adeoque nec legibus illius loci tenentur. Nec valet quoad illuſtres ſaltem perſonas Rothii argumentum, ab æquali munerum nuptialium acquiſitione ductum. Illa enim illuſtribus noviter nuptis non convivii, ſed ſolius affectus intuitu, ſecus ac forte plebejis offeruntur. Praxis quotidiana confirmat, ſumtus nuptiales plerumque donari ab eo, qui filiam elocat, der das Beylager ausricht. At ſi nemo, qui donare hos ſumtus velit, reperiatur, onus eosdem ferendi in ſponſam, cujus res agitur, recidit. Atque ea tunc paciſcentium, qui dotis quantitatem determinarunt, fuiſſe videtur intentio, ut dicta quantitas omnia onera filiæ elocandæ ſub ſe continere, adeoque ex illa ſumtus nuptiales ante omnia deſumi debeant: quoniam alias eadem opera, qua dotis quantitatem determinarunt, ſumtuum etiam nuptialium mentionem injeciſſent, quod aliquando fieri, §. 594. audivimus, ubi Marchioniſſas Brandeburgicas dotem 10000. fl. accipere diximus, nebſt einer ziemlichen Fertigung, quæ certe clauſula plane foret ſuperflua, ſi is, qui dotare tenetur, ipſo jure ſimul & ſumtus nuptiales ferre teneretur. In conſtitutione juris primogenituræ in Ducatu Gothano apud *Ludolf.* de jur. primog. p. 255. filiabus præter dotem 2000. thal. deputantur Fürſtliche Braut-Kleidung, etwas von Bettwerck und weiſſen Geräth, nebſt 2000. Thaler an ſtatt der Schmuck- Silber- und andrer Mobilien-Gelder. Sic & de Waldecciis audivimus §. 599. eas a Principe regente pecuniam pro jocalibus accipere.

Econtra teſtamento Joannis Georgii I. Saxoniæ Electoris cautum legimus: Der künfftige Chur-Fürſt ſolle einer jeglichen Fürſtl. Tochter zur

Haupt-Steuer 12000 Thal. aus dem Chur-Fürstenthum reichen: es sollen aber dieselbe Töchter mit Silber-Geschirr, Schmuck, Kleinodien, Kleidern und dergleichen von ihren Fürstl. Eltern selbst versehen und ausgestattet werden. Et plerumque dotem a provinciæ Ordinibus, apparatum vero a sponsæ patre solvi, observat *Jo. Georg. Estor.* de apparatu & instructu nuptiarum vulgo Aussteuer Marpurg 1744. §. 32. Ingens plane erat apparatus & mundus muliebris quingentorum millium florenorum, quem accepit Eleonora Austriaca 1669. Michaeli Poloniæ Regi nupta. Vid. *Franc. Wagner.* Historia Leopoldi M. part. I. p. 230. Aliorum apparatuum meminimus §. 592. sqq.

§. DCVI.

An sumtus nuptiales dotis jure gaudent?

Quod si vero vi pacti & consuetudinis hi nuptiarum & ornamentorum sumtus seorsim præter determinatam dotem ab alio debentur *, quæritur an dotis jure & privilegio gaudeant? Non equidem negaverim, eosdem esse appendicem, vel plane partem integrantem dotis ** respectu ejus, qui eosdem solvit, aut debet, & hactenus hos sumtus, debitaque eorum intuitu contracta pari cum ipsa dote jure & prælationis privilegio gaudere. Non tamen inde sequitur, quod pariter etiam hi sumtus dotis naturam assumant respectu novi mariti, in cujus gratiam fuerunt impensi. Ad hunc enim effectum requiritur, ut maritus solenni professione in dotem eosdem receperit, quod ni fecerit, ii nec dotis partem constituunt, nec eam, ejusque intuitu dotalitium augebunt ***: nec denique oborto super mariti bonis creditorum concursu eo, quo dos prælationis jure gaudebunt: sicut nec ob eandem rationem tali casu maritus ornamentis uxoris suæ uti frui, aut ea alienare poterit, quod tamen posset, si in dotem essent data.

* Si certa quantitas sumtibus nuptialibus est præfinita, illa omnino debebitur, licet longe minori sumtu festivitas nuptialis fuerit peracta. Vid. *Roth.* de sumtib. conviv. nuptial. th. 2:. ubi hanc thesin præjudicio Facultatis Jenensis de 1672. firmat.

** Ea enim fuisse videtur paciscentium, qui dotem talem constituerunt, intentio, ut dos illa consisteret duplici parte, deter-

minata una, certa ſcilicet pecuniæ ſumma, altera vero indeterminata pro ferendis nuptiarum ſumtibus, qui cum pro temporum, morum ac pretiorum diverſitate varient, ita determinari commode nequeunt.

*** Atque hinc eſt, quod ipſe alias a nobis diſſentiens *Klein.* de jure circa margaritas p. 81. putet, ſi ſponſæ pater pro jocalibus pecuniam dedit genero, eam a filia, genero mortuo, ſine uſuris recipi: ſi gener jocalia comparavit, filiam ea retinere, nec pecuniam poſſe repetere, licet jocalia valeant minoris pecunia, a patre ſoluta.

§. DCVII.

Vaſallum ad veſtes, ornamenta & reliquos nuptiarum ſumtus anteceſſoris ſui filiabus præſtandos obligari, aut ſi ab anteceſſore horum intuitu debitum contractum fuerit, illud a ſucceſſore feudali eſſe ſolvendum, obortoque forſan creditorum concurſu eodem, quo ipſa dos, prælationis privilegio gaudere, ex *Carpzovio*, *Mevio*, *Richtero* deducit *Klein.* de jure circa margaritas p. 53. Mihi hæc hæret ſententia. Ipſa dos ex feudo debetur non vi legis, ſed vi conſuetudinis, quæ cum univerſalis & perpetua non ſit, ſed varia & incerta, ita ut in Saxonia demum in ſubſidium, & deficiente allodio, in Pomerania & Marchia vero indiſtincte dos ex feudo debeatur, unice ipſa conſuetudo, & quousque illa ſe extendat, erit reſpicienda. Hæc enim ſi ſumtus nuptiales præter dotem determinatam præſtare jubet, quale quid in Saxonia obtinet, res dubio caret. Quodſi vero probari nequeat, conſuetudinem, quæ Vaſallo onus filiabus dotem certam ſolvendi imponit, ad indeterminatos quoque ſumtus nuptiales ſe extendere, tunc nec Vaſallos novo tali onere eſſe gravandos, vero eſt ſimile. *An inter Vaſallos?*

§. DCVIII.

Supereſt circa dotis illuſtris quantitatem quæſtio, an illa legitimam, ſeu portionem ex juris neceſſitate relinquendam æquare præciſe debeat, aut ſi eadem minor forte conſtituta ſit, num ejus complementum recte peti poſſit? Regulariter dos per omnia donationis naturam imitatur, adeoque libere citra habitum reſpectum ad quantitatem futuræ portionis heredi- *An dos legitimam æquare debet?*

tariæ,

tariæ, eâdem nunc minor, nunc major pro lubitu conſtitui poteſt, ubi tamen illud ſimul obſervari velim, quod ſicut regulariter donatio accepta a futura hereditate neminem excludit, ita nec dos, dummodo una cum aliis donationibus ob cauſam factis in hereditatem conferatur * tot. tit. Dig. de collatione & dotis collatione. Quod ſi vero parens illuſtris filiæ ſuæ dotem ita conſtituerit, ut eâdem contenta eſſe, nihilque amplius ex hereditate paterna capere debeat, tunc diſpiciendum erit, utrum pater, qui dotem hac conditione conſtituit, ſuperiorem agnoſcat, nec ne? numque proinde ſolo naturali jure, an ſimul legibus civilibus teneatur? Naturali enim jure legitima ſola neceſſaria alimenta comprehendit, quæ cum filiæ nuptæ, utpote a marito alendæ plane non debeantur, ſequitur naturaliter eidem legitimam nullam deberi, & proinde tali caſu inepte quæri, utrum dos æquare debeat legitimam?

* Si nimirum filia ſola dote contenta eſſe nolit, ſed virilem portionem ex hereditate capere malit. Ubi vero repudiata hereditate, ſola dote eſt contenta (quo caſu etiam promiſſum exigit) hæc vero in cauſa eſt, ut reliqui heredes legitimam non habeant ſalvam, iis datur querela inofficioſæ dotis ad legitimæ complementum tot. tit. Cod. de inoff. dot.

§. DCIX.

Neg. Quoties autem pater illuſtris, qui legibus civilibus, certam legitimam a parentibus liberis relinquendam præſcribentibus ſubeſt, dotem loco portionis hereditariæ filiæ nubenti aſſignat, æquare minimum debebit legitimam a lege præſcriptam, quo tamen caſu in computanda legitima ſaltem bonorum privatorum rationem eſſe habendam, publicorum non æque, res ipſa loquitur. Sola ſiquidem bona privata legum civilium objectum conſtituunt, adeoque ad ea ſola earum diſpoſitio pertingit, & proinde legitima jure civili debita ex iis tantum eſt deſumenda, intactis plane relictis bonis publicis, e quibus nulla prorſus portio legitima, in ſenſu juris civilis accepta, imperantium liberis debetur, ſed ſola ſaltem proviſio juxta leges fundamentales.

§. DCX.

§. DCX.

Sed quid si filia nubens rite & consentiente novo suo marito acceptet dotem, portione legitima longe minorem, a parente legi civili subdito, sub conditione abstinendi a reliqua hereditate datam vel promissam, adeoque reliquæ hereditati vel tacite vel expresse renuntiaverit, numne tunc non obstante facta renuntiatione nihilo secius super læsione queri, ac legitimæ complementum petere poterit. Certe cum & naturali & hodierno civili jure super hereditate futura transigere, eique gratis plane renuntiare liceat, non video, cur non idem, dote certa interveniente, licere debeat, præsertim cum legitimæ relinquendæ necessitas in liberorum favorem sit introducta, quilibet vero favori pro se introducto valide renuntiet. *Et si heredi tati simul renuntiatur.*

§. DCXI.

Iis, quæ hactenus attulimus, probe observatis, haud adeo difficile erit, de variis ejusmodi casibus obvenientibus ferre judicium. Illustris præsertim est controversia, superiori Seculo inter Gallos & Hispanos orta, cum Galliarum Rex duceret Mariam Theresiam Hispanicam, cui dotis loco quinque centum millia Scudorum sub successionis renuntiatione promittebantur. Hanc dotem tanquam legitimæ haud respondentem postea Gallus interserebat, minime esse congruam, seque hoc nomine enormissime læsum dicebat, facta propterea irruptione in Belgium Hispanicum. Tunc quidem utramque in partem res hæc scriptis pariter ac armis ventilabatur. Parum vero roboris habuisse Gallorum prætensionem, triplici ratione evincitur. Primo enim juris Romani circa legitimam dispositio solos privatos ac subditos, neutiquam vero summos imperantes stringit: & si stringeret, sola eorum bona privata non vero regna & territoria publica respicit. Denique tertio obstabat memorata modo solennis totius reliquæ hereditatis renuntiatio. *Exemplum Gallo Hispanicum.*

TITULUS V.

Quomodo dos constituatur?

* * *

Proprie dos non mortis causa, sed inter vivos, per solum pactum expressum, pro ferendis matrimonii oneribus, nunc ante nunc post nuptias constituitur.

§. DCXII.

Constituitur dos pacto. Accedo ad formam dotis illustris. Constituitur illa unice per pactum, quo res uxoris intuitu pro ferendis matrimonii oneribus datur & acceptatur. Communiter quidem Doctores duplicem modum tradunt condendi pacta dotalia. Conf. dicta de Hereditat. §. 702. unum quando illa conduntur per modum pacti seu contractus, quem innui volunt per verba haben, behalten: alterum per modum ultimæ voluntatis, adhibitis verbis, erben, succediren, aus der Erbschafft bekommen. Priori casu nullos testes requirunt, nec revocationem admittunt: posteriori easdem solennitates, quas in testamento aut codicillo requirunt, ac unius etiam revocationi, altera parte invita locum faciunt. Verum hæc omnia in tantum saltem procedunt, quatenus de futura conjugum successione, neutiquam vero quatenus de dotis constitutione, de qua hic sumus solliciti, agitur. Hanc tanquam negotium, quod inter vivos celebratur per solum pactum fieri asserimus, & quidem per pactum expressum.

§. DCXIII.

an tacito? Tacite enim dotem nunquam constitui putamus, quia est donationis species, quæ nunquam facile præsumitur, utut lubenter largiamur, renovari

vari dotem tacite posse e. c. in casu, quo uxor ad maritum post factum ab eo divortium redit, quod & leges Romanæ innuunt L. 13. 30. 40. Dig. de jure dotium, ex quibus tamen *Stryckius Brunnemanni* & *Mevii* autoritate deceptus, in notis ad Lauterbach. p. 685. male infert, tacite eandem dotem secundo marito afferri, quæ allata fuit priori, & filiæ natu minori eandem dotem tacite constitui, quam accepit natu major. Sane dispar satis ratio apparet inter casus dictarum legum & illos, quos Stryckius affert. Dos siquidem personæ sive mariti intuitu datur, qui cum in casu legum memoratarum idem ille sit, a quo prius secesserat uxor; ea sane uxoris videtur intentio, ut res pristino statui per omnia restituat, iisdemque conditionibus in matrimonium redeat, quibus illud primitus erat initum, quodque adeo pro eodem plane, non vero duobus matrimoniis est habendum. At in matrimonio cum secundo marito inito, ac illo sororis junioris, alii & diversi interveniunt mariti, alia plane matrimonia, quibus proinde nulla alia conditio, nulla alia dos accedit, quam quæ per expressam vel conventionem vel legem debetur. Observavimus §. 594. Albertum Achillem Brandeburgicum filiabus duabus senioribus, quæ Ducibus nupserant, 20000. fl. at tertiæ, Hennebergico Comiti nuptæ 10000. fl. pro dote dedisse: quartam autem Anastasiam priori marito Hasso 25000. secundo Hennebergico Comiti 10000. fl. attulisse. Fridericus III. Elector Palatinus filiæ seniori Elisabethæ Saxonum Electori nuptæ dedit 16000. fl. at juniori, Duci Vinariensi nuptæ 32000. fl. Quodsi tamen pater indefinite filiabus innuptis nuptiales sumtus promittit aut legat, eam promisisse aut legasse quantitatem videbitur, quam in ceterarum nuptias antea erogavit, ob præsumtum scilicet æqualem liberorum amorem.

§. DCXIV.

Quid vero pacto, quo constituitur dos, continetur? Diximus, eodem aliquid dari & acceptari. Dari dum volumus dotem, traditionem præcise non requirimus, sed promissionem, quam & certo sensu constitutionem vocare poteris, licet in L. 5. Dig. soluto matrim. dos constituta demum dicatur ejusdem possessione tradita, & in L. 1. Cod. de dote cauta numerationem demum facere dotem *. Nos missa hac strictiore juris civilis Romani appellatione dotem promissam etiam veram dotem putamus, adeo- *an traditio necessaria?*

 que

que & sigillatim illam dotis promissæ speciem, quæ cauta seu confessata dicitur, quamque maritus spe futuræ numerationis se accepisse per apocham fatetur. **

* Dos plerumque post nuptias celebratas solet numerari. At in pactis dotalibus Annæ Hispanicæ cum Ludovico XIII. Galliæ Rege initis, Hispaniæ Rex promittit, de paier a sa Mejesté tres Chretienne, ou a celui qui aura pouvoir & commission d' elle la somme de cinq cens mil ecus d' or de la valeur de seize Reales la piece, & ce en la ville de Paris *un jour avant la celebration* du dit Mariage.

At in pactis Mariæ Theresiæ cum Ludovico XIV. eadem summa in tribus terminis promissa, le tiers au tems de la consommation du mariage, l'autre tiers a la fin de l'année depuis la dite consommation, & la derniere troisieme partie six mois apres.

Catharina Arragonica Arthuro Henrici VII. Angliæ Regis filio attulit dotis loco 200000. ducatos, quorum 100000. solvi debebant decem dies a solennisatione matrimonii, altera centum millia æquis portionibus proximis duobus annis. Pars tamen poterat per jocalia aut per vasa aurea & argentea repræsentari. *Baco de Verulam.* Hist. Henr. VII. p. 337.

** *Corvinus* tamen in Jurisprudentia Romana Vulteji contracta p. 50. dotem cautam vocat omnem eam, quæ per dotale instrumentum est promissa.

§. DCXV.

Neg. Validum siquidem perfectum & obligatorium est pactum dotale, statim post promissionem, etiam ante traditionem factam. Imo civilia jura non modo validam pronuntiant dotis promissionem, sed præterea etiam promissam dotem tacita hypotheca donarunt, ita ut oborto creditorum circa

pro-

promittentis bona concursu, dotis ratio inter hypothecarios habeatur L. un. Cod. de rei uxoriæ actione. Naturæ vero jus sicut omnes hypothecas tacitas ignorat, ita in creditorum concursu citra debitorum distinctionem solius temporis, quo fuerunt contracta, rationem habere jubet.

§. DCXVI.

an acceptatio?

Acceptatio in pacto dotali necessaria est propter generalem pactorum indolem, quæ mutuo consensu eadem fieri præcipit. Neque est, quod dicas, hanc mariti acceptationem anxie requirendam non esse, sed potius præsumendam, propterea quod quilibet suam conditionem reddere velle meliorem præsumatur, quod certe fieri videtur per tale pactum, quo maritus aliquid, dotem scilicet lucratur. Sed ut taceam, invito ne beneficia quidem esse obtrudenda, in genere nego, per dotis lucrum mariti conditionem semper fieri meliorem. Quandoquidem pro dotis quantitate dotalitium constitui debet, consultum magis sæpenumero erit, non omnia, quæ offeruntur in dotem accipere, sed eam sibi curare constitui minorem, aucto potius paraphernalium numero, ne ex nimii dotalitii onere damnum capiat familia illustris, ac tristi suo exemplo triti illius: Reiche Weiber machen arme Kinder, veritatem confirmet. Hinc major potest destinata esse filiæ illustri dos, quam ab ipsius marito reapse in dotem accipitur. Spectant huc, quæ §. 599. attuli, & §. 606. de ornamentis & sumtibus nuptialibus doti non annumerandis disserui, nec non pactum Ducum Vinariensium, quo ultra 16000. thl. in dotem se accepturos non fore, nisi reliquorum desuper consensum impetraverint, promittunt. Exhibet illud *Ludolf* de jur. fœm. illustr. Append. 3. lit. R. p. 221. Econtra ex parte sponsæ difficulter annuitur sponso, qui nonnisi dotem solita minorem vult acceptare. Quorsum pertinet Chur-Fürst Johanns zu Sachsen Bedencken (apud *Ludolf.* de jur. fœm illustr. append. 3. p. 201.) seiner Tochter Freulein Margarethen zu der mit Hertzog Fridrich von Lignitz vorgeschlagenen Heyrath nur 10000. fl. (so viel nemlich als des jüngern Hertzogs von Lignitz Mutter seinem Vater zugebracht) mitzugeben, mit Anführung (gegen Marggraf Georg von Brandenburg als Heyraths Mann) daß obwohl übrig Geld nach Gelegenheit der Zeit zu ersparen wäre: dieweil jedoch das Hauß Sachsen ihre Freulein mit 20000. fl. bißhero ausgestattet, so wolle ihm nicht geziemen,

dörffte auch künfftig von seiner Tochter unfreundlich vermerckt werden, daß er gegen ihr hierinnen etwas neues vornehmen, und sich mit wenigern Heyrathgelde, als in diesem Hauße herkommen, da sie doch aller Erbschafft sich dagegen beziehen müsse, bey derselben erzeigen solte.

§. DCXVII.

differentia dotis a paraphernalibus.

Non vero sufficit ad dotis constitutionem, esse datam & acceptatam, sed præcise debet esse data pro ferendis matrimonii oneribus. Patet hinc differentia bonorum dotalium a paraphernalibus, quæ itidem ab uxore inferuntur, marito traduntur, ab eoque in custodiam recipiuntur, ita tamen, ut circa eadem disponendi facultate non gaudeat maritus, uno verbo non dantur pro ferendis matrimonii oneribus. Porro hinc ferri poterit judicium, qualia in dubio præsumi debeant bona ab uxore illata. Naturaliter quidem eadem communia esse præsumenda, docuimus de Matrimon. §. 327. sed ubi per pacta vel leges de separatis inter conjuges dominiis constat, huic separationi insistendum, omniaque uxoris bona in dubio receptitia, seu talia, quæ marito tradita non sunt, tam diu erunt præsumenda, donec eorum traditio, utpote quæ facti est, rite probetur. Hac vero probata, eadem paraphernalia seu talia, quæ quidem marito tradita sunt, sed saltem custodiæ ergo, ac reservata uxori libera de iis disponendi facultate, tam diu iterum erunt præsumenda, donec ulterius probetur, id quod itidem, & magis adhuc facti est, esse nimirum hæc bona tradita pro ferendis matrimonii oneribus, quod ubi apparet, tum demum uxoris bona dotalia erunt pronuntianda. Sed quid sentiendum erit de bonis a Regina, quæ dum nubit, integram sibi regni rerumque suarum administrationem reservat, marito antea privato datis vel promissis. Sane dantur ab uxore, & quidem marito dantur, ab eoque acceptantur. At non videntur data pro ferendis matrimonii oneribus, nec proinde dotis nomen merentur. Tali enim casu ipsa potius Regina ex regni sui reditibus matrimonii onera sustinebit, & quicquid maritus accipit saltem per provisionis modum accipere videtur, quo eo majori dignoque Regio, quo conjux pollet fastigio, splendore vivere queat.

§. DCXVIII.

Etiamsi vero res fuerit data & acceptata a marito & quidem pro ferendis matrimonii oneribus, ne tamen tunc quidem omnia aderunt dotis requisita, sed præterea adhuc requiritur, ut vel ab uxore, vel saltem ejus intuitu detur. Hinc potissimum a dote differt donatio propter nuptias, quam pater filio uxorem ducenti pro ferendis eo melius matrimonii oneribus confert, cujusque nomine collectæ quandoque subditis imponuntur. *A donatione propter nuptias.*

§. DCXIX.

Circa tempus constituendi dotem nihil intererit, sive ante, sive post nuptias celebratas illa constituatur. Unde & dotem semel constitutam etiam post nuptias, interveniente eorum quorum interest consensu, augeri vel minui posse, recte infertur. *Constitui dos & post nuptias potest.*

§. DCXX.

Quibus vero solennitatibus & ad quam juris normam constitui dos, & ortæ circa eandem controversiæ dijudicari, & componi debeant, ambiguum posset videri. Certe si contrahentes summi sunt imperantes, nec alia præter naturalia jura agnoscunt, ea sola hic quoque normam præbere, manifestum. At ubi Principes alia, eaque inter se diversa jura receperunt, prout de Germaniæ Principibus constat, Saxonicos suo, Suevicos alio jure uti, tunc actor semper videtur rei domicilium aut forum sequi debere, ac pati, ut ex legibus, quas hic (sui, non forte subditorum saltem intuitu) recepit, lis tota decidatur. Collimant huc ea, quæ scribit *Rhetius* Inst. Jur. publ. L. 1. T. 21. §. 21. his verbis: Si Princeps Imperii e. c. Palatinus duceret Principem Saxoniæ, & in Saxonia tabulas pactorum dotalium conscriberet, uxor tamen Princeps dotem juxta leges domicilii mariti illustris, non vero juxta leges patriæ suæ repeteret, & exigeret per L. 65. Dig. de judiciis. Hactenus Rhetius, qui tamen ad legem citatam provocare plane opus non habuisset, cum commodior longe reddi possit ratio, quare in casu proposito locus confecti instrumenti forum legitimum præbere nequeat. Nimirum ideo alias locus celebrati contractus forum fundatum *Quo jure, quibusve solennitatibus?*

datum

datum habetur, quoniam contrahentes in loco quodam, eo ipſo pro ſubditis habentur, adeoque ejusdem loci jura agnoſcere coguntur, quod ſane de Principe, qui in alieno territorio tanquam hoſpes verſatur, nulla plane ratione aſſeri poteſt. Quodſi vero caſus invertatur, & in exemplo propoſito Princeps Palatinus dotem a Saxone promiſſam exigere velit, Saxonis tanquam rei domicilium & jura erunt ſequenda.

TITULUS VI.

DE

Dominio & periculo dotis.

* * *

Uſusfructus dotis ſemper ad maritum ſpectat. At dominium & periculum tum demum, ſi dos conſiſtit in re mobili, quæ nonniſi alienata fructus præſtat. Rei immobilis autem in dotem datæ dominium & periculum uxoris eſt, & maritus levem culpam circa eandem præſtat.

§. DCXXI.

Uſusfructus dotis ad maritum ſpectat.

Finis, indeque pendens effectus dotis eſt, ut eo commodius ferantur matrimonii onera, & proinde in maritum transferatur uſusfructus rei dotalis, ſive hi fructus ex ipſa re e. c. prædio dotali ſive aliunde ejus intuitu

tuitu e. c. jure fiscali ex bonis damnatorum obveniant, etiamsi prædia proscripti millies dote ipsa utiliora sint ac meliora, ceu recte monet *Bodinus* de Republ. L. 6. c. 5. p. 1165. quod eo magis æquum videtur, quoniam vicissim, si forte interierit cum re dotali ususfructus ejusdem, nihilo secius matrimonii, uxoremque alendi onus & obligatio penes maritum remansisset. Imo quæ de usufructu rei dotalis ad maritum transeunte diximus adeo vera sunt, ut in ipsis etiam regnis in dotem rite datis procedant, quorum fructus sine dubio ad maritum pertinent, ceu Isabellæ ac Socinæ * exemplo confirmat Bodinus l. c. Debet autem Princeps maritus fructus dotis acceptæ in Principatus utilitatem convertere, si saltem ex Principatu matrimonii Principalis splendorem sustineri, eoque soluto viduæ a successore in Principatu dotalitium præstari cupit.

* Innuit forte Joannam Ferdinandi Catholici filiam, Philippo Austriaco nuptam.

§. DCXXII.

Qua vero ratione se res habeat cum dominio seu proprietate dotis, illud ex ipsa ususfructus indole facillime perspicitur. Concesso usufructu tum demum proprietas in usufructuarium transfertur, si res utenda fruenda per usum consumitur, nec eadem salva ipsius substantia uti licet. Pariter & circa dotem distinguendum erit, utrum illa in rebus immobilibus, an mobilibus iisque vel fungibilibus vel minus sit constituta. Immobili re e. c. prædio, salva ipsius substantia, uti licet, & proinde si uxor illud in dotem dat, ea ipsius fuisse videtur intentio, ut dominium ejus penes se remaneat, sin alius quidam, ut dominium uxori donetur, & solus ususfructus utroque casu in maritum transferatur. * *dominium ad uxorem.*

* Ita juxta naturalem simplicitatem se res habet. At ex Romani juris subtilitatibus, atque ad salvandam illam JCtorum Romanorum locutionem, qua maritum per traditionem dotis dominum fieri asserunt, civile aliquod dotis dominium, naturali contradistinctum est fingendum: ita ut naturale penes uxorem remanere, at constante matrimonio quiescere, civile vero per traditionem

dotis in maritum transire dicatur L. 30. C. de jure dotium. Agnoscunt vero ipsi JCti Romani civile hoc dominium valde esse restrictum, nec marito tribuere facultatem fundum dotalem inæstimatum alienandi. Imo hanc alienandi facultatem ita coarctant, ut ne quidem consentiente uxore marito eandem concedant L. 5. C. ad SCt. Vellej. princ. Inst. quib. alien. licet, a quo tamen rigore hodierni mores recedunt, quibus maritus consentiente cum curatore suo uxore fundum dotalem, accedente præsertim judicis autoritate, valide alienat.

§. DCXXIII.

ni res mobilis in dotem data. Ubi vero res mobilis in dotem datur, illa vel fungibilis est e. c. pecunia, aut alia quantitas, & tunc usu consumitur: vel non est talis, & tunc eâdem uti frui non licet, nisi prius redigatur in pecuniam vel aliam quantitatem fungibilem. Utroque casu ad obtinendum ususfructus finem necesse est, ut per traditionem rerum mobilium in dotem datarum plenum dominium, indeque pendens alienandi facultas in maritum ita transferatur, ut penes uxorem solum remaneat jus, quo maritus obligatur ad res datas in genere, vel earum æstimationem matrimonio finito reddendas. Huc quoque pertinebit casus, quo res immobilis quidem, sed æstimata venditionis causa in dotem datur. Tunc enim sola pecunia, quanti res est æstimata in dotem datur, ipsa vero res titulo venditi per traditionem pleno mariti dominio cedit, ac valide ab eo alienatur & oppignoratur. Jocalia quoque in dotem data huc referri debent. Quanquam enim usu non consumuntur, cum tamen ex iis fructus, qui ferendis matrimonii oneribus aliqualiter saltem respondeant, percipi nequeant, nisi divendantur, indeque redacta pecunia lucro exponatur, ea in dubio contrahentium fuisse videtur intentio, ut jocalia in dotem data pleno cedant mariti dominio, ita ut libere, invita quoque conjuge, ea alienare possit, & saltem obligetur ad reddenda soluto matrimonio non eadem, sed alia ejusdem generis, quantitatis & qualitatis jocalia, aut si haberi nequeant ad solvendam eorum æstimationem.

§. DCXXIV.

periculum est domini. Ex quo vero constat, cujusnam sit dominium dotis, sponte etiam patebit, ad quem periculum ejus & deterioratio citra ullius culpam facta perti-

pertineat? Regulariter ſcilicet ad dominum, adeoque in re dotali immobili ad uxorem, in mobili vero (nec non in immobili venditionis ergo taxata) ad maritum. Equidem dantur Doctores, in iisque *Klein* de jure circa margaritas p. 93. qui mobilia inæſtimato in dotem data e. c. jocalia a marito alienari quidem libere poſſe, quamdiu vero reapſe non ſunt alienata, in dominio uxoris remanere, atque ad eam proinde periculum & deteriorationem pertinere exiſtimant, nixi potiſſimum Lege 10. princ. Dig. de jure dotium. Parum tamen cohærere hæc juris Romani ſubtilitas videtur, cum incongruum plane ſit, negare marito dominium in re mobili inæſtimato in dotem data, & tamen eidem pendentem a dominio alienandi facultatem in ea velle concedere. Nec tollitur difficultas per diſtinctionem in dominium civile & naturale. Nam utut marito civile in dotem dominium concedamus, illud tamen omnium conſenſu eſt reſtrictum, & proinde alienandi facultatem tribuere nequit. Quodſi vero jocalia æſtimato in dotem dantur, certum plane eſt, dominium æque ac periculum & deteriorationem ad maritum pertinere, ita ut etiamſi ipſa uxor eadem deterioraverit, tamen ſoluto matrimonio in dotis repetitione recipere illa non teneatur, ſed integram eorum æſtimationem petere poſſit.

§. DCXXV.

Exempl.

Pecunia in dotem data ſimulac eſt tradita, cedit periculo ſponſi. In pactis dotalibus Mariæ Franciſcæ Eliſabethæ Sabaudæ cum Alfonſo Luſitaniæ Rege cautum legitur: Le dit excellent Seigneur Marquis de Sande, au nom du Sereniſſime Roi de Portugal ſon maitre, ſera obligé de guarantir la Sereniſſime Princeſſe de tous les risques, que ſa dot pourroit courir ſur la mer, depuis le jour qu' il verra embarquer la ſomme de la dite dot dans les vaiſſaux, ou la dite Sereniſſime Princeſſe s'embarquera pour paſſer en Portugal, jusques au jour de ſon arrivée a Lisbonne, ou quelque terre de Portugal, ou debarquera la Sereniſſime Princeſſe: & en ce lieu les dits excellens Seigneurs Duc d' Eſtrées & Eveque Duc de Laon s'obligent de faire remettre la dite ſomme entre les mains des miniſtres du Sereniſſime Roi de Portugal.

§. DCXXVI.

an lata & levis culpa poteſt remitti?

Lubenter igitur concedimus, ſuperius allatam circa dotis periculum doctrinam pactis mutari poſſe, idemque de culpa in re dotali præſtanda ſen-

tiendum. Regulariter quidem cum dotis pactum bilaterale sit, quo una pars ad dotis præstationem, altera ad ferenda matrimonii onera obligatur, mediam requirit diligentiam, adeoque levis culpæ præstationem, quæ tamen pactis potest remitti, si a civili lege animum abstrahamus. At contrarium vult L. 6. Dig. de pact. dotalib. ex qua *Lauterbach* in Compend. p. 448. nec latam nec levem, *Stryckius* vero ad eundem p. 688. levem culpam, latam non item remitti posse colligit, quod posterius rationi juris Romani congruit, quæ uxorum facultatem circa dotis alienationem ita circumscribit, ne se ipsas dote spoliantes indotatæ evadant L. 2. Dig. de jur. dot. quod certe fieret, si latam maritis culpam remittendo dotem dissipandi ansam iis præberent.

§. DCXXVII.

Impensæ in dotem. Impensas in fundum dotalem fructuum intuitu factas maritus fert, at necessarias ipsius fundi intuitu factas repetit, earum tamen intuitu jure Codicis retentionem non habet per L. un. §. 5. C. de rei uxor. act. quod tamen hodie obtinere negat *Titius* ad Lauterbach Obs. 787.

TITU-

TITULUS VII.

Soluto matrimonio quemadmodum dos repetatur.

* * *

Soluto matrimonio dotem a Principissa illatam recipit is, qui eam constituerat: nec dote sua Princeps adultera protinus privatur. In creditorum concursu naturaliter temporis prioritas spectanda. Jure hodierno in Germania dotis intuitu indulgetur: 1) jus retentionis in feudis æque ac allodiis, 2) hypotheca tacita in solis allodialibus a tempore dotis illatæ, 3) uxori ejusque liberis dotem repetentibus personale tribuitur privilegium prælationis præ hypothecis tacitis anterioribus.

§. DCXXVIII.

Paucis videndum restat, quomodo dos talis esse desinat, & amittatur. Desinit esse dos deficiente vel cessante causa, ob quam erat concessa. Hæc vero causa deficit ob pactum vel expressum vel tacitum. Ob expressum e. c. quando dos ab uxore vel extraneo datur marito ea lege, ut eadem utatur saltem ad tempus certum e. c. ad decem annos, aut donec evadat ditior, *Modi dotem amittendi.*

 existen-

existente vero tempore vel conditione addita dos redeat ad constituentem, quale pactum iniri posse, dubitandum non est. Cum enim marito liceat uxorem plane indotatam ducere, cur non eidem ad tempus certum dotem sibi stipulari & accipere licebit?

§. DCXXIX.

Soluto matrimonio. Ob tacitum pactum cessat causa dotis, cum eaque ipsa etiam dos deficiente vid. §. 651. vel soluto matrimonio *. Cum enim dos matrimonii intuitu & pro ferendis ejusdem oneribus detur, hæc esse videtur contrahentium voluntas, ut cessante matrimonio, tanquam negotio principali, cesset etiam accessorium, nimirum dos ipsa, etiamsi hujus intuitu dotalitium fuerit promissum. Seorsim videbimus, quid & qualis dos soluto matrimonio recipiatur? quis illam recipiat? a quo & unde? Denique etiam exceptiones a regula & quando dotis repetitio cesset? subjungemus.

* Afferunt tamen nonnulli casum, quo uxorem etiam constante matrimonio dotem a marito posse repetere putant, quando scilicet maritus vergit ad inopiam. Provocant ad L. 24. Dig. solut. matrim. L. 29. 30. Cod. de jur. dot. Hac in sententia ipse est *Lauterbach.* in Compend. Jur. p. 455. Sed monet *Titius* ad h. l. tali casu uxorem non tam recipere dotem, quam contra creditores defendere. Imo si casu fortuito e. c. bello ad inopiam redactus sit maritus, tantum abest, ut naturalis æquitas permittat, auferri dotem marito, ut potius ex reliquis etiam uxoris bonis eidem succurri præcipiat. Quodsi vero prodigalitas mariti apparet, isque cautionem pro dote integra restituenda constituere nequit, dos quidem ab uxore recte repetitur, ex fructibus tamen dotis tunc quoque maritus erit alendus, imo & dos restituenda, simulac maritus cautionem idoneam offert.

§. DCXXX.

Dos illata repetitur. Objectum, quod soluto sive per divortium sive per mortem matrimonio repetitur est dos, & quidem illata. Quod enim recipi debet, necessario

ſario prius debuit eſſe reapſe ſolutum ſive illatum. At de modo probandi hanc dotis illationem, ac utrum illa per mariti apocham probari poſſit? haud ita res eſt expedita. Communior maximeque ſe ab æquitate commendans opinio eſt, ſufficere mariti apocham, quoties uxori dotem repetenti res eſt cum ipſo marito vel liberis ejus, præſertim iis, qui tempore ſcriptæ apochæ adhuc in lumbis parentis hæſerunt *, at ubi cum agnatis aliisque extraneis, non æque. Tunc enim ne quidem ſemiplene apocha probare, nec proinde uxor ad juramentum ſuppletorium admittenda videtur, quod adeo verum, ut etiam procedat in caſu, quo oborto creditorum ſuper mariti bonis concurſu, reliqui creditores eodem, quo uxor probandi genere, nempe per confeſſionem mariti utuntur. Longe enim facilior præſumitur eſſe maritus, ubi de agnatorum & extraneorum, quam ubi de liberorum ſuorum præjudicio agitur. Nec quicquam tribuendum puto allato a quibusdam diſcrimini, an apocha paulo ante mortem mariti, aut ſub matrimonii initium, ac ubi nondum obæratus fuit maritus, ſcripta ſit, nec ne? priori caſu exiſtimant, eam admittendam eſſe ſaltem ad effectum adjudicandi uxori juramentum ſuppletorium, poſteriori non æque. At enim vero quis non videt, facillime tunc fraudem fieri poſſe a marito, apponendo Apochæ annum & diem vero, quo ſcripta eſt, tempore longe antiquiorem.

* Sed quid ſi pater uxori dotis ſolutionem remiſerit? Sunt, qui tamen dotalitium deberi putant arg. 2. feud. 45. Haud forte male diſtinguitur, an filius ſimul allodialis, an tantum feudalis ſucceſſor repudiata hereditate allodiali eſſe malit. Vid. *Ludolf.* de jur. fœm. illuſtr. p. 174.

§. DCXXXI.

Cum vero dos numerata ſoluto matrimonio reddi debeat, certe nondum ſoluta a marito peti nequit, multoque minus emolumentum aliud, quod, ſi matrimonium adhuc duraret, obventurum forte fuiſſet. Unde apparet, quam injuſta fuerit prætenſio Ottocari Bohemiæ Regis, qua nomine defunctæ ſuæ uxoris Margarethæ Auſtriacæ (quam tamen vivam jam ſub ſterilitatis obtentu repudiarat) hereditatem Auſtriacam extincto Friderico, *An emolumenta ſperata.*

rico, ultimo priscæ stirpis Austriacæ Duce sibi vindicabat. Sed frustranei ipsius fuere conatus, & Albertus Rudolphi Habsburgici filius Austriæ Ducatu ex Imperatoris Ordinumque Imperii concessione est potitus.

§. DCXXXII.

Fructus ultimi anni quomodo dividendi?

Quantum autem ex dotis fructibus illius quidem anni, quo solutum est matrimonium reddi debeat, obscurum esse nequit, ex quo intelligitur, dotem pro ferendis matrimonii oneribus penes maritum existere, qui cum quotidie alimenta præstare uxori debeat, quotidie etiam ipsi fructus dotis debebuntur, utut eorum perceptio ad tempus certum e. c. messis sit restricta. Quare dotis fructus pro temporibus, quo duravit matrimonium, rata erunt dividendi, ita tamen, ut impensæ quoque simul pro rato dividantur. Quæ omnia tanta nituntur æquitate, ut ipsi juri Romano probentur L. 7. Dig. soluto matrim. quod tamen alias in fructuum divisione separationis rationem habere, ac solos fructus separatos a solo usufructuario, pendentes autem tanquam fundi partem ejus domino tribuere jubet L. 13. Dig. quib. mod. ususfr. vel usus amitt. §. 37. Inst. de rer divis. qui tamen sumtus ab usufructuario impensos restituit dict. L. 7. pr. Dig. solut matrim. Add. *Cujac.* Lib. 14. Obs. 22. quæque nos occasione dotalitii dicemus §. 805.

§. DCXXXIII.

Recipit dotem uxor.

Quis vero dotem matrimonio soluto recipiet? Uxorem dotem, quam ipsa constituit, quoque recipere, eaque mortua illius heredes, res ipsa loquitur L. 11. C. solut. matrim. Sed quid si pater ipsius eam constituit. Tunc antiquo Romanorum jure, quo per filiæ matrimonium patria potestas non præcise solvebatur, pater illam recipere poterat. L. 6. Dig. de jur. dot. Naturale autem jus atque hodiernos mores si spectes, quibus filia nubens eo ipso a patria potestate liberatur, pater dotem constituens in dubio filiæ eam donasse censetur, atque hæc proinde matrimonio soluto eam recipit. Idem quoque dicendum erit, si extraneus dotem constituit. Nam nisi hic expresse de restituenda sibi soluto matrimonio dote, pacto prospexit, simpliciter eam nubenti donasse censetur, quæ proinde illam quoque recipit. Conf. L. un. §. 13. Cod. de rei ux. act. In illustribus

ftribus perſonis, poſt divortium factum, territorii dominis, qui dotem conſtituerant, ejus repetitionem competere obſervat *Ludolf.* de jur. fœm. illuſtr. p. 212. aut ſi uxor ſeparata jam recepit, eam teneri condictione ſine cauſa, ut reſtituat, donec aliam matrimonii conditionem invenerit, quia ſine nuptiis dos non intelligitur.

§. DCXXXIV.

Sed a quo repetitur dos? Si ſuperſtite marito per divortium ſolvitur matrimonium, dos repetitur ab ipſo marito, at matrimonio per mortem mariti ſoluto ab ipſius heredibus, quos ſæpenumero hac in parte difficiles ſatis, variaque media onus reſtituendæ dotis a ſe amovendi quærere videmus. Neque omnes generoſa Guilielmi Mantuani Ducis mente ſunt prædití, qui fratri Franciſco III. ſuccedens Conſiliarios ſuos, Franciſci viduæ ſuper illatis ſpeciatimque adamante 10000. Imperialium controverſiam moventes, jusſiſſe fertur, ut ſepoſita omni lite poſtulata viduæ tradant, plus enim meruiſſe virginitatem, quod ſcilicet liberos, qui a ſucceſſione Guilielmum excluſiſſent, non ſuſceperit. *A marito ejusve heredibus.*

§. DCXXXV.

Quodſi vero bona mariti, a quo vel cujus heredibus dotem repetit mulier, ita ſint obærata, ut creditorum deſuper oriatur concurſus, numne & tunc uxor dotem recipiet, & ſi recipit, quonam prælationis jure præ reliquis creditoribus gaudebit? Diſtinguendum erit hoc in paſſu inter naturalia & civilia hodierna jura. Naturæ jus, utpote quod civilia hypothecarum tacitarum figmenta ignorat, eo ſaltem reſpicit, utrum dos reapſe adhuc in mariti obærati bonis exiſtat, nec ne? Priori caſu per modum vindicationis ſimpliciter eam recipit uxor, poſteriori vero ſola temporis prioritas erit attendenda, ut ſi dos prius illata, dotis potior, ſin reliqua debita prius ſint contracta, eorum potior ratio ſit habenda, niſi forte uxor verſionem dotis in rem mariti præ reliquis creditoribus demonſtrare valeat, tunc enim tantum recipit, quantum in rem verſum. *In creditorum concurſu.*

§. DCXXXVI.

At civilia Romanorum jura, quibus & Principes in Germania utuntur, non modo uxori dotem a marito ejusque heredibus repetendi facultatem *Prælationis jus habet.*

tatem integram ſervant, ſed præterea etiam dotis * intuitu ſecuritatem & hypothecam tacitam ſeu legalem ** in mariti bonis concedunt §. 29. Inſt. de Action. L. un. §. 1. C. de rei uxor. act. *** ita ut uxor dotis intuitu præferatur creditoribus prioribus chirographariis, & tacitam anteriorem hypothecam habentibus, non vero iis, qui anteriorem expreſſam habent. Sic enim ipſa praxis has leges declarat, utut non deſint, qui uxorem ratione dotis etiam creditoribus anteriorem expreſſam hypothecam habentibus præferri malunt. Rationes ſtrictim enarrat *Gothofredus* ad Nov. 109. c. 1. ****

* Quo & pertinet augmentum dotis Nov. 97. c. 2. cui a tempore facti augmenti pariter tacita hypotheca competit L. 19. C. de donat. ante nupt.

** Quam nonnulli a die promiſſionis incipere putant; alii a nuptiarum, quibus & priſcum jus Saxonicum Electorale favet; alii a ſolutionis ſeu illationis tempore, quod & in Ducatu Mecklenburgico per peculiares Conſtitutiones obtinet; ac omnium videtur æquiſſimum, quia tunc demum dos a marito deberi incipit. Cum vero hypotheca ſit acceſſorium debiti, prius quam ipſum debitum principale incipere non debet. Argumentum quoque pro hac ſententia ſumi poteſt ex Nov. 97. c. 2.

*** Jus feudale hanc hypothecam ignorat, quæ proinde in feudo locum regulariter non habet, licet dos ex feudo debeatur. In feudis Saxonicis per Ord. Proc. Vet. art. 45. §. 11. dos hypotheca tacita ſine tamen prælationis jure gaudebat. At Ordinatio recognita omnem hypothecam tacitam adeoque & doti denegat. Moribus quoque viduam pro dote conſequenda etiam jure retentionis in feudis æque ac allodiis gaudere, mox dicetur.

**** Si dicendum, quod res eſt, horum ſententia juris Romani analogiæ & L. 12. §. 1. C. qui potiores &c. illorum vero æquitati magis convenire videtur. Quodſi tamen dotem dicamus præferri hypothecæ anteriori tacitæ, non autem expreſſæ, inſignis remanet difficultas in caſu, ubi concurrunt hypotheca anterior

tacita, expressa intermedia, & dos postrema. Nam si quæritur, quænam hypotheca præferenda, tacita non poterit, cum superetur a dote, sed nec expressa intermedia, cum potior sit tacita anterior L. 8. Dig. qui potior in pign. Superest igitur, ut hoc in casu dicamus, dotem præferri utrique, etiam expressæ anteriori ob regulam: Si vinco vincentem te, multo magis vinco te. Sicut eadem ex ratione si concurrunt hypotheca expressa anterior, simplex dos, & hypotheca posterior quidem, sed privilegiata e. c. constituta ei, qui in rem reficiendam credidit, aut venditori in re vendita, hæc ultima doti præfertur, quia vincit expressam anteriorem L. 5. Dig. qui potiores in pign. Conf. *Rauchbar.* part. 1. quæst. 4. n. 25. sq.

§. DCXXXVII.

Quod personale.

Illud etiam singulare est, quod §. 29. Inst. de Act. jus prælationis tanquam privilegium personale soli uxori concedit. Sed ad liberos ejus illud quoque extenditur Nov. 91. pr. ad extraneum vero plane non pertinet, adeo ut pater filia mortua dotem repetens prælationis jure non gaudeat, imo nec cessionarius uxoris, licet adhuc vivæ, nisi mandatario nomine experiatur, ubi tamen recte monet *Stryck.* ad Lauterbach. p. 539. distinguendum esse inter duplex jus in dote concurrens, prælationis scilicet & tacitæ hypothecæ: illud personæ indultum nec cedi potest: hoc actioni cohæret, & valide ceditur, ut proinde cessionarius non quidem præferatur anteriorem tacitam hypothecam habentibus, sed tamen inter hypothecarios juxta temporis prioritatem locum sortiatur.

§. DCXXXVIII.

Item retentionis.

Singulare etiam est privilegium, quo in Germania uxor illustris pariter ac plebeja pro dote sua consequenda jus retentionis habet in bonis mariti tum feudalibus tum allodialibus. Fundamentum illud habet in antiquis Germanorum moribus, quibus conjuges bona indivisa possidebant. Land-R. L. 1. art. 31. add. art. 21. ibique glossa. Conjux itaque bona mariti, quibus ea, quæ ipsa intulit, sunt admixta, tanquam sua tam diu possi-

poſſidet, retinet, nec expelli citra ſpolii crimen poteſt, donec bona per diviſionem ſint ſeparata. Cum vero retentio ſit poſſeſſionis continuatio, apparet, quod retentionis jus ſupponat poſſeſſionem apprehenſam, quam ſi nondum ipſo actu apprehendit, marito interea mortuo, nec retentionis jus uxor exercere poterit.

§. DCXXXIX.

Quod reale eſt.

Sed & id patet, retentionis jus hoc caſu eſſe reale, & ipſi doti inhærere. Quare dote non illata nec retentionis jus competit. Ubi vero competit, non ad perſonalia referri debet uxoris privilegia, ſed ad heredes quoscunque transfertur, & extraneo valide ceditur. Cum autem retentionis juri alimenta ſint connexa, quæ vidua ex bonis mariti capit per totum illud tempus, quo retentionis jus exercet, in caſu, quo ad alios per hereditatem aut modum ceſſionis illud transfertur, alimenta pro viduæ, non autem ceſſionarii, aut heredis ipſius conditione debentur.

§. DCXL.

Nec ob Morgengabam competit.

Porro cum retentionis jus reale ſit, illud propter perſonales obligationes, quibus maritus uxori tenetur e. c. ob Morgengabam uxori non competere putarem, nec ob donationem propter nuptias vid. §. 729. Diſſentit *Ziegler.* ad Ord. Proc. Saxon. Tit. 45. §. 11. p. 204. ad verb. Solcher Mitgifft. Ipſa certe Ordinatio ſolius dotis mentionem facit his verbis: Wie dann auch das Weib ſo lang das jus retentionis und ihren Unterhalt darin (in dem Lehn) haben ſoll, bis ſie ſolcher Mitgifft vergnüget. Paraphernalia tamen non excluderem propterea quod illa quoad jura realia pari cum dote paſſu in Saxonia ambulant. Quod ſi igitur Morgengabam paraphernalibus annumerare velis, vid. §. 715. nec retentionis jus Morgengabæ intuitu negandum.

§. DCXLI.

Curam œconomicam requirit.

Circa adminiſtrationem bonorum, in quibus retentionis jus exercet vidua, œconomice verſari debet, nec præter alimenta neceſſaria ſibi quicquam reſervare, ſed de reſiduis juſtas heredibus & creditoribus rationes redde-

reddere, qui ſi ab uxoris adminiſtratione damnum metuunt, ſequeſtrem, vel curatorem communem petere poſſunt, cui adminiſtratio demandatur, relictis tamen viduæ habitatione & alimentis. Vid. *Nav.* de jur. fœmin. in feud. c. 3. §. 17. ſqq.

§. DCXLII.

Exceptiones a regula hactenus propoſita, quod ſcilicet ſoluto matrimonio dos recipiatur, præbent vel leges, vel pacta, vel delicta. Conf. §. 768. Sic Angliæ leges non modo marito tribuunt irrevocabile dominium in bona uxoris mobilia, ſed & in caſu, quo partus vivus ex matrimonio fuit editus quoque uſumfructum immobilium ad vitæ dies. Vid. *Chamberlayne* Angliæ Notitia part. 3. c. 5. p. 301. *Non recipitur dos ob leges.*

§. DCXLIII.

Ob pactum dotis repetitio ceſſat, ſi e. c. conventum, ut in caſu ſi præmoriatur uxor, maritus dotem lucretur. Pacta dotalia Leopoldi Auſtriaci & Catharinæ Sabaudæ de 1310. ita ferunt: Eſt etiam conventum, quod ſi nos eidem Catharinæ præmori ſine liberis contingeret, ipſa in dictis 16000. marcis argenti (8000. erat dos, & 8000. donatio propter nuptias) hereditario jure ſuccedet. Et ſi econverſo ipſa Catharina nobis præmoreretur absque liberis, in eisdem 16000. argenti ſuccedemus. Imo conſultum plane eſſe, ut familiæ pacto conſtituatur, ne dos ulla ex cauſa repeti posſit, poſt *Lyncker.* deciſ. 878. putat *Ludolf.* de jur. fœm. illuſtr. p. 174. Sed & illud pactum naturaliter ſubſiſtit, quo promittitur, ut quamvis maritus ante uxorem moriatur, dos tamen apud ejus heredes remanere debeat, quod tamen Romana jura invalidum pronuntiant, quoniam uxorem indotatam reddi prohibent L. 2. Dig. de jur. dot. L. 17. Dig. de pact. dotal. *Pactum*

§. DCXLIV.

Germaniæ moribus dotis repetitioni tacite renuntiatur eo ipſo, dum dotalitium pro dote conſtitutum acceptatur. Regulariter igitur dotalitio conſtituto, dotis repetitio ceſſat, ac dos per dotalitium abſorbetur. Conf. *e. c. dotalitii.*

§. 767. nisi pacto speciali caveatur, ut post viduæ mortem dos ipsius heredibus restituatur, etiamsi vidua dotalitium acceptaverit & reapse perceperit, quale pactum omnino est validum, ejusque exemplum memorabimus §. 768. Rudolphus II. Imperator tamen confirmationem denegavit pactis dotalibus Friderici II. Ducis Lignicensis & Sidoniæ Mariæ Teschenensis, quibus cavebatur, ut uxore ante maritum sine liberis mortua dos ad ipsius familiam redire, nec apud maritum superstitem, qui tamen dotalitium promiserat, remanere debeat. Weil solche special Convention nicht allein der Schlesischen Constitution sondern auch den üblich Sächsischen Rechten, auch also dem bishero jederzeit in Schlesischen Fürstenthümern unter Fürsten und andern vornehmen Personen erhaltenen Gebrauch zu wieder: dieserwegen hätten Ihro Majestät dieses Puncts halber auf gehaltene nothwendige Erwegung der Sachen dahin resolviret, daß es diesfalls des Zuruckfalls halber allerdings dem Landes Gebrauch nach, daß nemlich derselbe an ihn den Hertzog Fridrich als Ehemann auf solch obgemelten Fall komme und falle, gehalten werden solle. Vid. *Henel.* de dotalitio c. 6. §. 18. p. 157.

§. DCXLV.

delictum Propter delictum naturali jure dotis repetitio in tantum saltem cessat, in quantum damnum per delictum marito datum ex dote est resarciendum. Quam ob rem inter summos imperantes uxorem adulteram non omnino dotem suam amittere putarem. Innuit hoc Antoninus Imperator, vulgo Philosophus dictus apud *Capitolinum* c. 19. p. 78. dum Consiliariis suis, eum admonentibus, ut Faustinam uxorem ob adulteria, quæ manifesto patraverat, repudiaret, respondit: Si uxorem dimittimus, reddamus & dotem i. e. Imperium. Idem responsum dedit Alfonsus VII. Arragoniæ Rex familiaribus sibi suadentibus, ut Urracam uxorem impudicam repudiaret. Vid. *Rodericus Sanctius* Hist. Hisp. P. 3. c. 30. Idem suo confirmat exemplo Ludovicus VII. Galliæ Rex, qui ob divortium, quod ab uxore sua adultera Eleonora Aquitaniæ & Pictavii heredi fecerat, opima satis hereditate excidit.

§. DCXLVI.

§. DCXLVI.

Et quoties divertentes repudiatarum bona retinere voluerunt, id non fine contradictione, sed bellis inde subortis, imo quandoque infelici successu fuisse factum animadvertimus. *Exempla.*

Richardus I. Angliæ Rex cum Adelam Philippi Augusti Galliæ Regis sororem 1190. repudiaret, & ditiones dotales Gifors & le païs de Voxin retinere vellet, æquo animo id non tulit Rex Philippus, sed terras dotales recepit orto desuper bello.

Ottocarus Bohemiæ Rex Margarethæ Austriacæ 1258. repudiatæ ditiones quidem retinuit, contradicente tamen Imperio. Ipsum divortium fuit sterilitatis prætextu injuste factum, ac injusta magis ditionum detentio. Vide dicta de Matrimon. §. 481.

Joannes Moraviæ Comes a Margaretha Maultaschia Tirolensi sub impotentiæ prætextu 1340. maliose desertus Comitatum Tirolensem quidem retinere cupiebat, eodem tamen a Ludovico Bavaro Imperatore, cujus filio nupserat Maultaschia, sub feloniæ obtentu ob investituram neglectam privatus.

Joannes Brabantinus 1424. a conjuge Jacoba Hollandica desertus uxoris opes sibi vindicans bello fuit petitus. Adde §. 651.

§. DCXLVII.

Parum ad rem facit, quod dissentientes interserunt, remansuram fuisse dotem penes maritum, imo & usumfructum paraphernalium, si conjux adultera haud extitisset: Quare iniquum esse, maritum innocentem ob conjugis delictum his emolumentis privari. Merito distinguendum inter damnum emergens & lucrum cessans. Illud a nocente resarciendum, quorsum e. c. pertinent sumtus in divortii processum impensi: non vero hoc, præsertim cum dos ob causam matrimonii & onera ejusdem ferenda penes maritum extiterit, quibus cessantibus æquum omnino est, ut dos recipiatur. *Objectio.*

§. DCXLVIII.

§. DCXLVIII.

Adulteræ dos liberis servanda. Civilia vero jura omnem indistincte dotem marito retinere permittunt *, quoties uxoris culpa solvitur matrimonium L. 8. §. 5. C. de repud. Nov. 117. c. 8. §. 2. Vid. tamen Nov. 134. c. 10. ex quo scilicet liberi non suscepti, & præterea marito tantum ex alia uxoris substantia tribuunt, quantum dotis tertia pars esse cognoscitur. Si vero liberos habuerit ex eodem matrimonio, & dos & alia mulieris substantia liberis conservatur. ** Saxonico autem jure maritus uxoris adulteræ & repudiatæ dotem tam diu saltem retinet, quam vivit adultera, *** eadem vero mortua, consueta successio obtinet, qua proximi consanguinei in immobilibus, maritus autem in mobilibus succedunt. Ubi vero uxorem in adulterio deprehensam occidit maritus, dos etiam jure civili Romano restituenda erit, per L. 10. §. 1. Dig. soluto matrim. nisi vi pactorum dotalium maritus dotem uxore mortua lucrare debuerit, tunc enim hoc lucro propter actum, quem exercuit jure civili licitum, privandus haud erit.

* Unde & colligitur, heredes mariti dotem ipsi illatam recte retinere ob adulterium ab uxore ipsius commissum, ubi tamen requirunt, ut maritus, dum viveret, illud noverit, nec remiserit uxori. Plerique etiam hoc jus dotis retinendæ saltem suis non vero extraneis mariti heredibus tribuunt. Conf, *Carpzov,* Prax. Crim. part. 2. qu. 65.

** Ob stuprum quod vidua intra annum luctus committit emolumenta a marito profecta quidem amittit, non autem ipsam dotem. Confer dicta de matrim. §. 43.

*** Nec obstat Land-R. L. 1. art. 5. Ein Weib mag mit Unkeuschheit ihres Leibes, ihre weibliche Ehre kräncken, ihr Recht aber verlieret sie damit nicht, noch ihr Erbe. Loquitur enim de muliere soluta, non autem maritata, de qua h. l. agitur.

§. DCXLIX.

Exempla. Ex his principiis cum 1593. Joannes Casimir Dux Saxo-Coburgensis ab Anna uxore adultera separaretur, dos & bona paraphernalia ipsi adjudicata:

Und

Und bleiben Sr. Fürstl. Durchlaucht die eingebrachte Mitgifft, und andre bona paraphernalia nach Ordnung der Rechte und gemeinen Schluß der Rechts-Lehrer billig. Jedoch daß Sr. Fürstl. Durchlaucht dagegen und an statt der Paraphernalien die Hertzogin mit nothwendigen Alimenten und Unterhaltung zu versehen schuldig.

Econtra Wilhelmus Ernestus Vinariensis a Charlotta Jenensi 1690. separatus dotem ei restituit, quia ob animorum diversitatem divortium factum.

Carolus Leopoldus Dux Megapolitano-Sverinensis a Sophia Nassovica 1707. ob impotentiam separatus NB. restituta arrha & receptione utriusque illatorum; quia matrimonium tanquam ab initio nullum cassabatur.

§. DCL.

Propter solam a thoro & mensa separationem sive uxor sive maritus eidem causam dederit, dos non repetitur, sed penes maritum manet, qui tamen ex eadem uxorem alere tenetur, nisi dotem restituere malit. Ratio hujus rei in eo consistit, quod in separatione a thoro & mensa ipsum matrimonium non cessat, sed quidam saltem ejus effectus. Pariter ob oscula alii fixa uxorem non amittere dotem existimamus, licet magni nominis Doctores dissentiant. Vid. *Stryck.* de jure sensuum diss. 7. c. 5. n. 10. Si vitiata repudiatur a marito, qui eam pro virgine duxerat, illa durante matrimonio deliquisse dici nequit, nec proinde dotem amittit, sed quia annullatur plane matrimonium, omniaque in pristinum statum restituuntur, dos redit ad repudiatam *, id quod clarius patebit ex iis, quæ de jure dotis in casu deficientis matrimonii juxta ordinem §. 629. indicatum dicenda restant. *An dos repetitur in separatione a thoro?*

* Georgius Wilhelmus Comes Palatinus Bircofeldensis Julianam Rheingraviam ab alio ante nuptias impraegnatam *cum suppellectile allata* ex consilio prudentum remisit.

§. DCLI.

Scilicet quando sponsalia sunt celebrata, pacto dotalia condita, dos etiam spe futuri matrimonii praenumerata, hoc vero sponsæ culpa non secutum, *An si sponsalia rupta?*

cutum, dos apud ſponſum remanere debet, aut ſi nondum ſoluta, eidem ſolvenda. Recte enim petit ſponſus a ſponſa præſtari ſibi id, quod ejus intereſt, nuptias non eſſe ſecutas. Diſſentit *Carpzov.* Prax. Crim. part. 2. qu. 64. in fin. At ſi propter ſupervenientem ſponſi mortem, vel ob culpam ſponſi non ſequatur matrimonium, aut propter graduum proximitatem vel deficientem conſenſum legitimum, vel denique aliam ob cauſam, ut deficientem ſponſæ virginitatem annullatum, tunc citra controverſiam dos ob non ſecutam vel deficientem cauſam & conditionem, quæ negotio tacite inerat, repetitur, adeo ut etiamſi ſponſus pactum addiderit de lucranda, liberis non ſecutis, dote, tamen eam reſtituere debeat, cum tale pactum nihilo ſecius caſum conſummati matrimonii, illumque ſecutæ viduitatis præſupponat. Conf. §. 733.

Renatus Lotharingiæ Dux Joannam Harcuriam duxerat, & tabulis dotalibus ad donationem bonorum adegerat, poſtea deformitatem & ex deformitate ſterilitatem cauſatus retentis bonis eam repudiavit apud *Pontanum* Hiſt. Geldr. L. 10. Ottocari Bohemi exemplum attigi §. 646. Megapolitanum §. 649.

§. DCLII.

Ad quem tunc redeat?

Illud vero magis dubium exiſtit, ad quem in propoſita facti ſpecie dos redire aut pertinere debeat, num ad ſponſam derelictam, aut ad extraneum, qui dotem conſtituit? Pro ſponſa pugnat, quod extraneus, niſi in ipſa dotis conſtitutione jus repetendi ſibi reſervet, (quo caſu dos *receptitia* vocatur) rem datam ſimpliciter ſponſæ donaſſe cenſetur. At extraneum juvat, quod dotem conſtituerit ob cauſam, ſperatum nimirum matrimonium, quo deficiente, eum quoque dotem conſtitutam condictione cauſa data cauſa non ſecuta recte repetere. Facilius certe matrimonio non ſecuto aut annullato extraneum liberari a ſolutione dotis promiſſæ, quam recipere jam ſolutam ac traditam putarem.

§. DCLIII.

An hypothecam habeat?

Æque difficilis erit quæſtio, utrum in propoſito caſu non ſecuti aut annullati matrimonii dotem repetenti hypotheca competat in bonis ſponſi vel

vel mariti. Pendet illa a tacta §. *636.* controversia, a quo nimirum tempore tacita dotis hypotheca incipiat? Sane neganda erit hypotheca, si illa demum a nuptiarum die capere debet initium, utpote quæ in casu nostro plane non adsunt. Sin tacitam dotis hypothecam incipiamus a tempore dotis promissæ vel saltem illatæ, quam sententiam & nos l. c. sumus amplexi, dubium vix est, quin in casu nostro hypotheca etiam in sponsi bonis doti sit tribuenda, cui opinioni & suffragatur L. 74. Dig. de jure dotium L. 17. §. 1. Dig. de reb. autorit. judic. possidend. Praxis tamen has leges de solo personali privilegio explicat, idque solum sine hypotheca sponsæ tribuit.

TITULUS IIX.

DE

Bonis receptitiis & paraphernalibus.

* *
*

Receptitia bona pleno jure penes se uxor retinet, paraphernalia marito in custodiam tradit, reservata sibi liberrima de iis disponendi facultate.

§. DCLIV.

Bonis dotalibus opponuntur receptitia & paraphernalia: affinitatem cum iis habent, probe tamen a se invicem distingui debent arrhæ sponsalitiæ, sponsalitia largitas, Morgengaba, donatio propter nuptias, dotalitium, vidualitium, reliquaque viduitatis jura, de quibus singulis pro *Bona receptitia.*

 insti-

instituti ratione pauca monebimus. Bona receptitia sunt, quæ uxor sibi plene reservavit, & marito nec in dotem nec in custodiam dedit. Exemplum vid. §. 599.

§. DCLV.

Jocalia. Plerumque (exceptionem vide §. 600. sq.) etiam huc pertinent jocalia, ornamenta, vasa aurea, argentea & reliquus apparatus sponsarum illustrium, de quibus §. 602.

Ferdinandi III. Imperatoris filia Eleonora Michaeli III. Poloniæ Regi nupta mundum muliebrem 500000. fl. accepit.

Tantundem accepere filiæ Josephinæ.

Ludovica Christina Sabauda 1653. Ferdinando Maximiliano Badensi nupta, ultra dotem 600000. librarum, 150000. libras accepit in apparatu annullis & jocalibus, en ameublemens, bagues & joyaux.

Maria Anna Bavara Ludovico Galliæ Delphino 1679. nupta jocalia & ornamenta 100000. thal. a parentibus accepit: a Delphino autem annulos & jocalia 50000. thal. pleno jure ad ipsam ipsiusque heredes transitura.

Joanna Saxo-Gothana Adolpho Friderico Duci Megapolitano-Strelizensi 1702. nupta accepit a fratre vi testamenti paterni præter dotem 20000. thal. 15000. thal. zu Schmuck und Silber-Geld, auch vor übrige Standsmäßige Ausstattung an Braut-Kleidern, Kleinodien, Bettwercken, und andern Meublen, Brautwagen und Pferden, Beylagers Præsenten und dergleichen.

Hohenloicum exemplum vid. §. 599.

§. DCLVI.

Eorum jura. In bonis receptitiis marito plane nihil juris est, nisi quod ex iisdem in subsidium & deficientibus aliis bonis ali debeat. Ceteroquin eorum dominium pariter ac ususfructus plene ad uxorem pertinet, ita ut ne quidem ob adulterium amittatur. Quemadmodum vero ex receptitiis uxoris bonis commodum nullum sentit maritus, ita nec ulla onera eorum intuitu fert,

&

& proinde periculum horum bonorum ſolius eſt uxoris. Maritus circa ea culpam levem non præſtat. Denique ſi ex bonis receptitiis nonnulla marito crediderit uxor, aut ille de facto eadem diſſipaverit, nec hypotheca nec prælationis jus præ aliis creditoribus uxori eorum intuitu competit.

§. DCLVII.

Paraphernalia in latiori ſenſu denotant quævis uxoris bona præter dotem, atque tunc receptitia quoque ſub ſe comprehendunt, quibus tamen contradiſtinguuntur in ſenſu ſtrictiori, quo h. l. paraphernalia bona accipimus pro iis, quæ uxor marito quidem tradidit, reſervata tamen ſibi libera de iis diſponendi facultate. Atque talia potius quam dotalia poſt ſublatam inter conjuges bonorum communionem in dubio eſſe præſumuntur omnia uxoris bona. Bona enim dotalia pactum ſupponunt, quod in facto conſiſtit, nec præſumitur. Conf. §. 617. Ipſa naturalis bonorum paraphernalium indoles docet, ſolam eorum cuſtodiam eſſe penes maritum, qui eo intuitu, cumque commoda inde non ſentiat, ſolam latam culpam præſtat. Dominium vero & uſusfructus & periculum regulariter penes uxorem eſt, quæ hæc bona paraphernalia matrimonio ſoluto ſimpliciter recipit, ita ut oborto creditorum in mariti bonis concurſu ſolius temporis, quo illata ſunt paraphernalia, prioritas ſpectetur. *Paraphernalia.*

§. DCLVIII.

Singularis eſt illa legis Anglicanæ diſpoſitio, quæ Paraphernalium (quo nomine Angli ſolum fere apparatum muliebrem complecti ſolent) proprietatem ipſo jure ad maritum tranſire, & ſoluto matrimonio penes eundem remanere jubet apud *Chamberlayne* in Angliæ Notitia part. 3. c. 5. Mihi ſane hæc lex ipſam bonorum Paraphernalium naturam invertere, eaque in dotalia, nudo Paraphernalium nomine relicto, transmutare videtur. *Apud Anglos.*

§. DCLIX.

Quid jure Romano, quod ignorare diſcrimen inter paraphernalia & receptitia * volunt, circa bona uxoria obtineat, omnium optime diſcitur *Romanos,*

ex L. 9. §. 3. Dig. de jur. dot. & L. 8. & 11. C. de pact. convent. junct. Nov. 117. c. 8. §. 2. Scilicet regulariter, & nisi expresse sic dentur, ut fiant mariti, (quod tamen ex sola eorum consignatione, utut mariti subscriptione munita, colligi nequit) in uxoris dominio remanent, ita ut maritus uxore prohibente nullam in iis habeat communionem, usuras tamen circa se & uxorem seu in suam & uxoris utilitatem expendere possit, unde & periculum eorum penes uxorem est, maritus autem circa ea eandem diligentiam, quam circa suas res h. e. mediam præstare tenetur, soluto autem per mortem uxoris matrimonio, ejusdem heredibus paraphernalia quoque restituit. At ubi uxoris culpa e. c. per adulterium ab eadem commissum matrimonium solvitur, ex eoque liberi suscepti non sunt, tantum saltem ex paraphernalibus retinet maritus, quantum dotis tertia pars esse cognoscitur **. Sin liberi ex tali matrimonio adsunt, iisdem paraphernalia æque ac ipsa dos conservantur. Denique in creditorum concursu paraphernalium intuitu quidem hypothecam tacitam in mariti bonis habet uxor, non vero prælationis jus præ hypothecis anterioribus tacitis, quibus tamen ipsius dotis intuitu eam præferri diximus §. 636.

* Alio longe sensu dos receptitia in L. 31. §. 2. Dig. de Mort. caus. donat. dicitur illa, quam post mortem uxoris reddi sibi constituens a marito stipulabatur. Romanos Latina voce *receptitia* uxoris bona vocasse illa, quæ Græcis dicebantur παράφερνα docet *Brissonius* de Verb. Signif. Voc. recipere. Utut forte Romani ignoraverint verbale inter paraphernalia & receptitia uxoris bona discrimen, ipsam tamen rem suapte natura distinctam haud ignorasse existimo, cum alia omnino sit ratio bonorum, quorum custodiam uxor marito commisit, alia eorum, quæ ipsa tenet. Conf. L. 8. C. de pact. convent.

** Falso nonnulli, quos magno numero citat *Rauchbar* part. 1. qu. 47. num. 11. ex cap. 4. X. de donat. inter vir. & ux. propter adulterium uxoris omnia ejus paraphernalia marito esse applicanda existimant. Namque per dotalitium ibi paraphernalia intelligi frustra, sola glossæ autoritate nixi, contendunt.

§. DCLX.

§. DCLX.

Jure Saxonico ſpeciatim per Land-R. L. 1. art. 31. maritus habet administrationem & uſumfructum omnium uxoris ſuæ bonorum, adeoque & paraphernalium * quæ tamen ſi mobilia fuerint, uxore mortua, tanquam heres ipſius mobiliaris retinet, immobilia vero ejusdem heredibus reſtituit. Neque aliud obtinet in caſu, quo per culpam e. c. adulterium uxoris matrimonium ſolvitur. Tunc enim quamdiu vivit uxor, maritus in bonis ipſius uſumfructum habet, eadem vero mortua, ſola immobilia heredibus reddit. Hinc in divortii ſententia, qua Joannes Caſimir Saxoniæ Dux ab uxore ſua adultera 1593. ſeparatus legitur apud *Ludolf.* de jur. fœm. illuſtr. Append. 1. p. 15. 16. paraphernalia Duci adjudicata, ita tamen, ut neceſſaria inde alimenta adulteræ ſuppeditentur. In Creditorum concurſu, & quoad repetitionis privilegia apud Saxones paraphernalia pari paſſu cum dotalibus ambulant, & ſub generali bonorum illatorum nomine des eingebrachten Guths in unam eandemque claſſem referuntur, cujus quidem rei ratio hæc eſt, quod cum maritus idem ex paraphernalibus, quod ex ipſa dote commodum ſcilicet uſumfructum ſentiat, æqualem etiam utrinque ſecuritatem præſtare debeat. In Saxonia Electorali per Ord. Proc. Tit. 43. paraphernalium intuitu hypotheca tacita ſine prælationis jure erat indulta, quæ tamen per Ordinationem recognitam cum reliquis hypothecis tacitis ſublata. *Saxones.*

* Eaque proinde ſine uxoris conſenſu locat.

TITU-

TITULUS IX.

DE
Arrha & Largitate Sponſalitia.

* *
*

Arrhæ ſponſalitiæ ſunt munuſcula a deſponſatis in deſponſationis ſignum ſibi data, adeoque donationis, non pignoris jure cenſentur, niſi quod non ſecutis ob alterutrius mortem nuptiis retineri arrhæ ex moribus ſoleant. Largitatem ſponſalitiam deſponſati ſibi ad amorem conciliandum, at munera nuptialia amici recens nuptis offerunt.

§. DCLXI.

Arrhæ ſponſalitiæ.

Arrhæ ſponſalitiæ, Mahlſchatz, Ehepfand, ſunt munuſcula e. c. annulus, monilia vel alia pretioſa a deſponſatis utrinque ſibi in argumentum & firmamentum contractorum ſponſalium data *. Nonnulli jam dum veſtigia arrharum ſponſalitiarum reperiiſſe ſibi videntur in armillis, quas Eliezer Rebeccæ obtulit Geneſ. XXIV. 22. Sed cum Eliezer hæc munera obtulerit prius quam ſuum de ſponſa Jſaaco quærenda mandatum expoſuerit, ſponte patet, hoc negotium ad ſimplicem donationem eſſe referendum. Et magis huc quadrarent dona, quorum verſu 53. mentio injicitur.

* Im-

* Improprie arrhas pro Morgengaba accipi dicetur §. 688. Pro donatione propter nuptias arrhæ ponuntur in tabulis dotalibus Alfonsi Arragonii cum Eleonora Eduardi I. Anglorum Regis filia 1282. apud *du Mont* Corps diplomatique T. 1. P. 1. n. 52. item in tabulis dotalibus Philippi II. Hispaniæ Regis & Isabellæ Henrici II. Galliæ Regis filiæ 1559. ibid. T. 5. P. 1. n. 26.

§. DCLXII.

Sed haud forsan male origo arrharum sponsalitiarum repetitur a coëmtione uxorum. Moris enim fuisse apud antiquos Asiæ populos, tum etiam apud Græcos, Romanos, Francos, Saxones, Gothos, Burgundiones aliosque, ut uxores pretio quodam interveniente emerentur, erudite, multoque apparatu ostendit *Nicol. Hieron. Gundling.* in diss. de emtione uxorum Hal. 1722. Adde dicta a nobis in pactorum doctrina L. 2. Tit. 12. §. 617. *Earum origo.*

§. DCLXIII.

Inprimis apud Francos obtinuit hæc uxorum coëmtio per solidum & denarium, tum inter plebejos, tum inter illustres. De Clodovæo Francorum Rege memoriæ prodidit *Gregorius Turonensis*, quod ad Gundebaldum Burgundionum Regem direxerit legatos, petens, ut Chrotechildem neptem suam ei in conjugium sociandam traderet. Ille eam se daturum spondet. Legati offerentes solidum & denarium, *ut mos erat* Francorum eam partibus Clodovæi sponsant. *Apud Francos.*

§. DCLXIV.

Recentioribus quoque temporibus servati hujus moris vestigia deprehendimus in solennitate nuptiali, qua 1679. Princeps de Conti procuratorio nomine Caroli II. Hispaniæ Regis sibi Mariam Ludovicam Aurelianensem Versaliis copulari curavit, qua de re sic scribit *Limiers* histoire du Regne de Louis XIV. Tom. 7. Le Marquis de los Balbazes (Ambassadeur d'Espagne) avoit presenté au Cardinal de Bouillon (qui faisoit la ceremonie du mariage) dans un bassin treize pieces d'or, & un anneau d'or & d'argent melé ensemble: & le tout etant beni par le Cardinal, Monsieur *Usus.*

le Prince de Conty mit l'anneau au quatrieme doit de la main gauche de Mademoiselle, & lui donna les treize pieces d'or en foy de mariage.

Sic & cum 1680. Galliæ Delphinus Mariam Annam Christinam Victoriam Bavaricam jam dum Monachii per procuratorem copulatam Cabillonii exciperet, & Cardinalis Bouillonæus secundam benedictionem ipsis impertiretur, Cardinalis benedictos antea 13. numos aureos & annulum auro argentoque mixtum Delphino tradidit, qui annulum sponsæ digito imposuit, numos vero in matrimonii pignus ei dedit.

§. DCLXV.

Materia. Apparet simul ex his, quamvis plerumque arrhæ sponsalitiæ in annulo consistere soleant, tamen pecuniam quoque arrharum loco intervenire posse. Quod vero apud *du Mont* Corps diplomatique T. 1. P. 1. n. 529. Otto Burgundiæ Comes filiam suam Joannam uni ex filiis Philippi Pulchri Galliæ Regis promittens confitetur, se a prædicto domino Rege pro arrhis sponsalium recepisse centum millia librarum Turonensium in pecunia numerata, quas arrhas promittit in quadruplum solvere, si per se vel suam filiam steterit, quo minus dictum matrimonium contrahatur: hoc inquam non tam de arrhis, quam Morgengaba aut dote accipiendum esse existimo. Nam arrhas quandoque pro Morgengaba accipi notabimus. §. 688.

§. DCLXVI.

Indoles. Esse arrhas sponsalitias munuscula, quotidiana docet experientia, & nemo credo negabit. Hoc autem posito, patet recedere arrhas sponsalitias a communi arrharum, quæ aliis contractibus, emtioni, locationi &c. accedunt, natura, utpote quæ propius ad pignoris indolem accedunt, atque impleto contractu aut in pretium conventum imputantur, si nimirum pecunia numerata, aut restituuntur, si alia res arrhæ loco data. Conf. *Cujac.* L. XI. Obs. 17. At sponsalitiæ arrhæ donationis naturam imitantur, & quidem talis donationis, quæ fit propter causam, matrimonium scilicet speratum. Quare eodem secuto, donatio omnino subsistit, & uterque arrhas retinet: at non secuto matrimonio * adeoque deficiente causa, quare donatio erat facta, illa revocatur, & arrhæ utrinque repetuntur, nisi alteruter

teruter deſponſatorum fuerit in culpa, cur matrimonium non ſequatur, aut ſecutum diſſolvatur. Tunc enim pars innocens recte quidem quam dedit, arrham repetit, non vero reddere tenetur illam, quam accepit ab altera, utpote quæ damnum quod ſua culpa ſentit, ſentire non videtur. Soluto matrimonio putativo arrhæ ſimpliciter reſtituendæ, niſi alterutra pars impedimentum ſciverit.

* e. c. ob mutuum utriusque diſſenſum, aut quod ſponſalia ab initio nulla fuere.

§. DCLXVII.

Alterutro mortuo retinentur.

Quæ omnia utut per ſe clara & plana eſſe videantur, hinc inde tamen impugnantur & limitantur. Non attingam in præſenti, quod variis in locis circa privatos lege civili cautum reperitur, ut in caſu quo culpa vel unius vel utriusque deſponſatorum ſponſalia dirimuntur, arrhæ Conſiſtoriis cedant, ita tamen ut pars nocens innocenti damnum, quod ex arrhæ amisſione ſentit, reſarciat, unde tunc ceſſat, quod L. 5. Dig. de ſponſal. is cujus culpa nuptiæ non ſequntur, jubetur duplum arrharum reſtituere. Sed id inprimis eſt memorabile, quo ſi caſu quodam e. c. ob alterutrius mortem ſponſalia exitum non ſortiuntur, nec matrimonium ſequitur, arrhæ hodie retineri ſoleant, cum tamen reſtitui potius deberent per ea, quæ modo ex naturali earum indole deduximus, quæque Romani juris autoritate juvantur, quod arrhis ſponſaliorum nomine datis, ſi interea ſponſus vel ſponſa deceſſerit, quæ data ſunt, reſtitui diſerte jubet L. 3. C. de ſponſal. & arrhis ſponſalitiis. Nihilo ſecius non modo inter illuſtres hoc caſu arrhas retineri videmus, ſed idem etiam inter privatos & plebejos obtinere, ita ut non modo arrhæ jam datæ retineantur, ſed & promiſſæ ſaltem a defuncti heredibus exigantur, docet & præjudicio confirmat *Stry.k.* ad Brunnemann Jus Eccl. L. 2. c. 16. §. 4. ex eoque *Titius* ad Lauterbach Obſ. 745.

§. DCLXVIII.

it. conſummato matrim.

Quod vero nonnulli perhibent, conſummato matrimonio arrhas utrinque reſtitui, & quemlibet eam eam, quam dedit recipere debere, omni

fundamento destituitur. Confundere, qui hoc statuunt, videntur arrhas sponsalitias cum reliquis arrhis, quæ e. c. emtioni vel locationi accedunt, & pignoris naturam habent, adeoque adimpleto contractu passim recipiuntur. Ansam quoque huic errori dare potuit plebejorum mos, qui sponsalia celebrantes annulos arrhæ loco dare, eosdemque inter benedictionem sacerdotalem commutare iterum solent, ita ut quilibet eundem, quem prius dederat, recipiat. Verum tamen cum hoc per accidens saltem contingat, regula inde formanda non erit, multo minus illa personis illustribus applicanda: præsertim cum hæ alios annulos in desponsatione, alios iterum in benedictione sacerdotali adhibere soleant. Plane falsa & erronea eorum est opinio, qui arrhis a desponsatis sibi datis id actum perhibent, ut qui illas perdere vel reddere velit, recedere a sponsalibus queat. Vid. *Petr. Muller* de Jocalib. c. 5. §. 2.

§. DCLXIX.

Sponsalitia largitas. Sponsalitia largitas denotat quævis munera, quibus desponsati se invicem ad amorem conciliandum donant *, adeoque sunt species donationis propter causam pariter ac arrhæ, unde idem, quod circa arrhas juris esse audivimus, ad sponsalitiam quoque largitatem applicari poterit. Solent desponsati illustres non modo data occasione variis se muneribus afficere, sed & pactis dotalibus 1) certi valoris jocalia sponsæ promittere, nec non 2) certam pecuniæ summam statis temporibus solvendam, expensisque arbitrariis impendendam, pour les menus plaisirs, ein gewisses Hand-oder Spiel-Geld, Vid. §. 677. imo præterea Morgengabam, de qua Tit. sq.

* Quare sub sponsalitia largitate quandoque Morgengabam comprehendi animadvertimus, cujus jura peculiari Titulo sequenti exhibebimus.

§. DCLXX.

Jocalia. Plerumque promittuntur sponsæ Regiæ a sponso jocalia ad valorem 50000 thal. quæ vel plenæ ac liberæ futuræ conjugis ejusve heredum dispositioni relinquuntur: *vel* in casum, si uxor præmoritur, redire ad maritum

tum debent, nunc omnia, *nunc* ſaltem pro parte: *vel* denique ſi maritus ſine liberis præmoritur, mariti heredibus poſt uxoris obitum ſunt reſtituenda. De ſingulis caſibus ſubjiciemus unum alterumve exemplum ex Domini *du Mont* Corps diplomatique.

§. DCLXXI.

Philippus II. Hiſpaniæ Rex Annæ, Maximiliani II. Imperatoris filiæ ſequentia promittit: Dabit & donabit Catholica Majeſtas dictæ Sereniſſimæ Principi ejus futuræ conjugi jocalia & monilia adſcendentia ad valorem 50000. Scutatorum auri, quæ quidem erunt ſua propria ac jus & naturam proprii patrimonii ſortientur, ut tanquam de talibus ipſamet Sereniſſima Princeps *ad ejus voluntatem* diſponere poſſit. *Caſus* 1.

In pactis dotalibus Ludovici Galliæ Delphini & Mariæ Annæ Bavaricæ de 1679. legitur: Sa Majeſté tres Chretienne donnera pour Monſeigneur le Dauphin a la Sereniſſime Princeſſe Marie Anne Chriſtine pour ſes bagues & joyaux la valeur de 50000. ecus d'or Sol, les quels & tous autres qu'elle portera avec ſoi, lui appartiendront ſans difficulté, comme etant bien de ſon patrimoine propre a la dite Princeſſe, ſes heritiers ou ſucceſſeurs, ou a ceux, qui auront ſon droit & cauſe.

§. DCLXXII.

Henricus III. Poloniæ & Galliæ Rex Ludovicæ Lotharingæ tabulis dotalibus promiſit: le dit Seigneur Roi en faveur du dit mariage donnera a ſa dite future epouſe la valeur de 50000. ecus en bagues & joyaux, les quels demeureront propres & ſortiront nature d'heritage, & en pourra diſpoſer en cas de diſſolution de mariage & elle ſurvivant: Mais en cas qu'elle mourut avant le dit Seigneur Roi, *ils lui reviendront* ſans que les heritiers de la dite future epouſe y puiſſent rien pretendre en quelque ſorte que ce ſoit. *Caſus* 2.

§. DCLXXIII.

Pacta dotalia Galeacii Mariæ Ducis Mediolanenſis & Bonæ Sabaudæ ita ferunt: Adveniente caſu mortis illuſtriſſimi Domini Ducis, & dicta illu- *Caſus* 3.

illustrissima Domicella supervivente omnia jocalia usque ad summam 50000. Ducatorum, quæ per dictum dominum Ducem sibi donata fuerint, aut per aliam personam & communitatem contemplatione ejusdem Domini Ducis, nec non vestimenta & bona paraphernalia ac omnia ejus causa parata, quæ tempore mortis ipsius illustrissimi Domini Ducis ejus mariti tunc habebit, eidem illustrissimæ Domicellæ Bonæ plenarie & integraliter remaneant, de quibus disponere poterit sine contradictione quacunque ad suæ voluntatis arbitrium: ita tamen quodsi prædicta illustrissima Domicella Bona decedat sine filiis, supra dicta omnia & singula, quæ tempore mortis fuerunt in rerum natura, spectabunt & pervenient ad heredes dicti defuncti Domini Ducis, reservato, quod dicta illustrissima Domina Bona pro salute animæ suæ vel quoad pias causas *disponere poterit ad summam* 10000. Ducatorum.

§. DCLXXIV.

Casus 4. Philippus Dux Aurelianensis cum Elisabetha Charlotta Palatina paciscitur 1671. Mon dit Seigneur Duc d'Orleans pour la singuliere affection, qu'il porte a la dite Dame Princesse sa future epouse lui donnera des pierreries, bagues & joyaux pour la somme de 150000. livres, a la charge, que arrivant le predeceds de la dite dame Princesse sans enfans, les dites pierreries, bagues & joyaux lui seront restitué la quelle restitution aura aussi lieu en faveur des heritiers du dit Seigneur Duc d'Orleans en cas qu'il predecede la dite dame sa future epouse sans enfans apres toutes fois le deceds de la dite Dame *Princesse*, *qui en jouira sa vie durant.*

§. DCLXXV.

Exempla. Similem summam 50000. thal. pro jocalibus Carolus I. Magnæ Britanniæ Rex promisit Henricæ Mariæ Henrici IV. Galliæ Regis filiæ. Item Carolus II. Hispaniæ Rex Mariæ Franciscæ Sabaudæ 1666. la valeur de 40000. ecus en bagues & joyaux.

De Neapolitano Regno vide dicta §. 578.

Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux Margarethæ Francisci I. Galliæ Regis filiæ promet, enjoyaller la dite dame jusqu'a la valeur de 30000. thal.

At

At Victor Amadeus Sabaudus Christianæ, Henrici IV. Galliæ Regis filiæ en bagues & joyaux la valeur de 40000. ecus. Jacobus Sobiesky filius Poloniæ Regis Joannis III. Elisabethæ Palatinæ 1691. pro dote 100000. fl. præter contradotem ejusdem quantitatis, titulo doni nuptialis constituit alios adhuc 100000. fl. ita ut horum 300000. fl. ususfructus durante matrimonio Serenissimo domino Principi Regio, proprietas autem pleno jure conjugum superstiti ejusque heredibus & successoribus remaneat, sive liberi existant, sive non, salva ipsorum, si existant, successione.

§. DCLXXVI.

Quantum attinet ad modos amittendi id, quod ex sponsalitia largitate desponsati sibi donarunt, jus Romanum L. 16. C. de donationib. ante nupt. distinguit inter munera, quæ sponsus sponsæ, & ea quæ sponsa sponso dedit. Hæc nuptiis propter alterutrius mortem non secutis indistincte a sponsa ejusve heredibus recipiuntur, illa vero a sponso saltem, si osculum non intervenerit: * hoc vero interveniente, dimidiam saltem eorum partem recipit sponsus. Notum tamen est, hodie hoc osculi intervenientis discrimen ne inter privatos, multo minus inter illustres attendi. In putativo matrimonio sponsalitiam largitatem actu datam non repeti, sed nec promissam exigi posse ex L. 18. C. ad L. Jul. de adult. L. 5. & 15. C. de donat. ante nupt. docet *Hertius* de Matrimonio putativo §. 28. p. 46. *Modi amittendi.*

* Unde *Baldus* in Cap. Tuæ X. de procurat. infert, mulierem amittere dotem eo solo, quod osculum alicui præbuerit. Sed bene scribit *Bignon.* de Legib. abrogat. L. 4. p. 526. Bone Deus, si nostro tempore osculum foret causa dotis amittendæ, quam infinitæ uxores absque dote non viderentur?

§. DCLXXVII.

Pecunia peculiaris (vid. §. 669.) quam sponsus illustris futuræ suæ uxori pro expensis minutioribus & arbitrariis, *pour les menus plaisirs* statis temporibus solvendam assignat, Hand- oder Spiel-Gelder, est itidem species donationis ob causam nec proinde sine pacto prævio debetur. Solent tamen sponsæ illustres valde esse sollicitæ, ut sibi de eâdem largiter satis pro- *Spiel-Geld.*

proſpiciatur. Ex quo vero promiſſa eſt, conſtituit partem alimentationis, & proinde alimentorum jure gaudet, ni forſan ubi alia debita ſimul concurrunt, circumſtantiæ aliud efflagitent.

§. DCLXXVIII.

Exempla. Pactis dotalibus Guilielmi Arauſionenſis & Henricæ Mariæ Caroli I. Magnæ Britanniæ Regis filiæ 1640. ſtatutum: On payera tous les ans & de trois mois en trois mois par egale portion a la dite Princeſſe la ſomme de 1500. livres Sterling pour ſes menus plaiſirs outre ſon entretien habillement & gages des officiers & autres domeſtiques. Idem occurrit in pactis dotalibus Fridrici V. Electoris Palatini & Eliſabethæ Jacobi I. M. Britanniæ Regis filiæ de 1612. Pro expenſis minutioribus & arbitrariis Sereniſſimæ Dominæ Eliſabethæ, illuſtriſſimus Dominus Elector numerari faciet conſtante matrimonio, ad quatuor anni terminos, a die conſummationis matrimonii incipiendos in manus præfecti hoſpitii ſui vel alius ab ipſa deputandi ſummam 1500. librarum Sterl. ſeu valorem earundem in moneta Germanica ultra expenſas domeſticas, ſive in veſtitu, ſive in victualibus ſive in ſalariis.

Alias in domo Palatina uxoribus pro Handgeld annuos 400. thal. aſſignatos obſervabimus §. 708.

Adolphus Fridericus Megapolitanus Joannæ Saxo-Gothanæ 1702. præter Morgengabam 6000. thal. quarum uſuræ ſtatim poſt nuptias currant, promittit annuos 2000. thal. Hand und Kleider-Gelder.

Cum exadverſo §. 708. exempla Palatinum Badenſe & Munſterbergenſe aduxerim, ubi Morgengabæ uſuræ demum a morte mariti incipiunt, & hoc intuitu durante matrimonio quotannis ſolvitur ein anſehnlich Cammer-Geld zu täglichen Handgeld.

Sic & Antonius Guntherus Comes in Schwarzburg Auguſtæ Dorotheæ Brunſuicenſi 1684. promittit Dero zukünfftigen Hertzlieben Ehegemahlin zu Handgeldern alljährlich 400. Thlr. aus Dero Gräfl. Cammer würcklich reichen und entrichten zu laſſen.

§. DCLXXIX.

Suſtentatio. Omne punctum in hac materia ferunt pacta. Et ex adductis exemplis apparet, nunc comprehendi unter denen Handgeldern veſtitum, nunc vero ſeor-

seorsim de vestibus condignis conjugi illustri a marito prospici. Quemadmodum in genere, si aliud pacto non fuerit determinatum, aula conjugis a marito pro ipsius beneplacito instrui solet. Sed & hic largitatem & magnificentiam pactis promissam, imo speciatim quantitatem determinatam passim deprehendimus.

§. DCLXXX.

In Gallia Carolus IX. Rex Elisabethæ Maximiliani II. Imperatoris filiæ 1570. promisit: En ce que touche l'entretenement & soutenement de la personne, maison & etat de la dite Serenissime Princesse future Reine de France durant mariage le dit Seigneur Roi tres chretien lui assignera & ordonnera le dit entretenement en la quantité que la grandeur de sa couronne & qualité de telle Princesse & Reine, & à ce qui est de coutume en la maison de France, se doit & convient assigner, de maniere, qu'en cette partie elle sera traittée & soutenue avec la largesse & magnificence, que telle Reine & femme de tel Roi doit etre.

§. DCLXXXI.

In Hispania Philippus II. Annæ Maximiliani II. Imperatoris filiæ 1570. promittit: Quod attinet ad sumtus & alimenta, quæ dictæ Serenissimæ Principi futuræ Reginæ præbenda sunt constante matrimonio, pro domus, status & dignitatis suæ sustentatione: hoc sane constituet & assignabit Catholica Majestas ad eam quantitatem, & iis solutionibus & consignationibus, quæ dignitati & splendori tantæ Reginæ & Catholicæ Majestatis amplitudini convenient.

Carolus II. Hispaniæ Rex Mariæ Ludovicæ Aurelianensi 1679. declarat, que le dit Roi Catholique donnera à la dite Serenissime Princesse entretenement pour son etat & maison tel, qu'a si grande Princesse, petite fille, niece, femme & fille de si puissans Rois appartient, & icelui assignera sur bonnes rentes avec seures & fermes assignations, & suffisantes hypotheques, au contentement de la dite Princesse.

§. DCLXXXII.

In Lusitania Petrus Rex fratris Alfonsi uxorem Mariam Franciscam Elisabetham Sabaudam ducturus 1666. per suos ministros promittit: Le Serenissime Prince Don Pedro considerant, que les 20000. Croisades, qu'on avoit assigné par an à la dite Princesse pour l'entretien de sa maison, & qu'on luy assigne de nouveau par ce present contract ne sont pas suffisants, les dits Marquis de Niza & Don Rodrigue de Menezes promettent au nom du meme Prince, leur commettant, 20000. Croisades par an, qui seront prises sur les Douaires afin que la dite Serenissime Princesse jouisse de ces 40000. Croisades durant sa vie ainsi, que de tous les revenus affectes aux Reines de Portugal.

§. DCLXXXIII.

In Sabaudia Emanuel Philibertus Margarethæ Francisci I. Galliæ Regis filiæ 1559. promittit: afin que la dite Dame puisse mieux & plus aisement entretenir son dit etat selon le lieu & maison, dont elle est, luy a le dit Seigneur Duc, outre ce que sa Majesté lui delaisse, promis & promet bailler la Somme de 20000. ecus par chacun an, la quelle Somme le dit Seigneur Duc luy fera payer & bailler par chacun quartier d'année, pour etre employée à l'entretenement de sa personne, & maison, & autrement à son bon plaisir & volonté.

Victor Amadeus Christinam Henrici IV. Galliæ Regis filiam ducturus 1619. una cum suo pareute promittit: donneront les dits Seigneurs Duc de Savoie & Prince de Piemont, a ma dite Dame Chretienne, entretenement pour son etat & maison tel qu'a sa qualité & condition peut appartenir, & icelui assigneront sur des bonnes rentes & revenus assurés, au contentement de la dite Dame, jusqu'a la Somme de 100000. livres.

Antonius Franciscus Farnesius Dux Parmensis assignavit 1727. Henriettæ Mutinensi pro sustentatione singulis mensibus 100. pistoles.

§. DCLXXXIV.

Munera nuptialia. Differunt a sponsalitia largitate munera nuptialia, quæ amici recens nuptis offerunt. Dari hæc solent in privatorum nuptiis in compensationem sum-

ſumtuum feſtivitati nuptiali impenſorum, adeoque ſponſæ, quæ ſumtus illos erogare ſolet, regulariter cedunt. Nonnunquam parentes ſponſæ in compenſationem impendiorum nuptialia munera ſibi vindicant. In illuſtrium vero nuptiis hæc ratio ceſſat, iisque noviter nuptis munera hæc ſolius amicitiæ intuitu, citra habitum ad ſumtus nuptiales reſpectum offeruntur, & proinde utrinque æqualiter acquiruntur, nec quicquam intereſt, utrum ab unius amicis & conſanguineis plus minusve, vel nihil omnino donatum. Quare & in creditorum ſuper mariti bonis concurſu uxor dimidiam donorum nuptialium, ſi adhuc extant, partem ſibi vindicat: ſin diſſipata ſint, eorum intuitu inter perſonaliter privilegiatos ante chirographarios locum ſortitur, niſi in dotem ea obtulerit uxor, tunc enim pari cum dote paſſu ambulant.

TITULUS X.

DE

Morgengaba.

* * *

Morgengaba eſt munus, quod maritus illuſtris vel ſponſus uxori, non præciſe ob virginitatem ereptam, ſed in genere ob thalami conſcenſionem, ut liberrime de eo diſponat, dat vel promittit. Non debetur niſi promiſſa, & promiſſa regulariter demum poſt mortem mariti cum uſuris capitur, & moribus hypotheca tacita, omnibus tamen aliis poſtponenda gaudet. Unde & differt von denen Hand- und Spiel-Geldern.

§. DCLXXXV.

Morgengabæ definitio. Morgengaba etymologice conſiderata ſignificat quodvis donum matutinum, at in ſtrictiori ſenſu olim ſumebatur in ſpecie pro illo dono matutino, quod altero nuptiarum die ſponſæ a ſponſo in præmium virginitatis ereptæ offerri ſolebat. Hodie vero magis ei convenit definitio *Rhetii* Inſt. Jur. publ. L. 1. T. 22. §. 17. qua Morgengaba eſſe dicitur munus ſolenne, quod maritus novus (vel ſponſus) perſona illuſtris uxori ſuæ (non præ-

præciſe ob virginitatem ereptam ſed) ob conſcenſionem thalami in liberrimam diſpoſitionem dat (vel promittit). Atque hanc Morgengabam Germanicæ eſſe originis, vel ipſa vox indicat, id quod idiomatis Germanici vel aliqualiter gnaros fugere nequit, ac mirifice ineptiunt *Iſernias* & *Matthæus de Afflictis* ad 2. feud. 29. qui Latinam eam eſſe, & quaſi mortis cauſa capionem ſeu donationem dici contendunt. Repugnat huic derivationi ipſa Morgengabæ indoles, quæ eſt negotium inter vivos, non vero mortis cauſa.

§. DCLXXXVI.

Antiquitatem ejus vel inde colligas, quod expreſſa vocabuli Morgengabæ mentio occurrit apud *Gregorium Turonenſem* Seculi VI. ſcriptorem in Hiſtoria Francorum L 9. c. 20. Imo ſunt, qui jam Taciti temporibus Morgengabam Germanis fuiſſe in uſu ex ſequentibus libelli de Germanorum moribus verbis evincere cupiunt: dotem non uxor marito, ſed uxori maritus offert. Interſunt parentes & propinqui, ac munera probant, munera non ad delicias muliebres quæſita, nec quibus nova nupta comatur, ſed boves & frenatum equum & ſcutum cum framea gladioque. In quo Taciti loco per dotem Morgengabam denotari exiſtimant, quam opinionem juvat, quod in jure provinciali Saxonico, item Bavarico (vid. *Schilter.* Inſt. Jur. publ. L. 1. T. 9. §. 7.) vox Morgengaba a Latino interprete plerumque * per dotem effertur (quod tamen improprie fieri infra dicetur, ubi Morgengabæ a dote proprie ſic dicta differentiam notabimus §. 718.) Accedit quod memoratæ a Tacito circumſtantiæ e. c. quod Morgengaba detur præſentibus parentibus & propinquis, quodque in bobus & equis conſiſtere ſoleat, optime congruant Morgengabæ deſcriptioni, quæ reperitur Land-R. L. 1. art. 20. & 24. quæ loca tanquam genuina juris Morganatici fundamenta probe ſunt notanda. *Antiquitas.*

* Aliquando & donatio propter nuptias ipſi vocatur L. 3. art. 76.

§. DCLXXXVII.

Imo altius forte aſcendere liceret, & ipſam Morgengabam voce Morgengabæ longe eſſe antiquiorem aſſerere, quia ejus jam veſtigia apud Hebræos *Origo Germanica.*

 ſpecia-

ſpeciatimque Geneſ. XXXIV. 12. 1. Sam. XVIII. 25. occurrunt. Morgengabæ inter Romanos & Græcos veſtigia animadvertit *Myler.* Gamolog. c. 15. §. 6. & inter Thraces c. 17. §. 1. A Germanis tamen cum voce ipſa ſpecialis Morgengabæ forma fuit ſuperaddita, ita ut ejus origo, prout nunc eſt, nihilo ſecius ad Germanos ſit referenda.

§. DCLXXXVIII.

Uſus inter exteros.

Utut autem Morgengaba Germanis originem debeat, ejus tamen uſum ad alias quoque gentes cum coloniis Germanicis tranſiiſſe, non nego. Apud Hiſpanos eam vigere, & in Caſtilia arrhas, in Catalonia Screix ſeu ſponſalitium, in Arragonia Excrex ſeu firmam dotis, in Sardinia Esgreiz, in regno Neapolitano Antiphatum vocari docet *Myler.* Gamolog. c. 15. §. 4. ſq. Italis ſpeciatimque Longobardis & Mediolanenſibus Morgengabam fuiſſe frequentem, ex 2. feud. 29. diſcimus. Poloniæ Reges inde a Sigismundi III. temporibus pro donativo nuptiali annua duo millia Ungaricalium ad vitæ tempora ſolent aſſignare. Vid. *Gotfr. Lengnich.* Jus publ. Regn. Polon. T. 1. L. 2. c. 16. §. 12. Lubenter etiam conceſſerim, exteros Morgengabæ uſum recipientes, certis in paſſibus eam mutaſſe atque ad genium ſuum accommodaſſe. Imo in ipſa Germania hodiernam Morgengabæ indolem ab illa, quæ priſcis Germanis erat uſitata, paulisper differre, & mutatam eſſe, patebit ex ſequentibus circa Morgengabæ jura dicendis. Seorſim videbimus a quo & cui detur Morgengaba, quid ejus nomine, quomodo denique, & quem in finem detur?

§. DCLXXXIX.

Datur a marito nobili.

Quamvis Morgengaba ſit donationis ſpecies, & proinde a libera cujusque voluntate pendere videatur: id tamen ſaltem procedit in ſummis imperantibus aliisque perſonis lege civili ſolutis. Quoad ſubditos vero ſicut omnis in genere donatio, ita & Morgengaba formam certam a lege civili accipit, ex cujus præſcripto peragi præciſe debet. Quod ſi itaque de Germania quæratur, quis ibidem Morgengabam dare poſſit? reſpondeo, maritus novus illuſtris, vel ad minimum nobilis, ſeu ordinis equeſtris. Ita enim clara verba ſonant Land-R. L. 1. art. 20. princ. Ein jeglich Mann von

von Ritters Art mag geben seinem Weibe Morgengab, & in fine: Alle die von Ritters-Art nicht seyn, die mögen ihren Weibern nicht geben zur Morgengab, denn das beste Pferd oder Vieh das sie haben.

§. DCXC.

Hæc ut rectius intelligantur, ex antiquo Germanorum jure repetendum est, olim apud Germanos valde restrictam fuisse alienandi facultatem, & sine heredum consensu & legitimo termino judiciali nemini proprietatem aut servum alienare, nec mobilia in mortis eventum transferre licuisse: Ohne Erben Laub, und ohne Gericht mag niemand sein eigen noch seine Leute vergeben Land-R. L. 1. art. 52. Ab hac regula velut per privilegium & jus quoddam singulare eximuntur, qui equestris sunt ordinis, iisque NB. sine heredum assensu (ita expressa ferunt verba cit. art. 20.) Morgengabam uxoribus dare permittitur, negata simul vel certe magis restricta plebejis hac libertate. *Ejus rei ratio.*

§. DCXCI.

At cum hodie Germani a pristino suo rigore recesserint, & cuilibet indistincte, sive nobilis, sive plebejus sit, liberam circa bona sua disponendi, eaque pro lubitu alienandi facultatem concedant, videri posset, ac si dicta plebejos inter & nobiles differentia etiam quoad Morgengabam cessare, & cuique etiam plebejo eandem constituere liberum esse debeat. Nihilo tamen secius Morgengabam hodienum inter solas nobiles & illustres personas frequentatam, & inter civici ordinis homines plane non in usu esse animadvertimus, forte quia hodienum conjuges sibi invicem, utut interveniente judicis autoritate, donare prohibentur. Imo si forte plebejus hodie uxori judicialiter & consentiente constituto eidem curatore Morgengabam promitteret, hæcque ipsius donatio per mortem mariti confirmaretur, id tamen discriminis intercedere putarem, quod talis Morgengaba, utpote a nudo mariti facto pendens, hypotheca tacita destituatur, qua tamen nobilium Morgengaba gaudet. *Hodierna indoles.*

§. DCXCII.

§. DCXCII.

Datur tum ante nuptias.

Esse autem debet persona, quæ Morgengabam constituere vult, maritus novus *. Dari enim solebat altero nuptiarum die nach beschlagener Decke, seu ut cit. art. 20. dicitur, antequam maritus cum uxore ad prandium discubuerit. Sed num ita ad secundum nuptiarum diem ad stricta est Morgengaba, ut nec anticipari nec prorogari possit? Et primo quidem quod attinet ad quæstionem, num ante nuptias sponsus sponsæ Morgengabam dare valeat, sæpe citatus art. 20. illud quidem non prohibet sed dum in genere permittit, Morgengabam erogare antequam vir cum uxore ad prandium discumbit, omni tempore, quod prandium illud antecedit, eam dandi facultatem concedere videtur. Ne minimum tamen apparet vestigium, quo priscis temporibus Morgengabam ante nuptias fuisse datam, ostendi possit. Recentioribus econtra nostrisque temporibus frequenter satis, imo frequentius quam altero nuptiarum die Morgengaba ante nuptias in ipsis sponsalibus, dumque pacta dotalia conduntur, constitui solet.

* An pater illustris cogi potest ad constituendam pro filio Morgengabam? Neg. quia est donationis species, ad quam nemo cogitur. Dissentit *Myler* Gamolog. c. 16. §. 2. cujus tamen rationes ex jure Romano petitæ ad hocce patrium institutum non quadrant. Nec stringit argumentum a dotalitio petitum, cujus sane causa multo favorabilior, cum in dotis locum succedat, & alimentorum loco sit.

§. DCXCIII.

Imo statutis nonnullorum locorum Morgengabam expresse debere postulari ante sponsalia inita, seu nuptias celebratas, & si non promissa, nec constituta, postea nullo jure deberi, aut exigi posse, idque præprimis in Lusatia superiore & quidem Zittaviæ in usu esse, ex *Lanckischii* dissertatione de Morgengaba Zittaviensi refert *Beyer.* Jur. Germ. L. 2. c. 16. pos. 14. Quibus statutis num forte præpostera juris Romani, donationes inter conjuges prohibentis applicatio ansam dederit, pro certo asserere non ausim.

Id

Id saltem dubio caret, etiamsi post receptum inter nos jus Romanum inter conjuges donationes sint prohibitæ, Morgengabam tamen esse licitam (quicquid dissenserit quondam *Sichardus*) non quidem ut nonnulli volunt, quia est virginitatis remuneratoria, aut quia fit honoris causa, sed quia patriis moribus ante receptum jus Justinianeum subsidiarium invaluit, nec non quia plerumque demum post mortem mariti, adeoque matrimonio finito exitum capit, quo casu apud ipsos Romanos conjugum donationes sustinentur.

§. DCXCIV.

Sed nec alterum, quod scilicet post nuptias Morgengaba constitui amplius nequeat, ex dicto art. 20. poterit exsculpi. Solius enim exempli causa non vero, quod primo intuitu videri poterat, ad excludendum omne aliud tempus addita esse verba: *antequam cum uxore ad prandium discubuerit*, apparet ex jure Weichbildico art. 22. ibi: Morgengab ist eine solche Gab, die ein jeglicher Mann von Ritters-Art seinem Weibe gibt des morgends als wenn er mit ihr zu Tische gehet. Diese Morgengab mag auch der Mann seinem Weibe geben NB. wenn er will. Conf. §. 700. Inepte autem *Sichardus* ad Rubr. de donat. ante nupt. n. 12. Morgengabam post nuptias constitutam pronuntiat invalidam ideo, quod prohibita sit conjugum donatio. Verba ejus ita fluunt: Quamvis hodie illa donatio habeatur pro valde valida propter errorem juris, tamen ego puto, non tenere propter rationem, quæ traditur communiter in tit. de donat. inter vir. & uxor. Certum enim est, quod illa donatio fit jam constante matrimonio post copulam. Ita si solveretur morte uxoris vel divortio, crederem esse invalidam. Ita consului, sed fui irrisus. Hactenus Sichardus, qui merito fuit irrisus, quod Morgengabam, institutum juris Germanici, ex jure Romano metiri voluerit.

Tum post nuptias.

§. DCXCV.

Persona, cui datur Morgengaba est uxor mariti nobilis. Utrum vero ipsa nobili an civico genere sit prognata, quoad Morgengabæ passum plane nil refert. Quo vero intuitu, quamque ob causam illa uxori detur, non penitus inter Doctores convenit. Non dotis intuitu eam dari, adeoque utram

Uxori non præcise ob virginitatem.

utramque, tum quæ dotem intulit, tum quæ indotata venit, illam capere posse, omnes fere consentiunt. Plerique vero eam in præmium virginitatis ereptæ, & remunerationem Zonæ virgineæ solutæ dari contendunt, indeque inferunt, viduam a secundo marito eam non accipere. At si vidua juveni nobili nubat, eam ex natura correlatorum, ob præstitum primum thalami rudimentum, ipsi Morgengabam offerre teneri, putat *Myler.* Gamolog. c. 6. n. 4. & hoc ipsum in nonnullis Germaniæ locis olim in usu fuisse monet *Beyerus* l. c. pos. 16. & in Catalonia obtinere ex *Joanne Pontano Nævius* de jurib. fœminar. in feudis c. 3. §. 10. At nos hoc speciale prorsus esse, & regulariter Morgengabam in genere ob thalami conscensionem, sive ceteroquin corporum commixtio secuta sit, sive minus, dari, adeoque etiam viduam illustrem eam accipere putamus, sive adolescenti sive viduo nubat, hac moti ratione, quod Land-R. L. 1. art. 20. in genere de quavis uxore nobili loquitur, citra additam virginitatis decerptæ mentionem. Quare lege non distinguente, neque nos inter sponsam virginem & viduam distinguendum esse censemus. Consentientes habemus *Rherium* Inst. Jur. publ. L. 1. T. 22. §. 21. *Ludewigium* ad A. B. p. 549. *Bœhmerum* de secundis nuptiis personar. illustr. p. 166. Exemplum Morgengabæ viduæ præstitæ occurrit in tabulis dotalibus inter Henricum juniorem Ruthenum Misnensem Burggravium, & Annam Pomeranicam, viduam Anhaltinam 1566. apud *Lünig* 5te Abtheilung p. 255. ubi sponsæ nebst einem Fürstl. Kleinod 200. fl. annui reditus Morgengabæ loco assignantur.

§. DCXCVI.

Sed thalami conscensum. Interim sive ob virginitatem ereptam, sive ob solum thalami conscensum Morgengabam dari dicas, illud tamen utrinque relinquitur, ut uxor eam capere possit, concubitum præcise requiri, adeo ut licet promissa a marito ante nuptias fuerit, iisdem tamen non secutis, peti nequeat. Imo etiamsi nuptiarum dies illuxerit, benedictio etiam sacerdotalis secuta fuerit, maritus autem ante celebratum concubitum subito moriatur, tamen Morgengaba promissa non debebitur, utut dissentiat *Myler.* Gamolog. c. 16. §. 8. Pariter nec illegitimus concubitus sufficit, adeo ut si sponsus post anticipatum concubitum ante benedictionem sacerdotalem decesserit, Morgengaba tamen capi nequeat.

§. DCXCVII.

§. DCXCVII.

Illa vero quæstio, utrum Morgengaba debeatur in casu, quo sponsus post peractas rite nuptias, celebratumque concubitum subito decessit, antequam secundus nuptiarum dies illuxit, hodie plane est supervacanea. Cum enim §. 692. audiverimus, ante nuptias æque ac post eas valide constitui Morgengabam, sufficit omnino eandem esse promissam, & secutum esse concubitum, cujus intuitu erat promissa. Imo nec aliter olim jure antiquo rem se habuisse putarem. Supra enim evici, secundum nuptiarum diem, sive verba: *antequam cum uxore accubuerit*, solius exempli causa antiquis legibus Morganaticis addi, ut proinde frustra sit *Coccejus*, dum propositam modo quæstionem negat, notatus propterea a *Beyero* - Jur. Germ. L. 2. c. 16. pos. 22. qui recte provocat ad Land-R. L. 3. art. 45. Sie ist sein Genoßin, und tritt in sein Recht, wenn sie in sein Bette tritt, ex quibus optime infert, etiam quoad Morgengabam solam matrimonii consummationem non autem præcise secundum nuptiarum diem respici debere.

§. DCXCVIII.

Res, quæ in Morgengabam dari possunt, sequentem in modum recenset * Land-R. L. 1. art. 24. Zur Morgengab gehöret alle Feldgänge Pferd und Rinder, und Ziegen und Schwein, die vor den Hirten gehen, und Zimmer, ædificia carpentata, seu ut glossa marginalis interpretatur, Gebäude, daß da ungericht, oder gericht und nicht gedeckt, addunt etiam nonnulli Codices sepes, Gezeune und Zaunstecken, quos & juvat tum art. 20. ubi non modo sepes, sed & servus impubes, & ancilla inennis additur, tum etiam Speculum Suevicum cap. 297. Nun mercket und vernehmet, was ein jeglich Mann der von Ritterlicher Art ist, seinem Weibe zur Morgengab geben mag, ohne seiner Erben Urlaub, des morgends an ihren Bett, oder so er zu Tische gehet, oder ob den Tisch, so mag er geben seinem Weibe ohne seiner Erben Urlaub einen Knecht oder eine Magd, die zu ihren Jahren kommen sind, und Zeunen oder Gezimmer ob der Erd.

Dabantur olim pecora & ædificia.

* Apud Longobardos etiam immobilia & latifundia in Morgengabam data fuisse patet ex Diplomate de 1048. apud *Lucam Acherium*

rium Spicileg. Tom. XII. n. 36. p. 155. unde illud repetiit *Ludewig* de dote mariti p. 7.

§. DCXCIX.

In determinata quantitate.

Quod vero de pecoribus pascualibus dicitur, ea ad Morgengabam pertinere, illud Doctores multi in iisque *Nævius* de juribus fœminarum in feudis c. 3. §. 10. p. 49. quosque citat *Rothschüzius* & *Carpzovius* restringunt ad solas fœminas pecudes, ac Morgengabæ saltem annumerant alles Feldgänge weibliche Vieh mit den Kalben, Ziegen, Schweinen so vor den Hirten gehen, desgleichen alle unbeseilte Stuten und Mutterpferde, so auf die Weyde gehen, und noch nicht eingespannet. Sed iis certe refragatur Latinus interpres, qui citatum articulum 24. ita reddidit. Ad dotem (Morgengabam) equi (non equæ) cum vaccis & capræ cum porcis, *qui* NB. & quæ gregatim pascantur, noscuntur pertinere &c. Illud vero difficultate caret, quod Morgengabæ tanquam emolumenta & fructus annumerari debeant pulli & vituli utriusque sexus, qui ante trigesimum diem post mortem mariti nascuntur argumento articuli 22. Lib. 1. Land-R. in genere tamen excipi debere a Morgengaba omnia illa pecora (utut fœminini sexus) in quibus maritus mercimonia egit, damit er Hantthierung getrieben, quæ proinde non ad uxorem, sed heredes mariti transeunt. Antiquis etiam legibus nonnullis propter effusam virorum in novas uxores liberalitatem Morgengabæ modum ita fuisse statutum, ut illa quartam partem bonorum, quæ maritus tempore nuptiarum possidebat, non posset superare, si vero uxorem secundam duceret, eidem nonnisi tertia pars ususfructus relinqueretur, ex *Stirnhœckii* legibus Gothicis monet *Beyer* Jur. Germ. L. 2. c. 16. pos. 12. Lex Longobardorum Lib. 2. tit. 4. statuit: Ipsum Morgincap nolumus ut sit amplius, nisi quarta pars de ejus substantia, qui ipsum Morgincap dedit. Speculum Suevicum part. 1. c. 297. hæc habet: Was ein Mann seinem Weib zur Morgengab geben mag, das merck also. So giebt der Freyherr das 100. Marck gilt. Ich meyne Fürsten und andere Freyherrn. Die Mittelfreyen mögen geben das 10 Marck gilt. Die Dienstmanne der Fürsten mögen geben, das 5. Marck gilt. Was andre Leute ist, die mögen nicht mehr geben, den ein Roß oder ein Vieh.

§. DCC.

§. DCC.

Quæ hactenus de objecto Morgengabæ diximus, soli innituntur antiqui juris Germanici doctrinæ de restricta alienandi facultate, & proinde hodie usum plane nullum præbent. Hodie enim ubi quilibet circa bona sua liberrime disponere & regulariter pro arbitrio citra heredum consensum eadem alienare valet, omnia illa bona, quæ alienari possunt, etiam in Morgengabam dari poterunt. Hinc non amplius pecora pascualia * aut ædificia carpentata, sed plerumque jocalia ein Kleinod, & pecuniam certam vel quotannis durante matrimonio, vel in una summa demum post mortem mariti solvendam Morgengabæ loco assignari videmus. *Hodie pecunia & jocalia.*

* Pecudes, quas nobiles viduæ Morgengabæ loco lucrantur, illustres fastidiunt, scribit *Ludolf.* de jur. fœm. illustr. p. 196. in fin.

§. DCCI.

Observat *Ludolf,* de jure fœminarum illustr. p. 181. in Principum familiis Morgengabam 4000. thal. summam raro excessisse, ordinariam quantitatem esse 2000. thal. addi quandoque ein Fürstl. Kleinod: inter nobiles 200. thal. At nos sequentia notabimus exempla. *Exempla.*

Maximilianus Bavariæ Elector Mariam Annam Ferdinandi II. Imperatoris filiam 1635. promittit zu bemorgengaben mit 50000. fl. quæ summa ad dotalitium augendum in dotem fuit imputata. Conf. §. 773.

Albertus V. Bavariæ Dux Annæ filiæ Ferdinandi I. 1546. constituit Morgengabam 10000. fl.

Fridericus Wilhelmus Dux Saxo-Altenburgicus Sophiæ Würtenbergicæ 1583. 8000. fl. unde, donec reluatur caperet 5. pro Cent.

Joannes Wilhelmus Saxoniæ Dux Dorotheæ Susannæ Palatinæ 1560. nebst einem stattlichen Kleinod 4000. fl. Misn. a 10. pro Cent. donec post mariti obitum reluatur.

Fridericus Wilhelmus M. Elector Brandeburgicus Ludovicæ Arausionensi 1646. promisit le lendemain de la consommation de Mariage un present d'une rente de 1000. Risdales sa vie durant, outre ce dont elle jouira par sa qualité de veuve.

Adolphus Fridericus Dux Megapolitanus Johannæ Saxo-Gothanæ 1702. nebst einem Fürstl. Præsent eine sonderbare Verschreibung auf 6000. Thlr. Hauptgeld, solche jährlich nach geschehenen Fürstl. Beylager mit 5. pro Cent zu verzinsen zur Morgengab überreichen lassen.

Philippus Badensis Sibyllæ Juliacensi 1586. 6000. fl. a 5. pro Cent. quæ usuræ demum post mariti obitum currant.

Philippus Ludovicus Comes Palatinus Annæ Juliacensi 1574. 4000. fl. a 5. pro Cent itidem a morte mariti.

Joannes Nassovius Elisabethæ Hassiacæ 1478. annuos 400. fl. ad vitæ dies.

Antonius Guntherus Schwarzburgicus Augustæ Dorotheæ Brunsuicensi 1684. 1000. thal. quorum usuræ 5, pro Cent currunt a morte mariti.

In familiis Comitum a Castell, Erpach, Hohenloe, Lœwenstein, Reuss, Sayn, Schœnburg, Solms, Stolberg, Waldburg, Waldec Morgengaba solet esse 1000. fl. & quidem apud Castellos Reussios & Waldeccios a 10. pro Cent. apud reliquos a 5. pro Cent donec reluatur. vid. §. 710.

Apud Comites Mansfeldenses vi pacti de 1519. vidua post obitum mariti pro Morgengaba nonnisi 400. fl. accipit.

§. DCCII.

Immobilia. Rarius in immobilibus Morgengaba constituitur. Joannem Austriæ Ducem a fratruele Alberto Romanorum Rege munitiones dominii in Kyburg, utpote matri suæ per Rudolphum Regem Romanorum Morganatico jure donati, petiisse ex *Alberto Argentinensi** observat *Myler* Gamolog. c. 17. §. 1. Longobardicum exemplum attigimus §. 698.

* Mallet quidem *Bœhmer* de secundis illustrium personarum nuptiis p. 151. hunc Alberti Argentinensis locum ad dotalitium referre, sed præter rem. Nam dotalitium morte uxoris extinguitur. Hic autem Joannes post matris mortem sibi asserebat bona, quæ mater Morganatico jure acquisiverat. Sic & idem *Albertus Argentinensis* alio loco dicit: Andreas Ungarus Viennam obsedit, & ad dandam sibi filiam Albertum Austriæ Ducem

cem coëgit, dans filiæ Presburg & multas alias munitiones *jure morganatico*.

§. DCCIII.

Ferri hinc poterit judicium de quæstione, an ex feudo constitui possit Morgengaba. Scilicet cum ipsa feudi substantia sine domini directi & agnatorum consensu regulariter alienari nequeat, nec ex ea Morgengaba sine eodem dari poterit. Fructus econtra ex feudo percepti cum allodiales fiant, recteque alienentur, recte etiam in Morgengabam dantur. Simile esto judicium de bonis conductitiis allodialibus æque ac feudalibus. Hæc enim cum ad conductorem una cum pertinentiis suis e. c. inventario non pertineant, neque ex iis Morgengaba constitui potest. Ex eorum vero fructibus, deductis tamen iis bonis, quæ ad inventarium spectant, Morgengaba recte capitur. Ex dictis quoque expediri poterit controversia, an Morgengaba, a marito defuncto promissa, ab ipsius herede an a successore solvi debeat? Prius statuit *Coccejus* Jurispubl. prud. c. 28. §. 9. posterius *Ludolph* de jur. fœm. illustr. p. 181. *An ex feudo Morgengaba debetur?*

§. DCCIV.

Quomodo deberi incipiat Morgengaba? haud ita expeditum. Id quidem largiuntur omnes, posse Morgengabam per pactum expressum uxori a marito constitui: plerique tamen simul contendunt, aliquam etiam ipso jure citra mariti promissionem per solam thalami conscensionem uxori acquiri. Atque his favere videtur memoratus art. 24. ubi Morgengaba non modo medio inter Hergewettam & Geradam, quam utramque ipso jure deberi constat, loco collocatur, sed diserte etiam dicitur: Nach dem Heergewette soll das Weib nehmen ihre Morgengab. Verius tamen putarem, ipso etiam antiquo jure tunc demum Morgengabam uxori deberi, ubi a marito fuit promissa. Postulat hoc ipsa Morgengabæ indoles, quæ, quod vox sola indicat, est donationis species. Donatio autem arbitrii non necessitatis esse, nec lex quemquam invitum ad donandum compellere præsumitur. Quid quod ipse articulus 20. liberrimam marito facultatem Morgengabam erogandi relinquit verbis: Nun vernehmt, was ein jeglich Mann *An citra promissionem?*

Mann von Ritters-Art mag NB. geben seinem Weibe zur Morgengab quid erogare poterit, non quid debeat. Suffragatur L. 2. art. 21. Nec contradicunt hi articuli articulo 24. ubi dicitur: Nach dem Heergewette soll das Weib nehmen ihre Morgengab, sed rite inspecti amice potius inter se conspirant. Articulus 20. solum maritum & uxorem respicit ac de Morgengaba demum constituenda agit, adeoque marito libertatem eandem erogandi relinquit. At articulus 24. non amplius maritum respiciendum sistit, quippe quem jam mortuum, adeoque Morgengabam ab eo jam promissam supponit, sed uxorem saltem in relatione ad defuncti mariti heredes considerat, atque his necessitatem dandi Morgengabam imponit, sub tacita tamen, quam ipsa, ceu diximus, Morgengabæ indoles requirit, conditione, si nimirum a marito vivo promissa. Quod vero Morgengaba in dicto textu cum Heergewetta & Gerada conjungitur, ideo saltem factum videtur, quoniam æque ac hae mortuo demum marito ab ipsius heredibus præstari debent, non vero ac si ipso jure citra mariti promissionem deberetur, ut Heergewetta & Gerada. Et si ipso jure deberetur Morgengaba post mortem mariti, quid quæso opus esset juramento desuper a vidua præstando, quod tamen alia probatione deficiente exigit art. 20. in fin. Morgengab mag ein Weib auf den heiligen (juramento) wohl behalten ohn Gezeugniß. Corruit igitur illa nonnullorum distinctio in Morgengabam conventionalem seu communem, & legalem, cum omnis sit conventionalis.

§. DCCV.

Neg. Hodie sane Morgengaba, si a marito vivo non constituta aut promissa fuit, ab ejus heredibus peti nequit, id quod ex universalibus Germaniæ moribus deducit *Rhetius* Inst. Jur. publ. L. 1. T. 22. §. 19. quo tamen, tanquam ad rem si non prorsus incertam, certe probatu difficilem, me recipere nolo, præsertim cum per modo dicta idem ex ipsa Morgengabæ indole, legibusque Germaniæ deduci queat. Nihil autem interesse, sive in testium præsentia, sive per nudam scripturam a marito Morgengaba promittatur, monet idem *Rhetius* l. c. hac addita ratione, quod sit donatio inter vivos, eodemque cum ea jure gaudeat. Si autem de promissione constet, uxorem super quantitate hujus doni ad juramentum suppletorium admit-

admittendum esse putat. Adde tamen verba modo citata ex Land-R. L. 1. art. 20. in fin. Morgengab mag ein Weib auf den heiligen wohl behalten NB. ohn Gezeugniß.

§. DCCVI.

Quid vero juris consequitur uxor in Morgengaba? Respondeo, regulariter, & nisi pacto aliter conventum fuerit, uxor promissam Morgengabam quamdiu vivit maritus, petere nequit, & si ante maritum decedit, eam nec per ultimam voluntatem, nec ab intestato ad heredes transmittere potest, sed marito relinquere tenetur. Mortuo autem ante uxorem marito, hæc Morgengabam (dummodo liberis legitima sit salva, hæc enim ex Morgengaba tanquam mero lucro supplenda) capit, libere circa eam tum inter vivos (non tamen exclusa curatoris, ubi illa requiritur autoritate) tum mortis causa disponit, nec ad secundas nuptias transiens, eam præcise liberis prioris matrimonii servare tenetur, & ab intestato ad heredes transmittit. Probo hoc per clarum textum Land-R. L. 3. art. 38. Mußtheil und Morgengab ererbet (ad heredes transmittit) kein Weib bey ihres Mannes Leben, sie habe sie denn empfangen nach ihres Mannes Tod. Ratio hujus rei in eo mihi sita videtur, quod antiquo Germanorum jure conjuges bona indivisa possidebant *. Quod vero maritus superstes uxoris Morgengabam retinet, atque lucratur, inde arcerem, quod illæ res, quæ in Morgengabam dari poterant, mobilibus annumerabantur, harum autem heres ipso jure erat maritus Land-R. L. 1. art. 31. *Accipit uxor Morgengabam mortuo*

* Id quod cum sequioribus temporibus mutatum deprehendatur, mirandum non est, si ipsa Morgengabæ natura passim per pacta mutata deprehenditur. Nam quia bona non amplius inter conjuges sunt indivisa, solent mariti illustres præter Morgengabam (demum a viduis capiendam) uxoribus suis largiri ein jährlich Hand und Spielgeld: aut si hanc largiri nolunt, pacto cavere, ut statim post nuptias consummatas Morgengaba uxori pleno jure acquiratur. Vid. §. 709. Cum etiam extra Saxoniam maritus non sit amplius heres uxoris mobiliaris, nec Morgengabam, quam pleno jure uxori dederat, si illa præmoritur, retinet, sed ista

proximo uxoris heredi cedit, ni pacto iterum aliud fuerit cautum. Imo in ipsa Saxonia, si Morgengaba consistit in einem Kleinod, Halßband oder Armspangen, hæ res tanquam ad mundum muliebrem pertinentes, Geradæ naturam induunt, & præmortua uxore ante maritum, non ad hunc tanquam heredem mobiliarem, sed proximam cognatam jure Geradico pertinent.

§. DCCVII.

Non vivo marito. Quæ cum ita sint, graviter errare videntur plerique Doctores, vid. *Myler.* Gamolog. c. 18. dum unanimi fere consensu statuunt, in Morgengaba regulariter proprietatem & usumfructum superstite marito statim post nuptias uxori acquiri. Repugnat huic opinioni ipsa natura rerum, quæ olim Morgengabæ loco dari solebant. Erant illæ ceu supra audivimus, pecora pascuaria & ædificia carpentata. Hæc propriis suis usibus destinat dominus fundi, illa vero tam utilia, si non necessaria plane domino existunt, ut sine illis familia ali, ac fundus coli vel plane non vel difficulter saltem possit. His probe consideratis, quis quæso sibi persuadebit, novum maritum has res uxori in Morgengabam dando statim eas in uxorem transferre, ipsumque usumfructum durante matrimonio uxori concedere voluisse. Nec dissentientes juvat, quam pro se allegant, glossa marginalis Land-R. L. 2. art. 21. Morgengab erbt die Frau auf ihre Erben, aber Leibgedinge nicht. Glossatorem enim ibi supponere casum, quo mortuus jam est maritus, vel inde patet, quod Morgengabam ibi opponit dotalitio. Hoc uxor mortuo marito accipit, sed ad heredes non transmittit, Morgengabam autem, quam mortuo marito accepit, uxorem ad heredes transmittere & nos asserimus, vivo autem marito quicquam juris in eam ipsi regulariter competere, negamus.

§. DCCVIII.

Exempla. Succinit ipsa praxis. Pactis dotalibus inter Philippum Ludovicum Comitem Palatinum & Annam Juliacensem de 1574. apud *Just. Christoph. Dithmar.* Cod. Diplom. subjuncto *Werneri Teschenmacheri* Annalibus Cliviæ & Juliæ n. 131. statuitur. Und nachdem gebräuchlich herkommen, auch abgeredet ist, daß allererst da Ihr Lbden unsern Fall erlebet, wel-

welches zu GOtt dem allmächtigen stehet, die Verzinsung der Morgengab, als nemlich 200. fl. angeregter Wehrung folgen soll: so wollen wir Ihr Lbden gleich nach dem Beylager jährlich 400. Thl. und davon alle Quartale 100. Thl. zu täglichen Handgeld haben zu gebrauchen, reichen und geben lassen.

Idem occurrit in pactis dotalibus Joannis Comitis Palatini cum Magdalena dictæ Annæ sorore 1579. ibid. num. 132.

Philippus Badensis Sibyllæ Juliacensi 1586. ibid. num. 133. promittit. Und nachdem gebräuchlich herkommen, auch bedinget ist, daß allererst, da hochernannte Freulein Sibylle ihres versprochenen Ehegemahls Fall erlebet, welches zu GOtt dem Allmächtigen stehet, die Verzinsung der Morgengabe, nemlich 300. fl. jährlich folgen, auch aus den Herrschafften Lahr und Mahlberg verzinset werden sollen, so wird Herr Philip Marggraff hochgedachter Fürstin, seiner künfftigen Gemahlin gleich nach dem Beylager mit einem ansehnlichen Cammergeld zu tägl. Handgeld habend zu gebrauchen, aller Gebühr zu erzeigen wissen.

In der Fürstl. Münsterbergischen Morgengabs Verschreibung apud Dn. de *Ludolf*, de jur. fœm. illustr. Append. 3. p. 28. Carolus Fridericus Dux Munsterbergensis Annæ Sophiæ Saxonicæ 1618. promittit Morgengabam 3000. fl. Misnensium damit Ihr Lbden thun und lassen und handeln mögen nach ihren besten Gefallen, wie Morgengabs Recht und Gewohnheit ist und davon 150. jährlicher Gulden von *dato* des erfolgten Falls, welches der Allmächtige lange verhüten wolle, zu verzinsen. Additur porro: Es soll aber wie vorgemelt die Verzinssung solcher Morgengabe erst auf den Witwenthums Fall, den GOtt lange verhüte, angehen, und mittelst dessen unsrer geliebten Gemahlin jährlich 300. fl. vorgesetzte Wehrung zu täglichen Handgeld auf die Quartale gegen Quittung gereichet und bezahlet werden.

Pactis dotalibus Antonii Güntheri Comitis Schwarzburgici & Augustæ Dorotheæ Brunsuicensis 1684. statuitur: Es sind auch von dem Gräflichen Herrn Breutigam dero künfftigen Frau Gemahlin Durchl. 1000. Thl. zur Morgengabe verordnet, dergestalt da Ihr. Durchl. Ihres Eheherrn tödtlichen Hintritt erleben würden, welches in GOttes Willen stehet, daß sodenn deroselben diese 1000. Thl. mit 50. Thl. verzinset werden,

und gleich denen gegen das Heyrathguth und Gegenvermächtniß mitverschriebenen Leib-Renthen auf Ihr. Gnaden zukommendes Antheil derer Herrschafften Krafft dieses versichert seyn sollen, biß so lang Ihr. Durchl. oder dero Erben solche 1000. Thl. Morgengabe von denen Gräfl. Lehnsfolgern niedergelegt und bezahlt zu haben begehren möchten, oder diese solches bezahlet haben werden.

§. DCCIX.

Ni aliter conventum.

Interim cum pacta dent legem contractibus, & hodie cuilibet liberrima circa res suas citra heredum consensum disponendi sit facultas, lubenter concedo, ea, quæ hactenus de dominio & usufructu Morgengabæ demum post mortem mariti in uxorem transeunte disputata sunt, pactis mutari, iisque caveri posse, ut eadem vel statim post nuptias, vel statis temporibus solvatur, tradatur, ejusque dominium pariter ac ususfructus pleno jure * in uxorem transferatur. Tunc inprimis, quando maritus uxori separatim haud constituit ** ein gewisses Hand oder Spielgeld eidem Morgengaba ejusque usuræ â 5. 6. vel 10. pro Cent statim a nuptiarum die promitti, statisque temporibus solvi solet, ita ut mortuo marito nunc penes viduam, nunc penes mariti heredes relinquatur electio, vel sortem solvendi, vel usuras continuandi ***. Imo pactis dotalibus Henrici junioris Rutheni Misnensis Burggravii, cum Anna Pomeranica, vidua Anhaltina, de 1566. Morgengabæ loco promittuntur nebst einem Fürstl. Kleinod 200. fl. jährl. Zinssen durante saltem vita mariti: Nach unsern tödtlichen Abfall aber soll jetztgedachte Morgengabe erloschen, gäntzlich todt und ab seyn, und fernere Anfoderung daher niemands zustehen: Es wäre denn, daß wir Fürst Heinrich aus Fürstl. ehelicher Lieb und Neigung unserm freundlich lieben Gemahl vorgedachte Morgengab und Mildigkeit auf Ihr Lbden Leben erweitern solten.

* Aliquando & revocabiliter. Sic in pactis dotalibus Comitum de Schœnburg sæpius dispositum bey anderweitiger Verehligung fallen solche 1000. fl. womit die Gräfl. Braut bemorgengabet, des verstorbenen Gemahls Kindern oder nächsten Anverwanten wieder anheim. Vid. *Jo. Henr. Meier* Comment. ad pacta dotalia Comitum de Schœnburg Sect. 5. §. 4.

** Exemplum tamen Megapolitanum Morgengabæ ita constitutæ, ut statim a nuptiarum die ejus usuræ currant, & nihilominus præterea solvatur jährlich Handgeld adduxi §. 678.

*** Quorsum facit formula: haben Herrn N. Gn. dem Freulein versprochen, dieselbe mit 1000. fl. vorberührter Land-Wehrung zu bemorgengaben dergestalt, daß sie solche entweder alsobald auf dem Beylager mit baaren Gelde würcklich auszahlen oder jährlich mit 50. fl. verzinsen wollen. Daferne aber bey Lebzeiten Sr. Gn. das Capital nicht abgetragen würde, soll nach Dero Absterben es mit 100. fl. so lange es nicht abgetragen wird von denen Herrn Lehnsfolgern der Frau Wittib verzinsset werden, auch dieselbe deswegen auf die D. Intraden cum jure pignoris allerdings versichert seyn, und stehet dieser 1000. fl. Morgengabe Aufkündigung so dann nach dem Tode des Herrn N. Gn. sowohl bey der Frau Wittib, als denen Lehnsfolgern.

Vel:

Hierauf sollen und wollen wir Graf N. gleich andern Tages nach gehaltenen Beylager unsre zukünfftige Gemahlin Freulein N. mit 1000. fl. bemorgengaben und also versichern, daß Ihr. Lbden jährl. 50. fl. davon Nutzung haben und des Hauptguts vergewissert seyn mögen, und haben dieselbe mit solcher Morgengabe als ihrem freyen Eigenthum nach ihrem Gefallen zu schalten und zu walten, wie Morgengabs Recht und Gewohnheit ist. Es sollen aber Ihr Lbden so lange sie im Leben, und in unverruckten Witwenstand sind, solche Morgengabs-Gelder wieder ihren guten freyen Willen nicht abgelöset, sondern erst verstandener massen verzinsset: nach ihren Tod oder anderweiter Verheyrathung aber länger wieder unser Graf N. oder unsrer Erben willen unabgelöset nicht behalten, sondern Ihr Lbden ihren Erben ab intestato oder denjenigen, den Ihr Lbden solche Gelder durch einen letzten Willen oder sonst vermacht, abgestattet werden.

Item:

So aber Ihr Ebden nach ihrem Tod keine Kinder verliessen auch die Morgengab in Zeit ihres Lebens nicht vertestiret, übergeben oder verschafft haben würde, soll die Morgengab auf Uns oder Unsere Erben, daher sie kommen, wiederum ohne einigen Eintrag oder Irrung verfallen seyn.

§. DCCX.

Differt a Morgengaba

Hinc referri quoque ad Morgengabam solet pecunia peculiaris, de qua §. 677. seu extraordinariis expensis destinata vulgo Hand oder Spielgelder vid. *Myler.* Gamolog. c. 14. §. 6. quæ sicut aliis personis ad familiam illustrem pertinentibus, ita & uxori a marito illustri vi pacti quotannis, vel aliis statis temporibus, ad sustinendum splendorem illustri familia dignum, pleno jure ita dari solet, ut simul ac est soluta, uxor de ea libere, ut de receptitiis, citra reddendas rationes disponere possit.

§. DCCXI.

Das Spiel-Geld.

Sed vereor, ne perperam hæc pecunia Morgengabæ accenseatur. Diversa penitus mihi esse videtur ejus natura ab illa Morgengabæ. Morgengaba præcise concubitus intuitu datur, eoque non secuto non debetur. Das Hand oder Spielgeld * vero solius splendoris sustinendi causa, & proinde in matrimoniis impuberum etiam ante concubitum, ac in alio quovis matrimonio per copulam sacerdotalem consummato debetur, etiamsi concubitus non sequatur, quia forte alteruter conjugum casu inopinato ad eundem inhabilis est redditus. Morgengaba soli uxori datur, das Hand oder Spielgeld vero & aliis ad familiam illustrem pertinentibus personis e. c. liberis a patre, ultragenitis a fratre regente &c. datur. Denique Morgengabæ intuitu uxor hypotheca tacita in bonis mariti gaudet, ratione des Hand oder Spielgelds non æque.

* Nonnulli ut *Berger* de discrim. bonor. uxor. §. 37. malunt dici Spill-quam Spielgelder a voce Spill seu Spindel. Sed hi

per

per Spillgelder intelligunt bona receptitia, quorum & dominium & administrationem sibi reservavit uxor.

§. DCCXII.

Omnis enim hypotheca tacita legem, qua constituitur requirit, quæ quoad das Hand oder Spiel-Geld ostendi nequit, quare nec eidem hypotheca tribuenda, non magis ac receptitiis. Morgengabam vero quod attinet, fatendum itidem est, nullam extare legem scriptam, quæ hypothecam eidem tribuat. At consuetudo, quæ vim legis habet, illam Morgengabæ tribuit non quidem, quasi paraphernalibus sit accensenda, sed ita ut omnibus aliis hypothecis, utut posterioribus indistincte postponatur, secus ac ipsa dos, quæ & hypothecis tacitis anterioribus præfertur. Cujus quidem rei hanc reddunt rationem, quod reliqui creditores hypothecarii & ipsa uxor ratione dotis de damno vitando certent: ratione Morgengabæ vero de lucro captando, quod tum demum capi æquum existimant, ubi ex reliquis suum quilibet recepit. At parum hæc ratio stringit, cum & chirographarii de damno vitando certent, qui tamen Morgengabæ, quæ lucrum merum continet, postponuntur. Sed quid si res certa in specie e. c. fundus Morgengabæ loco promissa? Tunc specialem in ea hypothecam vel jus reale hypotheca adhuc fortius uxor habere videtur, nec ipsa invita res talis seu fundus oppignorari a marito amplius poterit. *Tribuitur Morgengabæ hypotheca.*

§. DCCXII. b.

Majoris cautionis ergo sponsa, cui Morgengaba constituitur, in reditibus in præfecturis certis assignandis, mittitur in possessionem illarum præfecturarum. In der Morgengabs-Verschreibung, qua Carolus Fridericus Dux Munsterbergensis 1618. Annæ Sophiæ Saxonicæ pro Morgengaba 3000. fl. Misn. ex iisque annuas usuras 150. fl. a tempore viduitatis percipiendas (conf. §. 708.) promittit, cavetur; hierauf setzen wir die vorgemelte unsre geliebte Gemahlin, Frau Annen Sophien dessenthalben wissentlich in ruhig nützlich Gewehr, also, daß ob es wäre, das doch nicht seyn soll, daß obgenanter unser geliebten Gemahlin, ihren Leibes Erben, oder wem sie solche ihre Morgengabe vermachen und verschaffen, jährlich *possessio* nicht

nicht entrichtet oder bezahlet würde, soll sie guten Fug, Macht und Recht haben, mit solchen Schloß und Stadt Oelß samt denen genannten Cammer-Güthern und deren Gefällen zu handeln zu thun, deren zu geniessen, zu gebrauchen so lange und viel, bis sie beydes um den Zinß und Hauptguth, auch Kosten und Schäden, so darauf gegangen, vergnügt und bezahlt sind.

Wolfgangus Dietericus Comes in Castell Dorotheæ Renatæ Zinzendorfiæ 1693. promittens Morgengabam 1000. fl. addit: Wie wir denn unsre Gemahlin angeregter Morgengabe Haupt-Gelds wie auch jährlicher Nutzung halber in obbenannt unsers Amts Intraden und Einkünffte in specie, sonsten aber in genere in unser anderwertige Nutzungen, Gefälle und Einkünffte würcklich und besitzlich einsetzen, so lang und viel, bis Ihr Lbden aller Ausständ auch Kost und Schäden der nicht Bezahlung halber erlitten ausgericht werde.

§. DCCXII. c.

In Saxonia Electorali per Ord. Proc. Tit. 43. §. 17. Und weil hierbey. Morgengaba pariter ac Cibaria in creditorum concursu viduæ denegatur. Jus retentionis Morgengabæ intuitu uxori non competere dixi §. 640.

§. DCCXIII.

dotis jus

Nonnunquam Morgengaba in dotem computatur ut aucta dote lautius constituatur dotalitium. Atque tunc ipsa Morgengaba per dotalitium absorbetur, hancque ob causam dotis jure censetur, ipsique non modo hypotheca, sed & prælationis jus merito tribuitur. Maria Anna, Ferdinandi II. Imperatoris filia, Maximiliano Bavaro attulerat dotem 100000. fl. pro qua accepit donationem propter nuptias doti æqualem, & Morgengabam 50000. fl. ita ut pro dotalitio acciperet usuras quincunces ex sorte 250000. fl.

§. DCCXIV.

usura.

Illud adhuc soli consuetudini tribuendum censeo, quod Morgengabæ intuitu vidua usuras a nuptiarum tempore computandas (nisi serius &

duran-

durante matrimonio Morgengaba fuerit constituta: tunc enim ab illo demum tempore currunt usuræ) capere passim soleat, cui forte consuetudini ansam præbuit error, quo Morgengabam uxori statim altero nuptiarum die deberi perhibent.

§. DCCXV.

Denique sicut soluto ob adulterium uxoris, vel aliam ejus culpam matrimonio, illa ex civili instituto amittit cum dote omnia emolumenta matrimonii intuitu capienda, ita tali casu Morgengabam, utut forte vi pacti jam numeratam quoque amitti ac restitui debere, manifestum puto. Dictitat hoc generalis donationum natura, quæ tum ob deficientem causam, cujus intuitu erant factæ, quæque hoc casu matrimonium est, tum ob ingratitudinem revocantur. Et cum ipsa dos, quæ tamen in uxoris est proprietate, ex legum civilium placitis per adulterium amittatur, multo fortiori jure Morgengaba, quæ lucrum solum continet, amittetur, & si jam capta ab uxore fuit, restituetur. Qua in re iterum aliqualis se prodit differentia Morgengabæ von dem Hand und Spiel-Geld. Hæc cum splendoris sustinendi causa detur, pro illa temporis rata, quo duravit matrimonium, debetur, ita ut etiam credita & nondum numerata, soluto per uxoris adulterium matrimonio, suppleri debeat, & demum cesset a tempore soluti matrimonii, quia tunc pars familiæ esse desinit uxor. Nec tamen dissimulandum, nonnullos Doctores Morgengabam paraphernalium jure censere, eamque uxori adulteræ relinquendam statuere, quorum in numero sunt *Klock.* Relat. Cameral. LXXIV. n. 40. *Mynsinger* Resp. 1. n. 42. *Moller.* semestr. L. 4. c. 10. *Gundling.* de emtione uxorum, dote & Morgengaba c. 4. n. 27.

Amittitur adulterio.

§. DCCXVI.

Quodsi vero mariti culpa matrimonium dirimatur, tunc uxor licet Geradam, Commestibilia & dotalitium lucretur, Morgengabam tamen non accipit per textum expressum Land-R. L. 3. art. 74. Wird ein Weib mit Recht von ihrem Mann geschieden, sie behält doch ihre Leibzucht ≈ ≈ ≈ ≈ ≈ noch nicht die Morgengab, cujus quidem rei rationem aliam reddere nequeo, quam quod Morgengaba concubitus quidem intuitu, sed tamen demum in eventum secutæ mariti mortis detur, ceu §. 706. 707. contra com-

it. divortio.

munem Doctorum opinionem evicimus, qui ſane ſtante ipſorum doctrina, nullam articuli hujus 74. reddere poterunt rationem.

§. DCCXVII.

An nuptiis intra annum luctus

Quæritur etiam, num Morgengabam amittat vidua intra annum luctus nubens vel luxurioſe vivens. Negativam probabilem reddit, quod annus luctus Germanorum juri, ex quo Morgengaba dijudicanda, eſt incognitus. Equidem lege Canuti Angliæ Regis apud *Jo. Bromton* Chron. p. 930. ſtatuitur: Sit omnis vidua ſine marito duodecim menſibus, eligat poſtea, quem velit, & ſi inter unius anni ſpatium maritum eligat, perdat Morgagifam ſuam & omnem pecuniam, quam ex priori marito habebat. At in jure Germanico hujus legislationis veſtigia videntur obliterata. Sane qui Morgengabam paraphernalium jure æſtimant, ne quidem ob adulterium multo minus ob non ſervatum luctus annum Morgengabam amitti exiſtimant.

§. DCCXVIII.

differt a dote

Quomodo Morgengaba a dote, arrha & largitate ſponſalitia, donatione propter nuptias & dotalitio differat, ex iis, quæ hactenus de Morgengabæ natura diſſeruimus, facile liquet.

Differt a dote, quippe quæ a marito capitur, Morgengaba vero ab eodem datur. Dos conſummato per benedictionem ſacerdotalem matrimonio pro ferendis ejus oneribus debetur, etiamſi concubitus non ſequatur: Morgengaba ſolius concubitus intuitu. Dos anterioribus hypothecis tacitis præfertur: Morgengaba & junioribus poſtponitur. Quare ubi a *Tacito* & Latino juris Saxonici interprete Morgengabam per dotem efferri deprehendimus, improprie illud fit ex præpoſtero quodam peregrini Morgengabæ vocabuli faſtidio, ac Latinius ſimulque minus accurate loquendi ergo, cum tamen ſatius ſit, deficiente commoda voce Latina, rem peregrinam peregrino eique proprio nomine denotare.

§. DCCXIX.

a ſponſalitia largitate.

Arrhas cum Morgengaba ab Hiſpanis confundi §. 688. audivimus. Cum largitate vero ſponſalitia Morgengabam confundit gloſſator juris Saxonici

nici ad L. 1. art. 20. ſed rebus probe conſideratis valde differunt. Arrha & largitas ſponſalitia ſponſo æque ac ſponſæ datur: Morgengaba ſoli ſponſæ. Arrha & largitas ſponſalitia regulariter ante nuptias: Morgengaba poſt illas datur. Interim cum & antea dari poſſit, hodie præcipua in eo differentia cernitur, quod arrha & largitas ſponſalitia a ſponſa accepta durante matrimonio, in ejus dominio exiſtat: Morgengaba vero marito demum mortuo ad uxorem tranſeat, quodque Morgengabæ intuitu tacita hypotheca locum habeat: in arrha & largitate ſponſalitia a marito forte diſſipata non æque. In dubio ſponſalitiam largitatem potius quam Morgengabam præſumendam puto.

§. DCCXX.

Porro á donatione propter nuptias Morgengaba differt. Illa in dotis compenſationem, hæc ſolius concubitus intuitu etiam indotatæ datur. Denique a dotalitio differt Morgengaba. In dotalitio poſt mortem mariti vidua uſumfructum ſaltem habet: in Morgengaba regulariter dominium, unde Morgengabam alienare, ad heredes transmittere poteſt: dotalitium non æque*. Dotalitium ex feudo debetur: non vero Morgengaba. Per dotalitium dos regulariter abſorbetur: per Morgengabam non item. Lucem hæc accipient ex iis, quæ nunc de donatione propter nuptias, & dotalitio dicenda veniunt. *A donatione propter nuptias.*

* Improprie igitur Morgengaba pro dotalitio accipitur in pactis dotalibus Raynoldi Geldriæ Ducis & Mariæ Harcourtiæ apud *Pontan.* Hiſt. Geldr. L. 8. p. 363. ibi: Conjugi in *antiphernam* (*Morgengabam vulgo dictam*) aſſignamus Satrapiam atque arcem Bornenſem,, ut iis earumque reditibus *in vitam utatur* fruatur.

TITULUS XI.

DE

Donatione propter nuptias.

* * *

Donatio propter nuptias seu dotis remuneratio a Romanis ad Germanos transiit, ita tamen, ut a dotis quantitatem amplius adstricta non sit, & viduæ illustri, utpote cui nostris moribus dotalitium debetur, aliter non tribuatur, quam si expresse promissa, quo casu ejus ne usumfructum quidem vivo marito uxor capit, eodem autem mortuo plenum nanciscitur dominium.

§. DCCXXI.

Donatio propter nuptias quid? Generali suo ambitu donatio propter nuptias quasvis donationes, quæ quæ nuptiarum intuitu offeruntur, adeoque non modo arrhas & largitates sponsalitias, nec non Morgengabam, sed & munera ab extraneis oblata, imo ipsam dotem complectitur. Paulo angustior est ille donationis propter nuptias sensus, qui occurrit L. 3. C. de secundis nuptiis, ubi accipitur pro lucro quod conjux superstes sive maritus sive uxor, sibi stipulatur in bonis primum morituri, atque tunc dotalitium quoque comprehendit. At nos hic loci donationem propter nuptias strictissime accipimus pro dotis, seu ut accuratius loquamur, ususfructus vel dominii utilis in dote con-

concessi remuneratione *, quatenus Romanorum potissimum legibus est inventa & determinata.

* Præplacet hæc loquendi ratio præ illa, qua nonnunquam donatio propter nuptias in dotis securitatem dari dicitur. Magis secura longe est ipsa dos, quam donatio propter nuptias. Hæc sola hypotheca tacita, illa præterea peculiari prælationis privilegio gaudet.

§. DCCXXII.

A Romanis enim propter nuptias donatio ad Germanos, qui priscis temporibus eam penitus ignoraverant, transiit. Cum enim ipsam dotem ignorarent Germani, utpote quam apud eos uxorem marito non offerre, testatur *Tacitus* de Germanorum moribus, qui quæso ejus remunerationem, seu quod idem est, propter nuptias donationem novisse, nedum frequentasse credi poterunt. Frustra *Coccejus* Jurispubl. prud. c. 28. n. 4. propter nuptias donationem antiquis Germanis usitatam evincere cupit ex *Cæsare* de Bello Gallico L. 6. c. 19. ubi apud Gallos, ait, viros quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantam ex suis bonis, æstimatione facta, cum dotibus communicare, easque una cum fructibus ad eum, qui alterum vita superaverit, pervenire. Oritur hic Cocceji error inde, quod sub generali Gallorum nomine Germani quandoque comprehenduntur. At Cæsarem in loco allegato eos a se invicem distinguere patet ex c. 21. & 24. proxime sequentibus. Vero videtur similius, cum Romano demum jure propter nuptias donationem Germanos recepisse, sibique accomodasse Principes pariter ac plebejos. Ut vero penitus constet, qua ratione a lucris matrimonialibus, quæ solis illustribus & nobilibus Germaniæ personis sunt propria, e. c. Morgengaba, dotalitio, differat hæc propter nuptias donatio, breviter quid circa eandem juris est, subjungemus. *An Germanis olim cognita.*

§. DCCXXIII.

Dat illam maritus, vel alius ejus nomine e. c. parens, qui ex juris Romani analogia ad eam pro filio constituendam invitus etiam compelli potest *ejus indoles.*

 arg.

arg. L. 19. Dig. de rit. nupt. Auth. dos data L. ult. C. de donat. ante nupt. Atque hinc differt a dote, quæ nec a marito, nec ejus nomine, ſed ab uxore ipſiusve nomine conſtituitur. Perſona, cui fit propter nuptias donatio, eſt uxor, quæ illam accipit NB. in dotis remunerationem ſeu compenſationem L. 19. & 20. C. de donat. ante nupt. Unde & antipherna * ſeu mutua donatio, item contra dos **, dos viri, recompenſa & augmentum dotis *** Germanis Gegen-Vermächtniß, Wiederlage vocari ſolet. Quare & eam uxori indotatæ, quæ dotem vel plane non habet, vel ſaltem non intulit, non deberi liquet. Apparet hinc differentia potiſſima ſponſalitiæ largitatis a donatione propter nuptias. Illa enim ad ſolum amorem conciliandum citra dotis intuitum, etiam indotatæ, erogari poteſt, hæc non æque. Hinc impropria vel ſaltem generalis eſt locutio, qua per ſponſalitiam largitatem propter nuptias donatio indigitatur. Nov. 61. & 119. c. 1.

* Antiphernam quoque pro dotalitio poſitam vide §. 720. fin.

** At in pactis dotalibus Chriſtierni II. Danorum Regis & Eliſabethæ Auſtriacæ de 1514. apud *Lunig* Cod. Germ. diplom. T. 1. p. 515. contra dos a donatione propter nuptias diſtinguitur, & ſub donatione propter nuptias Morgengaba intelligitur, quam Rex ad beneplacitum ſuum, ſeu juxta Regiam munificentiam facere promittit.

*** At augmentum dotis donationi propter nuptias contradiſtinctum occurrit in pactis dotalibus Ferdinandi Mariæ Bavari, & Adelheidæ Sabaudæ, de quo *Sam. Guichenon* Hiſtoire de Savoie p. 434. Son Alteſſe Roiale conſtitua à la Princeſſe ſa Sœur 20000. ecus d'or d'Italie, & le Prince de Baviere lui en donna autant en faveur des noces: & outre ce le tiers de la dot *pour ſon augment.*

§. DCCXXIV.

Objectum. Objectum, ſive id, quod propter nuptias ſive in dotis remunerationem dari poteſt, eſt res quævis, quæ poteſt alienari. Unde ex feudi ſub-

ſtantia

stantia regulariter donatio propter nuptias sine domini & agnatorum consensu constitui nequit. Ignorant eandem leges feudales communes; mores vero non tam propter nuptias donationem, quam dotalitium viduæ Vasalli ex feudo tribuunt. Illud tamen singulare, & proxime ad naturam donationis propter nuptias accedit, quod quibusdam in locis e. c. Pomerania & Nova Marchia ipso jure, citra mariti promissionem, augmentum dotis debetur, Germ. die Verbeßerung, quo uxori ultra dotem ex bonis mariti tanta pars proprietatis jure assignatur, quanta est dimidia dotis, quod lucrum cum ex moribus eodem cum ipsa dote jure & privilegio gaudeat, ex ipso etiam feudo cum prælationis præ aliis creditoribus jure debebitur, in quo fere solo hoc dotis augmentum differt a donatione propter nuptias. Illud scilicet eodem quo dos, ipsoque prælationis jure, hæc vero sola hypotheca tacita gaudet. Dotis augmentum ex feudo debetur, donatio propter nuptias non æque. Conf. *Stryck.* Exam. jur. feud. c. 21. qu. 17.

§. DCCXXV.

Quantitatem donationis propter nuptias ita determinant leges Romanæ, ut illa præcise æquare debeat dotem, adeo ut dote aucta, etiam propter nuptias donatio augeri, dote vero diminuta, propter nuptias donatio quoque minui, iis vero disparibus factis, major lucri pars ad minorem deduci debeat, ut eo modo uterque minorem partem lucretur L. 19. C. de donat ante nupt. L. 10. C. de pactis convent. Hodie vero ubi conjugum donationes tam arctis limitibus circumscriptæ amplius non sunt, propter nuptias donatio pro lubitu, per pacta dote nunc major nunc minor constitui potest. *Quantitas.*

Albertus III. Austriacus cum trica mit dem Zopff cognominatus Beatrici Friderici IV. Burggravii Norici filiæ pro dote 30000. fl. donationem propter nuptias 45000. fl. constituit 1375.

Christianus Waldecciæ Comes Elisabethæ Nassoviæ 1604. promittit obangeregte 6000. fl. Franckfurter Wehrung mit 12000. fl. gnugsam zu wiederlegen und versichern, auch die jährliche Abnutzung von dem zugebrachten Heyrath und Wiederlag-Geld, welches zusammen thut 18000. fl. mit 900. fl. dermassen zu versichern 2c.

Econtra

Econtra donationem propter nuptias ipsa dote minorem excitabimus §. 739.

Sic & Philippus Pomeraniæ Dux Mariæ, Joannis Saxoniæ Electoris filiæ pro dote 20000. fl. saltem donationem propter nuptias 15000. fl. constituit.

In dubio vero & ubi nihil plane dispositum circa quantitatem donationis propter nuptias, hujus nomine tanta quantitas, quantam dos complectitur, debebitur. Illud adhuc notandum, si viduus uxori donationem propter nuptias constituit, eam plus continere non posse, quam ad unumquemque liberorum ex priori matrimonio susceptorum pervenit L. 6. C. de secund. nupt. Denique cum propter nuptias donatio quandam uxoris in mariti bona successionem involvat, sponte patet, ita eam esse constituendam, ut minimum parentibus superstitibus salva relinquatur legitima.

§. DCCXXVI.

Forma. Accedo ad formam donationis propter nuptias, ubi quæritur, quomodo illa constituatur? Resp. per pactum, quod contractuum jure donavit Nov. 119. Imo uxori dotem offerenti ipso jure etiam a marito invito deberi propter nuptias donationem, docet Auth. dos data L. ult. C. de donat. ante nupt. & Nov. 91. c. 2. quod tamen unquam in Germania fuisse receptum, vel saltem hodie usu servari, vix crediderim. Nolo jam repetere, quæ de exigua Authenticarum in Codice autoritate passim afferuntur. Inter illustres certe personas cum usus dotalitium introduxerit, justum & domesticum adest controversias tales decidendi fundamentum, nec jure Romano, tanquam peregrino & subsidiario est opus. Quare inter illustres personas vix alia propter nuptias donatio indulgebitur, quam quæ sponte & expresse a marito promissa: ubi vero nulla promissa, uxor quidem dotalitium, non vero propter nuptias donationem a marito invito exiget.

§. DCCXXVII.

Solennitates. Ubi vero per pactum expressum propter nuptias donatio constituta, perinde erit, utrum ante an post nuptias celebratas constituta. Olim quidem *ante* nuptias saltem hæc donatio procedebat, ideoque donatio ante nu-

ptias

ptias audiebat; post easdem vero celebrata erat invalida. Postmodum Justinus Imperator donationem ante nuptias etiam post nuptias fieri permisit, & Justinianus Imperator ideo eam convenienti magis nomine *propter* nuptias donationem vocari jussit vid. §. 3. Inst. de donationib. Quodsi tamen post nuptias hæc donatio celebratur, ne tunc in liberorum jam natorum præjudicium illa minuatur, cavetur L. 19. C. de donat. ante nupt. Insinuatione judiciali propter nuptias donatio cujuscunque quantitatis, etiamsi maximæ sit, quantum quidem ad partem mulieris non eget, sed sine ea valet. Si vero ex dotalibus pactis vir agere intendit, tunc ut procedat actio, requiritur ut pacta dotalia, in quibus antenuptiales donationes quingentorum solidorum quantitatem transcendentes continentur, monumentorum actis insinuentur per Nov. 127. c. 2. quæ hoc in passu derogat Nov. 119. c. 1.

§. DCCXXVIII.

Quid vero juris facta propter nuptias donatio tribuit? Seorsim videbimus, quid mulier ex ea lucretur ante nuptias celebratas, & post eas durante matrimonio, & denique eodem soluto. Ante nuptias hodie nihil plane ex donatione propter nuptias lucratur mulier, sed sicut hæc dotem, quam forte prænumeravit, nuptiis casu citra ullius culpam non secutis recipit, ita vir indistincte, quod propter nuptias in dotis remunerationem donaverat, retinet. Nec ipso antiquo Romanorum jure quoad hunc passum osculi intervenientis ratio habita fuit. Quæ enim de eodem L. 16. C. de donat. ante nupt. habentur, ad solam sponsalitiam largitatem, non vero propter nuptias donationem referenda videntur. Sed si nuptiæ ex sponsi culpa non sequuntur, tunc propter nuptias donationem sponsæ deberi puto, eodem jure quo §. 651. sponso a sponsa dotem deberi diximus, si hæc matrimonium consummare detrectat.

Effectus ante nuptias.

§. DCCXXIX.

Durante matrimonio dominium rei propter nuptias sive in dotis remunerationem donatæ ad uxorem non transit *, quippe quæ hypothecam in ea habet, hypotheca autem rem alienam supponit. Remanet igitur dominium penes maritum, qui tamen eam alienare vel pignori dare nequit, ne

Durante matrimonio?

ne uxore quidem consentiente L. 29. C. de jur. dot. Nov. 61. c. 1. a quo tamen rigore hodierni mores recedunt, qui dotem æque ac propter nuptias donationem marito alienare permittunt, dummodo alienatio judicialiter & consentiente, cum constituto suo curatore, muliere fiat, utpote quæ intuitu donationis propter nuptias tacitam hypothecam nanciscitur ex eo tempore, quo constituta est donatio, sine prælationis privilegio, quod dotis intuitu etiam anterioribus hypothecis tacitis præfertur vid. Nov. 109. c. 1. Jus feudale ut in genere tacitas hypothecas ignorat, ita nec propter nuptias donationi eam tribuit. In Saxonia Electorali donationi propter nuptias hypotheca tacita non indulgetur, sed illa debitis chirographariis annumeratur Ord. Proc. Tit. 42. §. 4. So viel dann. Multo minus jus retentionis in mariti bonis intuitu donationis propter nuptias uxori indulgendum. Vid. §. 650.

* De quæstione, an uxor in donatione propter nuptias dominium an saltem hypothecam habeat? erudite differit *Hartung.* de pacto dominii reservativo c. 2. §. 7. eidemque dominium quidem a jure pignoris diversum, minus tamen plenum vindicat. Effectus in eo consisteret, quod oborto concursu uxor vi dominii res propter nuptias donatas a concursu eximere posset, cum ex adverso vi hypothecæ oneribus concursus implicetur. Lubenter largior; uxorem vergente ad inopiam marito curare posse, salvam sibi existere propter nuptias donationem, hocque sensu eam vindicare, ut expresse dicitur L. 29. C. de jur. dot. Nov. 97. c. 6. §. 1. Nov. 61. c. 1. Sed hæc umbra magis dominii, quam verum dominium videtur. Quare fortiores videntur rationes negantes uxori dominium rerum propter nuptias donatarum, quas ex *Lauterbachii* dissertatione de donatione propter nuptias itidem refert *Hartung* l. c.

§. DCCXXX.

Usumfructum rei propter nuptias in dotis remunerationem donatæ durante matrimonio uxori Doctores nonnulli tribuunt propter L. 29. C. de

jure dotium, ubi maritum inopem ex fructibus donationis propter nuptias alere jubetur uxor, quod absurde fieret, si suo jure usumfructum perciperet maritus. Verum tamen cum in dicta lege bona dotalia & præterdotalia conjungantur cum donatione propter nuptias, ad illa referendum videtur id, quod dicitur, ex fructibus alendum esse maritum, & proinde rectius alii, quibus & praxis suffragatur, donationis propter nuptias usumfructum durante matrimonio ad maritum spectare, tum ex Nov. 61. tum præprimis ex ipsa dotis indole colligunt. Hæc enim datur pro ferendis matrimonii oneribus. Sed quid quæso commodi ex dote perciperet maritus, si tantumdem ex donationis propter nuptias fructibus uxor durante matrimonio perciperet. Quid quod plus commodi tunc uxor, quam maritus sentiret. Illa enim soluto matrimonio propter nuptias donationem lucratur, maritus vero soluto matrimonio dotem restituere tenetur.

§. DCCXXXI.

Soluto matrimonio culpa uxoris e. c. per adulterium ab ea commissum, eam omni lucro matrimoniali, adeoque & donatione propter nuptias indignam se reddere, dubitandum non est: sicut e contra si mariti culpa matrimonium solvitur, uxor non modo dotem illatam recipit, sed & propter nuptias donationem lucratur L. 8. §. 5. C. de repudiis, & si nulla propter nuptias donatio ipsi constituta, tunc præter illatam suam dotem quartam partem bonorum mariti, cujus culpa matrimonium solvitur capit L. 1. §. 1. C. de repud. quippe quæ ab intestato ipsi fuisset debita. Auth. Præterea C. unde Vir. & Ux. *Soluto matrimonio culpa.*

§. DCCXXXII.

Sin casu e. c. morte, & quidem primo uxoris, matrimonium solvitur, tunc maritus dotem uxoris heredibus simpliciter reddit, sine donatione propter nuptias, quam sibi retinet, quod & in casu obtinet, quo matrimonium ab initio nullum fuisse declaratur L. 10. C. de repud. Vid. tamen *Rauchbar.* L. 1. qu. 47. n. 11. *Morte uxoris.*

§. DCCXXXIII.

Annullato matrimonio. Ubi vero ſponſa metuens, ne futurum ſuum matrimonium declaretur nullum, in hunc eventum ſibi ſtipulatur donationem propter nuptias pleno jure retinendam, an exitum ſortiri debeat pactum? proponitur. Extitit hic caſus in Berengaria, Alphonſi VIII. Caſtiliæ Regis filia, cum nuberet Alfonſo IX. Legionis Regi, quem tertio conſanguinitatis gradu lineæ inæqualis attingebat, ideoque Papa Innocentius III. aſſentiri huic matrimonio renuebat, excommunicationi eos, donec ſepararentur, ſubjiciens. Jubet igitur Pontifex in cap. 5. X. de donationib. inter Vir. & ux. ut caſtra, quæ Rex Legionis filiæ Regis Caſtellæ in dotem (dotem hic accipi pro donatione propter nuptias, tum res ipſa, tum ſummaria capitis docent) tradidit, ita ut ſi eam aliqua occaſione relinqueret, ipſa cederent in jus ejus, reſtituantur, & ad id puella per excommunicationis ſententiam coarctetur, ne ad commodum ei cedat, quod debet in pœnam ejus potius retorqueri, cum caſtra ipſa non tam ob turpem quam nullam cauſam ſint data, utpote cum inter eos matrimonium non exiſtat, & ideo nec dos nec donatio propter nuptias. Succeſſit tamen in regno, qui ex Berengaria natus erat filius Ferdinandus III.

§. DCCXXXIV.

Morte mariti. Venio ad alterum caſum, quo maritus præmoritur. Tunc vidua præter dotem ſuam illatam * propter nuptias donationem pleno jure, tum quoad uſumfructum, tum quoad proprietatem capit, ad heredes transmittit, vel alias libere de ea diſponit: duobus tamen caſibus exceptis. 1) ſi poſt mariti mortem intra annum luctus ſtuprum patitur, tunc enim propter nuptias donatione privatur Nov. 39. c. 2. L. 1. C. de ſecund. nupt. quod tamen in Saxonia propter Land-R. L. 1. art. 5. non obſervari præjudicio firmat *Carpzov* Pr. Crim. part. 2. qu. 65. num. 15. 2) ſi liberos ex marito defuncto ſuſcepit. His enim ſalva donationis propter nuptias ſubſtantia relinquenda L. 3. C. de ſecundis nupt. uſumfructum tamen libere percipit. Nov. 22. c. 23. ipſam vero dotem a marito receptam ſecundo marito integram conferre poteſt L. 18. C. de donat. ante nupt. modo ex reliquis ſuis bonis liberis, ex priori matrimonio ſuſceptis, tantum præſtet, quan-

quantum dotis nomine secundo marito contulit, quod si facere nequit, tantum saltem ex ipsa etiam dote, a priori marito recepta, in secundum transferre potest, quantum ad unumquemque liberorum prioris matrimonii pervenit h. e. virilem portionem l. 6. C. de *secund.* nupt.

* Imo etiam dote non illata, viduam capere propter nuptias donationem dotis intuitu promissam ex *Lynckeri* decis. 671. docet *Ludolf* de jur. fœm. illustr. p. 169.

§. DCCXXXV.

Quod diximus, uxorem superstitem propter nuptias donationem pleno jure capere, atque ad heredes transmittere, tum pactis tum consuetudine mutari potest. Pactis dotalibus Philippi II. Hispaniæ Regis & Annæ filiæ Maximiliani II. Imperatoris de 1570. apud *du Mont* Corps diplomatique T. 5. P. 1. n. 85. legitur: Catholica Majestas promittit & constituit contradotem & donationem propter nuptias dictæ Serenissimæ Principi, futuræ Reginæ Hispaniarum, Scutatorum auri centum mille, æquali cum dote summa. Qua quidem contradote & donatione propter nuptias, ac summa ad hoc constituta, uti frui & gaudere integre debet dicta Serenissima Princeps in eventum, quo matrimonium secundum voluntatem DEI dissolvi contigerit ipsa superstite, *& ad secunda vota non transeunte* vel casu, quo præmoriatur liberis ex eodem matrimonio extantibus. Verum si dicta Serenissima Princeps sine liberis præmoriatur, cedet *ipsi tertia tantummodo pars* dictæ contradotis, quæ adscendit ad summam Scutatorum triginta trium millium trecentorum triginta trium ac tertiæ partis unius Scutati. „Quam quidem tertiam partem & portio„nem respectu dotis Reges Hispaniarum in eorum matrimoniis soliti „sunt Reginis constituere & assignare in contradotem, seu donationem „propter nuptias.„ De qua quidem parte tertia dicta Serenissima Princeps futura Regina poterit ad suum arbitrium disponere, ita ut dicta tertia pars, quæ constitui moris est, cedat ipsi Serenissimæ Principi in omnibus casibus, quod vero ultra dictam tertiam partem pro contradote & donatione propter nuptias constituitur, nonnisi in casibus supra declaratis ei cedat.

Jus singulare Hisp.

§. DCCXXXVI.

Differentia a dote. Nunc ubi de natura donationis propter nuptias constat, obscurum esse nequit, qua ratione a dote, largitate sponsalitia, Morgengaba & dotalitio distet? Et primo quidem a dote multifariam differt. Dos ab uxore proficiscitur; donatio propter nuptias a marito. Is qui dotem capit, durante matrimonio ejus usumfructum habet; qui propter nuptias donationem, non æque. Dos prælationis privilegio præ hypothecis anterioribus tacitis gaudet; donatio propter nuptias simplici hypotheca tacita.

§. DCCXXXVII.

Largitate sponsalitia. A largitate sponsalitia his potissimum modis propter nuptias donatio differt. Largitas sponsalitia a sponsa æque ac sponso proficisci potest: propter nuptias donatio a solo viro. Largitas sponsalitia & indotatæ potest erogari; donatio propter nuptias ei saltem, quæ dotem intulit. Largitas sponsalitia saltem ante nuptias: donatio propter nuptias tum ante tum post illas hodie dari potest. In largitate sponsalitia statim plenum jus transfertur: in donatione propter nuptias demum post mortem mariti. Denique donatio propter nuptias hypothecam tacitam in bonis mariti habet; sponsalitia largitas non item. Conf. §. 723.

A Morgengaba quomodo differat donatio propter nuptias dixi §. 720.

§. DCCXXXVIII.

Dotalitio. A dotalitio propter nuptias donatio ita differt. Hæc præcise dotis intuitu datur: illud citra illam & indotatæ. Dotalitium dotem regulariter absorbet: donatio propter nuptias non item, adeo ut vidua, quæ donationem propter nuptias capit, præterea adhuc integram suam dotem recipiat, quæ vero dotalitium capit, dotem plane amittat. Porro donationem propter nuptias vidua ad heredes transmittit, dotalitium non æque, quippe quod morte ipsius extinguitur. In donatione propter nuptias ipsum dominium transit ad viduam, in dotalitio solus ususfructus. Dotalitium quia dotem absorbet, dotis jure & prælationis privilegio gaudet,

det, donatio propter nuptias sola hypotheca tacita sine prælationis privilegio. Patet hinc, minus accurate, sed in generaliori sensu donationem propter nuptias per dotalitii vocabulum exprimi, tum in diplomatibus passim tum in cap. 4. X. de donat. inter Vir. & Ux. Solam enim donationem propter nuptias ibidem innui, non vero dotalitium proprie dictum, vel id evincit, quod ibidem de dote NB. *cum dotalitio* repetenda sermo injicitur, quæ tamen regulariter per hoc absorbetur. Eadem ratione dotalitium cum donatione propter nuptias confunditur, & pro ejus synonimo plane usurpatur cap. 15. X. de foro competente. Quo vero jure glossa ad priorem textum per dotalitium paraphernalia intelligat, non video.

TITU-

TITULUS XII.

DE

Dotalitio ejusque constitutione.

* * *

Dotalitium Germanorum moribus introductum, non præcise in dotis compensationem, sed ob præstitam fidem conjugalem per modum provisionis ad vitæ dies superstiti conjugi illustri vel pacto vel lege debetur, & quidem ex allodio potissimum, eodem vero deficiente etiam ex feudo, habita tum facultatum mariti, tum dotis ab uxore illatæ ratione, ita ut in dubio dotalitium duplicatas, vi pactorum autem plerumque quadruplicatas usuras dotem absorbentes contineat, relicta tamen viduæ electione, num dotem repetere, an dotalitium capere malit.

§. DCCXXXIX.

Dotalitium quid?

Dotalitium *, quod alias Dotarium, Duarium, Vitalitium, Vidualitium, seu viduitatis provisio, Germanis Leibzucht **, Leibgeding, Witt-

Witwenthum vocatur, est ususfructus a conjuge conjugi superstiti ob præstitam fidem conjugalem, sustentationis ergo, plerumque ad vitæ dies pacto constitutus, vel lege aut consuetudine debitus. Juri Romano & feudali Longobardico illud plane est incognitum, nisi huc referre velis, quæ jus Romanum de usufructu uxori legato passim speciatimque Titulo Codicis: si secundo nupserit mulier, cui maritus usumfructum reliquit, disponit. Jus Canonicum dotalitium pro ipsa donatione propter nuptias juris Romani accipere, Titulo præcedente monuimus. Apud Germanos vero illud moribus introductum, atque adeo ex iis unice dijudicandum.

* Dotalitii vocem demum Hohenstaufiorum ævo Germanis innotuisse, antea vero dotis nomine venisse, observat *Bœhmer*. de secund. personar. illustr. nupt. p. 150. qui tamen ibidem dotalitium a Morgengaba satis distinguere non videtur, dum Morganatico jure donata idem quod dotalitii jure donata sonare contendit. Morgengaba enim pleno jure, dotalitium solo ususfructus jure acquiritur, quod frustra negat Bœhmer. Confer dicenda §. 785. Interim cavendum, ne ambiguo verborum sono decipiamur, cum dos in diplomatibus nonnunquam dotalitium significet, alia vice per donationem propter nuptias efferatur, per quam tamen & dotalitium quandoque intelligitur. Quare ex substrata materia genuinus cujusque vocis significatus est eruendus. Add. §. 720. 754. In pactis dotalibus Henrici VIII. Angliæ Regis & Annæ Clivensis de 1539. dicitur: Dux nomine *dotis sive loco dotalitii* Regi Angliæ 100000. fl. auri intra anni spatium Londini solvet.

Aymo Sabaudiæ Comes Jolanthæ Montisferratensi 1330. *in donationem propter nuptias seu dotalitium* 30000. fl. auri promittit apud *du Mont* Corps diplom. T. 1. P. 2. n. 178.

Pactis dotalibus Philippi II. Hispaniæ Regis & Isabellæ filiæ Henrici II. Galliæ Regis 1559. habetur: au lieu de *Douaire*, dont on n' a acoutumé d' user au Royaume d' Espagne, la dite dame Elisabeth aura pour *arres* selon l' usage & façon du pais du dit Seigneur Catolique son futur epoux la somme de 133333. ecus, un tiers, revenant la dite somme *au tiers* de son dot

Les quelles arres, dissolu le mariage, & icelle dame survivant, son epoux, sortiront nature d' heritage pour elle, les siens, & aians cause, & lors en pourra disposer soit entre vifs, ou par derniere volonté. Ex quibus apparet, arrhas abusive ibi accipi pro Duario, cum negotium illud rectius ad contradotem seu donationem propter nuptias sit referendum. Conf. §. 733.

** Accuratiores & inprimis *Carolus Otto Rechenberg* peculiari Programmate Lips. 1745. fol. edito, duas has ususfructus Germanorum species Leibzucht und Leibgeding ita distinguunt, ut in priori nullam: in posteriori interdum dominii utilis, at temporarii saltem non perpetui speciem adfuisse asserant.

§. DCCXL.

inter nobiles saltem constituitur. Hos si inspiciamus, inter nobiles saltem illustresque personas illud frequentari deprehendimus, ad quas proinde omnia jura & privilegia, quibus dotalitium gaudet, referenda. Ignobilibus quidem ac plebejis pariter est integrum, constituere usumfructum in casum viduitatis, magnopere tamen ille distat ab illustrium dotalitio, quippe quod a lege & consuetudine formam certam accepit. Hoc viduis illustribus & citra pactum ipso jure debetur, at plebejis nunquam citra pactum, quippe quibus per portiones statutarias prospici solet. Et si forte lege quadam civili dotalitium quatenus lucrum solum citra habitum ad dotem respectum continet, privilegio certo e. c. hypotheca tacita est munitum, illud itidem solis nobilibus proderit, quia ad has solas dotalitium ejusque jura pertinent.

§. DCCXLI.

marito pariter ac uxori. Dum vero a conjuge dotalitium constitui dico, præmeditato studio utor voce, quæ ad uxorem æque ac maritum potest referri. Vulgo quidem a marito solo dotalitium constitui asseritur, verius tamen est, quod ab utroque conjugum, adeoque & ab uxore valide constituatur. Contrarium qui sustinent eo decipiuntur, quod in dotis compensationem illud dari putant, quem errorem infra confutabimus §. 745. Exempla si desideras dotalitii

ab

ab uxoribus constituti, præbebunt illa Reginæ, quæ dum nubunt, integram sibi reservant regni sui administrationem, excluso penitus ab ea marito. Hæ dotalitium certum constituere & definire solent, cujus usus fructus, Regina mortua, ad maritum superstitem transit. Rarissime enim tali casu ususfructus omnium Reginæ bonorum marito superstiti conceditur. Inter Angliæ quidem subditos quivis maritus superstes ab uxore, quæ ex eo partum suscepit, ac NB. vivum edidit, dotalitii loco usumfructum terrarum ab illa relictarum ipso jure citra pactum aut stipulationem consequitur, teste *Chamberlayne* Angliæ Notit. Part. 3. c. 5. quod omnino exemplum præbet dotalitii ab uxoribus constituendi. At fallitur *Mylerus* ad Rumelin part 3. diss. 2. num. 21. p. 648. dum moris in Anglia, Courtoisie d' Angleterre, esse contendit, ut Regina mortua etiam ususfructus omnium Reginæ bonorum ad maritum superstitem pertineat. Refellit hunc Myleri errorem exemplum, quod ipse subjicit ex *Petr. Matthæi* Histor. narrat. 4. num. 15. de Philippo II. Hispaniarum Rege, cui post obitum uxoris suæ, Mariæ Anglorum Reginæ, effictam hanc Angli denegarunt urbanitatem.

§. DCCXLII.

Etiam a tertio nomine mariti constitui potest dotalitium e. c. a Principe primogenito regente, qui cum hoc casu dotalitium præstet, etiam dotem illatam lucratur. Alia quæstio est, an teneatur præcise primogenitus pro Apanagiato dotalitium constituere? pro Apanagiato putarem: pro Paragiato non item. *etiam a tertio*

Pactis dotalibus Philippi Aurelianensis cum Henrica Maria Britannica de 1661. continetur: Le Roi aiant donné apanage a mon dit Seigneur le Duc d' Orleans son frere, consent, qu' il doue, comme de fait il a doué presentement ma dite Dame la Princesse de la Grande Bretagne sa future epouse de la somme de 40000. ₶. de douaire prefixe par chacun an, en fonds de terre de proche en proche, a prendre & en jouir par ses mains du jour, que Douaire aura lieu sur tous & chacuns les biens, terres & Seigneuries de mon dit Seigneur le Duc d' Orleans meme sur les terres de son dit apanage Consent pareillement Sa Majesté, que le dit apanage demeure affecté & hypothequé a la restitution de la dot, & autres conven-

tions & reprises du dit Contrat de mariage: si tant etoit, que mon dit Seigneur le Duc d' Orleans le jour de la dissolution du dit mariage n' eut d' autres biens suffisans pour satisfaire aux dits conditions.

Pro Poloniæ Regibus Reipublicæ Ordines Reginis dotalitium constituere solent, iisque varias addere conditiones e. c. ut vidua intra Regnum maneat, si dotalitium percipere cupit. Sigismundi III. uxoris dotalitio additum, ut Regina eodem suo tempore frueretur, *si Rex ad vitæ finem Regno praeesset*, quæ conditio ideo adjecta, quia Sigismundus III. suspicione laborabat, ac si Sueciam prælaturus, Poloniam in alium transmittere vellet. Vid. *Gothofred. Lengnich* Jus publ. Regn. Polon. T. 1. L. 2. c. 16. §. 15.

In Bohemia, si Regia uxor corona Regni non fuerit insignita, Regi tamen interea decedenti supervixerit, dotem Bohemicam (dotalitium) petere more prisco prohibetur. *Paul. Stransky* Respubl. Bohem. c. 9.

§. DCCXLIII.

ex feudo

Promissum a marito, vel vi legis aut consuetudinis debitum dotalitium præstare tenetur Germaniæ moribus quivis ipsius heres aut successor, quo facit textus juris Saxonici Land-R. L. 1. art. 21. Leibzucht kan den Weibern niemand gebrechen, weder nahegebohrne Erben, auch niemand auf den das Guth erstirbet. Unde & ex ipso feudo non modo liberi & agnati succedentes, sed & extranei vi simultaneæ investituræ vel expectativæ succedentes, imo ipse etiam dominus, cui feudum morte vel felonia Vasalli aperitur, viduæ vel constituere de novo, vel modice jam constitutum dotalitium præstare tenentur. Conf. §. 748.

§. DCCXLIV.

matrimonii intuitu.

Persona, cui datur dotalitium, est conjux superstes, viduus vel vidua *. Datur enim nuptiarum intuitu, & ob præstitam fidem conjugalem, adeoque sponsæ, cui promittitur in viduitatis casum promitti censetur, nec ei, nuptiis non secutis, debetur. Imo plerique Doctores dotalitium prius non deberi contendunt, quam uxor mariti thalamum fuerit ingressa, adeo ut etiamsi matrimonium per benedictionem sacerdotalem fuerit

con-

consummatum, si tamen maritus forte ante thalami conscensionem moriatur, dotalitium uxori superstiti debeatur nullum. Speciem hæc opinio accipit inde, quod dotalitium in Germania moribus est introductum, hi vero antiquitus ad matrimonii consummationem thalami conscensionem requirebant, ceu patet ex Land-R. L. 3. art. 45. das Weib ist ihres Mannes Genoßin, allzuhand als sie in ihres Mannes Bette tritt. Verum tamen cum veteres Germani ignoraverint penitus benedictionis sacerdotalis solennia, & nihilominus termino quodam opus esset, a quo matrimoniorum numerarent initia, commodiorem thalami conscensione eligere vix poterant. Hodie vero ubi leges & consuetudines copulæ sacerdotalis necessitatem apud Germanos induxerunt, ab eaque matrimonia initium capere jubent: omnia etiam matrimonii jura ab ipso peractæ benedictionis sacerdotalis momento incipere regulariter videntur. Subdubito vero, utrum a generali hac regula quoad dotalitii passum exceptio rite doceri queat, & proinde casu obveniente, quo maritus post copulam sacerdotalem ante thalami conscensionem forte decessit, viduæ dotalitium negari non posse putarem, utut forte matrimonium per procuratorem saltem fuerit consummatum. Confer dicta de Matrimon. §. 113. & 117.

* Quid in casu soluti vivorum conjugum matrimonii circa dotalitium obtineat dicetur §. 803.

§. DCCXLV.

Quod autem vulgo perhibetur, dotalitium non solarum nuptiarum, sed præcise dotis intuitu, in ejusque compensationem dari, manifeste falsum existimo, ac dupli ci potissimum argumento probo. Primo enim in maritis quoque dotalitium quandoque locum invenire, modo audivimus. Hi vero cum uxoribus dotem non afferant, nec dici poterit, illud dotis intuitu ipsis constitui. Deinde experientia docet, dotalitium etiam citra dotem uxoribus indotatis * per solum provisionis modum constitui, imo etiamsi reapse constitutum fuerit nullum, ipso tamen jure deberi aliquod pro mariti facultatibus, & liberorum relictorum numero, boni viri arbitrio determinandum. Dissentit *Titius* Specim. Jur. publ. L. 4. c. 4. §. 53. Id quidem lubenter largior, in determinanda dotalitii quantitate respicien- *indotatæ*

dum

dum esse ad dotem illatam. Æquum siquidem est, ut uxor dives, quæque magnam viro dotem attulit, lautius alatur, quam quæ parvam aut nullam attulit, & proinde lautius illi dotalitium esse constituendum. Unde & illud recte colligi admitto, quodsi dotis intuitu amplum satis ac lautum dotalitium a marito fuit promissum, heredes illius, antequam illud præstent, recte probationem dotis illatæ petant **, in qua si vidua plane deficit, tantum saltem debebitur dotalitium, quantum indotatæ ex æquo & bono deberetur, quod si solorum alimentorum nomine insignire malis, super verbis litem non movebo. Ubi autem pro parte saltem dotem fuisse illatam probaverit uxor, tantum pro rata detrahetur dotalitio a marito constituto, quantum in dote promissa deficere animadvertitur. Ceterum moribus invaluit, ut vidua ad effectum consequendi integri dotalitii admittatur, si mox post mortem mariti dotem promissam cum usuris a tempore matrimonii contracti offert. Conf. *Stryck.* Exam. Jur. feud. c. 21. qu. 8. *Horn.* Jurispr. feudal. c. 21. §. 7. Frustra quoad illustres dissentit *Coccejus* Jur. publ. prud. c. 28. §. 12.

* *Ludolf.* de jur. fœm. illustr. append. 3. lit. Q. p. 194. suppeditat exempla matrimoniorum, ubi licet dos nulla illata, tamen dotalitium constitutum. Catharina Brandensteinia, Guilielmo Saxoniæ Duci nupta, dotem non attulit: sed ipse Guilielmus Dux 20000. fl. dotis loco & 20000. nomine donationis propter nuptias ei, atque exinde 4000. fl. annuos reditus dotalitii loco assignavit. Margaretha Anhaltina, Joanni Saxonum Duci dotem nullam attulit, tamen eidem dotalitium 30000. fl. annuatim solvendorum constitutum 1520. Catharina Brunsuicensis Joanni Ernesto Saxonum Duci dotem non attulit: tamen dotalitium ipsi 1451. constitutum in sorte 15000. fl. quorum nomine quotannis usuras 2000. fl. caperet. Gisela Agnes a Rathen, Emanuelis Lebrechti Anhaltino-Cœthensis vidua dotem non attulit, & tamen dotalitium in arce Nienburg accepit.

** Quæ quomodo peragenda, dixi §. 630. Versio dotis in rem mariti defuncti ex ipsius illatione in praxi præsumitur, quæ tamen

men præsumtio contraria probatione potest elidi. Exemplum vide apud *Ludolf.* de jur. fœm. illustr. Append. 3. Lit. V. p. 380. Non inutilis est cautela *Stryckii*, qua suadet sponsæ, cui dotalitium a sponso constituitur, ut agnatos dominumque directum feudorum, quæ possidet sponsus, dotalitii tabulis subscribere in iisque exceptioni, dotem non fuisse in feudum conversam, renuntiare curet.

§. DCCXLVI.

soluto demum matrimonio

Quamvis vero matrimonii intuitu constituatur dotalitium, prius tamen illud non debebitur, quam eodem soluto, unde & vidualitium Witthum dicitur. Datur enim per vitæ provisionis modum, qua uxor utpote a marito alenda prius non indiget, quam matrimonio soluto, quod plerumque per mortem fit *. Quodsi vero per divortium solvatur matrimonium, distinguendum num mariti an uxoris culpa illud factum. Hoc casu uxor una cum dote omnia emolumenta ex matrimonio speranda, adeoque & dotalitium amittit. Illo autem non modo dotalitium lucratur, sed quod singulare est, ipsam simul dotem repetit. Land-R. L. 3. art. 74. Wird ein Weib mit Recht von ihrem Mann geschieden, sie behält doch ihre Leibzucht Man soll ihr auch wieder lassen und geben, was sie zusammenbracht.

* An & per civilem e. c. proscriptionem mariti? Resp. licet tunc ipsum matrimonium non solvatur, debebitur tamen dotalitium uxori innocenti, quæ dotalitio frui mavult, marito exule, quam ejus fortunam sequi. Nam per civilem mariti mortem territorium alium nanciscitur successorem, qui sicut commoda ex territorio percipit, ita & ejus onera, quale est dotalitium, ferat. Vid. *Ludolf.* de jur. fœm. illustr. p. 179. Exemplum Saxonicum vide R. I. Erfurt. 1567. §. wiewohl nun & §. hierauf denn noch weiter.

§. DCCXLVII.

§. DCCXLVII.

etiam in immobilibus constituitur.

Res, in quibus dotalitium constitui potest, sunt omnes illæ, quæ usumfructum recipiunt, corporales & incorporales (e. c. servitutes, census annui, imo ipsa Regalia) mobiles & immobiles. Olim quidem in immobilibus dotalitia plerumque constituebantur. Innuit hoc Latinus Juris Saxonici interpres, dum verba L. 1. art. 32. es mag kein Weib zu eigen behalten ihr Leibzucht ita reddidit: Nulla mulier propter usumfructum sui dotalitii potest *fundi* sibi proprietatem vindicare. Nec sequioribus temporibus abrogatus plane est mos ille dandi immobilia in dotalitium. Elisabetham Ottonis Principis Anhaltini viduam Comitatum Imperii feudalem Ascaniensem anno 1318. dotalitii nomine possedisse, docet *Sagittarius* Histor. Halberstad. §. 64. Elisabethæ Hassiacæ, viduæ Joannis Saxoniæ Ducis, Rochlicensem præfecturam & alia quædam Misniæ loca in dotalitium fuisse data ex *Seckendorfii* historia Lutheranismi docet *Horn.* Jurispr. feud. c. 21. §. 9. Et viduæ Joannis Georgii III. Saxoniæ Electoris in terris quibusdam Saxonicis ratione dotalitii homagium fuisse præstitum idem *Hornius* scribit in Jurispublici prudentia c. 60. §. 12.

§. DCCXLVIII.

it. in feudis

Utrum vero in allodio solo an & in feudo dotalitium locum invenire possit? proponitur. Allodialibus saltem bonis onus hoc imponere videtur Land-R. L. 3. art. 75. An eigen ist rechte Leibzucht der Frauen, denn es ihnen niemand brechen mag zu ihrem Leib, und an Lehn nicht, denn es in mancherley Weise gebrochen werden mag, quem quidem textum erroris incusat glossa. Verumtamen id mihi saltem textus indigitare videtur, quod proprium dotalitium in solo allodio sit, & tutius in eo, quam in feudo constituatur, non vero ac si a feudo penitus exulare debeat dotalitium. Contrarium potius ex aliis textibus colligitur, e. c. L. 2. art. 21. hat auch ein Weib Leibzucht an eigen, oder an Lehn rc. Ac quoties in feudo dotalitium obtinet, illud pertinet ad exceptionem a regula, quæ feudum ab hoc onere excipit. Dictitat hoc comparata inter se feudi & dotalitii indoles. Omnis enim ususfructus adeoque & dotalitii constitutio alienationem quandam involvit. Alienare autem is saltem potest, qui plenum habet domi-

dominium. Hoc vero Vasallo in feudo non competit, sed ita est restrictum, ut in domini & agnatorum seu successorum in feudo præjudicium nihil valide agatur. Unde manifestum satis puto, in tantum saltem feuda dotalitiis esse obnoxia, in quantum eadem Vasallus potest alienare, quod cum regulariter nequeat, nec dotalitium in eo constituere valebit. Hæc regula est generalis, quæ tamen exceptionem patitur, quoties leges & consuetudines contrarium statuere deprehenduntur. Germaniæ moribus invaluit, ut in subsidium & deficiente allodio dotalitium ex feudis præstetur, vide §. 743. id quod mores ad ipsorum Principum Germaniæ feuda Regalia extendunt, quorum portio nonnunquam cum jurisdictione & Regalibus in dotalitium uxoribus assignatur, prout allata §. præc. exempla evincunt.

§. DCCXLIX.

Ad sola tamen feuda secularia hanc Germaniæ consuetudinem esse restringendam, nec ad Ecclesiastica porrigendam, tum restrictiva, quam consuetudines requirunt, interpretatio, tum ipsa jubet bonorum ecclesiasticorum indoles, quippe quæ solo administratorio nomine, non vero proprietatis jure conceduntur, adeoque alienari, minui, aut onerari per dotalitii constitutionem ab administratore nequeunt. Neque obstat, quod publica Imperii lege nonnullæ personæ Ecclesiasticæ Protestantium religionem profiteri, adeoque juxta ejus placita uxores ducere permittantur. Utut enim huic consequens videatur, quod tales & dotem accipere, eam in feudum ecclesiasticum convertere, adeoque huic obligationem ad dotalitium constituendum aut præstandum imponere possint; neutiquam tamen hæc, si rite consideretur, per omnia procedet illatio. Id saltem sequitur, obligari feudum ecclesiasticum ex negotiorum gestione & ad restituendam dotem in tantum, in quantum ejus versio in rem probari potest: ulterior vero & ad constituendum dotalitium, quatenus illud lucrum continet, obligatio inde exsculpi poterit nulla. Quare id si validum esse, exitumque capere debet, capituli consensum omniaque illa requisita, quæ ad alienationem sunt necessaria, requirit. Secularisati vero Episcopatus cum qualitatem ecclesiasticam prorsus exuerint, nec administratorio amplius, sed proprio nomine a Principibus suis possideantur, secularium feudorum naturam, ut in aliis, ita & hoc in passu sequuntur, & omnino dotalitiis sunt obnoxii.

non tamen ecclesiasticis.

§. DCCL.

plerumque in annuis reditib.

Quamvis autem territoria integra feudalia æque ac allodialia in dotalitium dari possint, rarissime tamen hodie illud fieri, & soli plerumque annui reditus cum habitatione concedi solent. Atque hi annui reditus vel in pecunia, vel aliis rebus fungibilibus præstantur, & quando edulia ac alia ad vitam necessaria, ein gewisses an Getreid, Hülsenfrüchte, Butter, Schlachtvieh, Wildpret, Fische, Obst, Holtz, Flachs conjugi superstiti quotannis vi pacti erogantur, tunc illud quibusdam in locis singulari nomine *Supervita* vocatur, Germanice das Eingeschneitel *, de qua dissertationem peculiarem scripsit *Wildvogelius*. *Beyerus* in Jure Germanico eam pro specie Commestibilium des Mußtheils venditat: nos vero commodius ad dotalitium referri putamus. Commestibilia enim ad solam uxorem superstitem pertinent: at supervita cuivis conjugi superstiti sive maritus sit, sive uxor relinqui potest. Commestibilia portionem legalem constituunt, & vi legis citra pactum ita debentur, ut viduæ invitæ ne quidem per mariti voluntatem auferri possint. At supervita non ex lege, sed solo pacto debetur, citra quod nec peti, nec si pacto promissa, ultra idem extendi potest. Ceterum eam potissimum in Principatu Anhaltino inter nobiles vigere & demum Seculo XV. & XVI. in Germania innotuisse ex *Eccardi* Historia studii Etymologici docet *Beyer* l. c. pos. 17. 21. Quod vero subjicit pos. 30. mulierem ratione Supervitæ in Creditorum concursu jus prælationis non habere, & pos. 44. viduam plane amittere supervitam per secundas nuptias, præsertim intra annum luctus celebratas, tunc demum procedet, si viduæ præter supervitam dotalitium ipsius sustentationi sufficiens relictum. Alias vero si supervita non lucrum merum continet, in dotis locum surrogatur, cujus etiam jure, adeoque & prælationis privilegio gaudet, nec propter secundas nuptias utut intra luctus annum celebratas amittitur. Conf. §. 804.

* Quo vocabulo Germani etiam denotant adjectionem illam, quæ in venditione rerum nonnunquam ultra pretium conventum in nuptias filiarum venditoris ab emtore promittitur. Atque hæc si filiæ innuptæ moriuntur, emtoris lucro cedit.

§. DCCLI.

Quantitas dotalitii pro temporum, pactorum, & consuetudinum diversitate diversa animadvertitur. In Regnis certa redituum quantitas viduabus Regiis assignata deprehenditur, quæ alimentorum vicem subit, nec dotem absorbet *. Inter Germaniæ Principes autem in dotalitio determinando ad dotem illatam solet respici, & hæc per illud absorberi. Vid. §. 643. Clarior res fiet exemplis. *quantitas ejus*

* Aliquando vi pacti saltem pro parte. Tabulis dotalibus Jacobi V. Scotiæ Regis cum Magdalena Francisci I. Galliæ Regis filia 1636. cautum: Douerii possessionem statim dissoluto matrimonio dicta Serenissima Regina autoritate propria ingredi, & præfatum douerium libere possidere poterit, & in Regno Scotiæ residere, aut si libitum fuerit, in regnum Franciæ redire cum *medietate* suæ dotis, mobilibusque, jocalibus & mundo muliebri, ac gaudere *integre* dicto suo douerio, ea tam in hoc regno existente, quam in Regno Scotiæ, & percipere vita durante.

§. DCCLII.

In Lusitania Alphonsus Rex Mariæ Franciscæ Elisabethæ Sabaudæ pactis dotalibus 1666. initis promittit ad vitæ dies reditus ex ditionibus certis, les quels etats valent quatre vingt a Cent mille Croisades ou ducats par an & quelque fois plus.

§. DCCLIII.

In Hispania dotalitii loco arrhas esse in usu, quæ conficiunt tertiam dotis partem jam dum observavimus §. 739. occasione secundi conjugii, quod Philippus II. Rex contraxit 1560. cum Isabella Gallica. Idem tamen Philippus II. in priori conjugio cum Maria Anglicana 1553. dotalitium 60000. librarum annuarum determinavit: & tertio conjugio cum Anna Maximiliani II. Imperatoris filia 1570. 40000. Ducatos. Recentioribus temporibus viduæ Ludovici Hispaniæ Regis, Principissæ Aurelianensi dotalitii loco

ſunt conſtitutæ 1200000. libræ Gallicæ, ſeu 50000. piſtoles, & Eliſabethæ Parmenſi Philippi V. viduæ 20000. Ducati.

§. DCCLIV.

In Galliâ cum Ludovicus Huttinus, Philippi Pulchri filius, duceret Margaretham Burgundicam, tabulis dotalibus de 1299. cautum: Prædictus dominus noſter Rex dictam Margaretham, ſi contigerit, ipſam eſſe Franciæ Reginam, dotabit de 12000. libr. Turon. Si vero non contigerit, ipſam eſſe Franciæ Reginam, ipſe dominus noſter Rex dotabit eandem de 6000. ℔. quod dotalitium faciet eidem in locis competentibus aſſignare.

Philippus Longus 1317. uxori ſuæ aſſignavit vicena millia annui reditus.

Philippus Valeſius 1332. 25000. ℔.

Carolus V. 15000. Vid. *Chopinus* de Domaniis Galliæ L. 3. T. 4.

Ludovicus Aurelianenſis poſtea Rex hujus nominis XII. Joannæ filiæ Ludovici XI. 1473. conſtituit par forme de douaire la Somme de 6000. livres Tournois de rente. Confer quæ de tertia parte redituum coronæ ad Reginam viduam ſpectante dicemus §. 790.

Henricus II. Catharinæ Mediceæ 1533. 10000. ℔. de rente.

At hujus filius Franciſcus II. & poſt eum Carolus IX. Henricus III. Henricus IV. Ludovicus XIII. & Ludovicus XIV. uxoribus ſuis conſtituerunt pro dotalitio annuas 60000. libras, ſeu vingt mille ecûs, ita tamen, ut ſi Franciſcus II. decederet, antequam ad coronam pervenerit, relicta ipſius vidua ſaltem 30000. ℔. pro dotalitio caperet.

Philippus Dux Aurelianenſis Ludovici XIV. frater uxori Henricæ Mariæ Caroli I. Britanniæ Regis filiæ 1661. annuas 40000. libras pro dotalitio aſſignavit.

Ludovicus Aurelianenſis Auguſtam Badenſem 1724. ducturus eidem dotalitium annuarum 150000. librarum promiſit. At uxor ante maritum deceſſit.

§. DCCLV.

§. DCCLV.

In Anglia cum Henricus V. Catharinam Gallicam duceret, paci Ticinensi 1420. hæc inserta: Est accordé, que notre dite fille Catherine aura & percevra en Royaume d'Angleterre Douaire ainsi, que les Reines d'Angleterre ont au tems passé acoutumé d'avoir & percevoir, c'est a scavoir par chacun an la somme *de quarante mille ecus*, des quels les deux valent un noble d'Angleterre.

Cum Arthurus Henrici VIII. filius Catharinam Hispanicam 1503. duceret, conventum: postquam dicta domina Catharina fuerit Regina Angliæ, habebit in dotalitio ad valorem tertiæ partis redituum, omnium terrarum, tenementorum & dominiorum Coronæ Angliæ pertinentium, quæ prædicta dotalitia habebit durante ejus vita.

Anno 1727. Parlamentum Britannicum Reginæ pro dotalitio assignavit cum Palatio Sommersetano annuas 100000. libras Sterling.

§. DCCLVI.

In Dania Christianus II. Rex Elisabethæ Austriacæ pro dote 250000. fl. assignavit dotalitium in annuis reditibus 25000. fl.

§. DCCLVII.

In Polonia Reges usque ad Sigismundum ipsi uxoribus dotalitium assignarunt.

Postea ex Ordinum consensu Annæ conjugi Stephani Bathori in Lithuania annui reditus 11250. fl. concessi. Sigismundi III. priori uxori Annæ Austriacæ 50000. fl. constituti, cum dono nuptiali annuorum duorum millium numorum aureorum: secundæ Constantiæ (quæ prioris erat soror) eadem summa, ut & Ceciliæ Renatæ Austriacæ Vladislai Regis conjugi priori. Sequentibus Reginis summa duplicata, manentibus duobus aureorum in nuptiale donum millibus. Vid. *Godfrid. Lengnich.* Juspubl. Regn. Polon. T. 1. p. 395. Jacobus Sobiesky Poloniæ Princeps Elisabethæ Palatinæ 1691. pro dote 100000. fl. contradotem æqualem, & donum nuptiale ejus-

ejusdem summæ pleno jure, at pro viduali sustentatione usumfructum 200000. fl. non ultra viduitatem & vitam duraturum constituit, ac præterea annuos 20000. fl. Rhen. in quibus solvendis si mora committatur, poterit vidua loco 20000. horum florenorum proprietarie ac pleno jure sibi suisque heredibus retinere supra dictos 200000. fl. Ipsas tabulas exhibet *Lunig.* Reichs-Archiv Part. spec. Contin. 2. p. 114.

§. DCCLVIII.

In Hungaria Ludovicus Rex Mariæ Caroli V. Imperatoris sorori pro dote 200000. ducatorum annuos reditus 25000. ducatorum ad vitæ dies constituit.

In Bohemia decem millia Marcarum argenti Reginæ dotalitii loco assignata discimus ex *Dubrav.* Histor. Bohem. L. 22. p. 215.

§. DCCLIX.

In Lotharingia Antonius Dux Renatæ Bourboniæ 1514. pro dote 120000. lb. constituit dotalitium 7000. lb. per quas tamen dos ipsa haud absorberetur.

Antonius hic filium Franciscum decennem 1527. Annæ Juliacensi despondens ipsi dotalitium 4000. fl. promisit, quod tamen exitum haud cepit. Duxit Franciscus 1541. Christinam Danicam, viduam Francisci Sfortiæ Mediolanensis, constituens ipsi dotalitium 15000. lb. Turon.

§. DCCLX.

Arausionensis Princeps Guilielmus Henricæ Mariæ Caroli I. Britanniæ Regis filiæ anno 1540. dotalitium annuarum 10000. lb. Sterling. assignavit.

§. DCCLXI.

In Sabaudia Aymo Pacificus Comes Jolanthæ Montisferratensi 1330. dotalitium 30000. fl. assignavit.

Amade-

Amadeus VII. Bonnæ de Berry seu Bituricensi 1372. 10000. francs.

Amadeus VIII. postea Papa Mariæ filiæ Philippi Audacis Burgundi 1386. 10000. francs addita conditione, ut si Maria vidua evaderet, antequam Amadeus regimine potiretur, dotalitium saltem 5000. lb. capiat.

Amadeus IX. Dux Jolanthæ Caroli VII. Galliæ Regis filiæ 1436. 10000. thal.

Emanuel Philibertus Dux Margarethæ Francisci I. Galliæ Regis filiæ 1559. 30000. lb. Tournois.

Victor Amadeus Christianæ Henrici IV. Galliæ Regis filiæ 1619. 4000. lb. Tournois.

Inter Apanagiatos Sabaudiæ Duces de Nemours dictos Carolus I. Dux Blancæ Montisferratensi 1485. constituit dotalitium 5000. fl. Sabaudiæ, & præterea augmentum dotis sive donationem propter nuptias 20000. ducatorum.

Philippus Dux Carolæ de Longueville 1528. 4000. lb. Tournois, de quibus singulis fusius legi poterit *Samuel Guichenon* Histoire de Savoie.

§. DCCLXII.

E Mediolanensibus Ducibus Galeacius Maria Bonæ Sabaudæ 1468. pro dotalitio 15000. ducatos annuos assignare promisit.

Franciscus Sfortia Christinæ Danicæ 1533. reditum annuum 15000. aureorum coronatorum.

§. DCCLXIII.

Dux Parmensis Antonius Franciscus Farnesius Henriettæ Mariæ Mutinensi 1727. constituit dotalitium 12000. Scudorum.

§. DCCLXIV.

§. DCCLXIV.

In Germania Maximilianus I. Imperator Annæ Vladislai Hungari filiæ, nepoti suo Ferdinando I. desponsatæ, pro dote 200000. fl. Hungaricorum annuos reditus 25000. ducatorum Hungaricorum assignavit.

Solet inter Germaniæ Principes in dotalitio determinando ad quantitatem dotis illatæ respici, ita ut intuitu dotis usuræ annuæ 5. pro Centum numerentur, intuitu donationis propter nuptias tantundem, & præterea haud raro in solatium dotis absorptæ utræque usuræ duplicentur, ac proinde dotalitium quadruplas dotis usuras contineat. Conf. §. 770.

§. DCCLXV.

nunc ad facultates mariti respicitur.

Quoad subditos illustres nonnullæ gentes ad mariti potissimum facultates in dotalitio constituendo respiciendum esse, sunt ratæ. Apud Normannos & Gothos olim fuit decima bonorum mariti pars. Apud Longobardos tertiam vel quartam fuisse, colligitur vulgo ex 2. feud. 8. in fin. qui tamen textus an recte ad dotalitium referatur, hic inquirere non vacat. In Neapolitano & Siciliæ regno illud tertiam partem feudi, in pecunia præstandam, comprehendisse, in Gallia vero uxorem dotalitii jure frui semisse omnium bonorum mariti eo tempore jam acquisitorum, quo matrimonium contraxit, atque hanc Gallicam dotalitii constitutionem in Anglia a Joanne Rege 1215. fuisse receptam, docet *Beyer* Jur. Germ. L. 2. c. 18. pos. 43. 49. 50. Quoad Angliam tamen paulo aliter se rem habere, discimus ex *Chamberlayne* Angliæ Notitia part. 3. c. 5. Nimirum dotalitium, quod uxor a marito ibidem accipit, est ususfructus ad vitæ dies tertiæ terrarum partis, quas reliquit maritus: illud vero quod maritus uxori superstes accipit, est ususfructus omnium terrarum, quas reliquit, itidem ad vitæ dies.

§. DCCLXVI.

nunc ad dotem illatam.

Aliæ gentes, in quibus & est Germanica, in dotalitio constituendo non tam ad mariti facultates, quam dotem illatam respiciunt. Hanc si nullam

nullam intulit uxor, nec ſibi per pactum cum marito initum de dotalitio certo proſpexit, hoc ipſi modicum valde, habita tamen facultatum mariti, & numeri liberorum, quos reliquit, ratione conſtituitur. Ubi vero dotem certam intulit uxor, niſi pactis aliud placuerit, ad hujus quantitatem dotalitium ita exigi ſolet, ut duplicatæ dotis uſuræ, quibus tamen ipſa dos abſorbetur, ad vitæ dies præſtentur. Ita uſu rem plerumque ſervari animadvertimus, licet circa eandem diſſentiant valde Doctores.

§. DCCLXVII.

Dotalitium dotem absorbet.

Primo quidem dantur nonnulli, qui dotem per dotalitium indiſtincte abſorberi negant. Alii econtra per hoc illam ſemper abſorberi aſſerunt, vid. §. 643. de qua controverſia ita ſentio. Id quod dicitur dotalitium dotem abſorbere, ad eſſentialia dotalitii non pertinet, ſed ſalvo eodem pactis poteſt mutari. At pertinet ad naturalia, quæ ex conſuetudine communiter recepta eidem inſunt. Demonſtrari hæc conſuetudo poteſt ex ipſo jure Provinciali Saxonico, quod L. 1. art. 21. & 24. & L. 3. art. 76. ſollicite ſatis recenſet ea, quæ uxor poſt mariti obitum ex hereditate ipſius capit, eoque refert Morgengabam, Geradam, Commeſtibilia & dotalitium. At de dote repetenda nullum in toto jure Provinciali verbulum extat, ſi a ſolo divortii caſu mox memorando ſecedas. Quare regulariter, dote repetita, dotalitium peti nequit, dotalitio autem conſtituto & acceptato, dos non repeti, quæ tamen regula varias patitur exceptiones.

§. DCCLXVIII.

Exceptiones.

Quales ſunt *primo*, ſi pacto lege vel conſuetudine ſpeciali aliud cautum, iisque uxori ejusque heredibus præter dotalitium dotem etiam repetere permittitur, dummodo talia pacta rite ſint condita e. c. quoad bona feudalia cum domini & ſucceſſorum conſenſu; alias enim pactum tale de dote & dotalitio ſimul capiendis ſucceſſores feudales non obligabit, ne filios quidem, ſi repudiata reliqua hereditate in feudo ſolo ſuccedunt. Confer dicta de heredit. §. 856. In familia Schœnburgica vidua Joannis Caſparis, Sophia Maria, nata Reuſſin de Plauen, poſt obitum mariti per 45. annos dotalitium percepit, & tamen poſt ejus mortem rediit dos ad relictas filias,

maximo cum damno successorum feudalium, quia pactis dotalibus ita convenerat. Vid. *Jo. Henr. Meier* Comment. ad pacta dotalia Comitum de Schoenburg Sect. 8. §. 5.

Secundo regula, quae dotem per dotalitium absorberi jubet, infirmari potest lege, quale exemplum occurrit Land-R. L. 3. art. 74. ubi in casu divortii jure celebrati, mulier dotalitium & dotem, vel factam propter nuptias donationem obtinere praecipitur verbis: Wird ein Weib mit Recht von ihrem Manne geschieden, sie behält doch ihr Leibzucht, die er ihr gab ... Man soll ihr auch wiederlassen und geben, was sie zu ihren Mann bracht, oder als viel des Mannes Guths, als ihr gelobet war, da sie zusammen kamen.

Tertiam a regula exceptionem praebet consuetudo, qualem inter Serenissimas personas vigere, hasque & dotem & dotalitium simul accipere, docet *Beyer*. Jur. Germ. L. 2. c. 18. pos. 34. quod tamen pos. 40. restringere videtur ad casum, quo dotalitium uxori a marito expresse constitutum non est: hoc vero constituto dotem, cum per id absorpta fuerit, repeti non posse, ait, quod adeo est verum, ut nec repeti possit, etiamsi adhuc praesens reperiatur & adsit. Hinc cum defuncta Anna Maria, Christophori Ducis Würtenbergici filia, ex dote 32000. fl. quam marito Friderico IV. Duci Lignicensium, antea praemortuo, attulerat, 18674. fl. adhuc parati reperirentur, eosque heres Wurtenbergicus Dux vindicaret, Scabini Lipsienses desuper consulti eos ipsi abjudicarunt, quia dotalitium vidua in feudo perceperat, ceu ex *Henelio* refert *Myler*. Gamolog. c. 14. §. 6.

§. DCCLXIX.

Aliquando quadruplas imo octuplas dotis usuras continet.

Porro alii Doctores, in quibus est *Stryck*. Exam. Jur. feud. c. 21. qu. 13. in ea sunt opinione, quod si dos per dotalitium absorberi debeat, eidem duplicatae usurae non sufficiant, sed quadruplicatae esse debeant, hanc quidem ob causam, quasi duplicatae usurae debeantur solius dotis absorptae intuitu, sed alias adhuc duplicatas deberi intuitu donationis propter nuptias, quae collectim sumtae quadruplicatas constituunt. Alii adhuc octuplas plane usuras dotalitio assignant, ita calculum ponentes, ut si uxor dotem trium millium thalerorum attulerit, marito incumbat tria millia quoque thalerorum

rum promittere, quæ summa sortem 6000. thal. & simplices usuræ trecentos, at duplicatæ sexcentos thaleros quotannis efficerent, quas in solatium absorptæ dotis quadruplicari volunt ita ut quotannis 1200. thal. adeoque octuplæ dotis usuræ dotalitii nomine solvendæ sint. Vid. *Nev.* de jurib. fœminar. in feud. c. 3. §. 9.

§. DCCLXX.

Verum tamen lubenter concedimus, pactis expressis rite conditis quadruplices, quod frequentissimum in pactis dotalibus reperitur, imo & octuplas dotis usuras dotalitiis constitui posse, ceu factum in matrimonio Sigismundi Archi-Ducis Austriaci, cum Catharina Alberti Saxoniæ Ducis filia, anno 1483. ita ut pro dote 20000. fl. dotalitium 8000. fl. annuatim caperet. Vid. *Ludolf* de jur. fœm. illustr. in Append. p. 200. Sed hæc citra pactum atque in dubio ita obtinere, negamus. Pactorum sane frequentia non adeo jus inducit, ut idem inter alias personas, quæ tale pactum haud inierunt, pariter obtinere debeat. Pacta sunt & manent facti nec præsumuntur, etiamsi inter alios sint frequentissima. *Regulariter duplicatas.*

§. DCCLXXI.

Exempla satis multa dotalitiorum a Germaniæ Principibus ita constitutorum, ut dotalitii loco durante viduitate quadruplæ dotis illatæ usuræ a 5 pro Cent fuerint assignatæ, exhibet *Ludolf.* de jur. fœm. illustr. append. 3. lit. Q. p. 193. sq. quibus, si opus esset, multa adhuc possent addi, cum hæc dotalitiorum constituendorum ratio sit frequentissima, adeo ut ex frequentia talium pactorum nonnulli Doctores regulam ac jus quoddam sibi finxerint, imo in ipsis pactorum dotalium tabulis, dum dotalitium ad quadruplas dotis usuras exegerunt, expresse addiderint, hoc fieri nach Leibgedings-Recht und Gewohnheit, item: nach Fürstlichen Herkommen und Gebrauch, item: Wie bisher bey Fürstlichen Häußern bräuchlich, quæ posteriores locutiones tolerabiliores videntur priori. *Exempla quadruplarum.*

§. DCCLXXII.

Sic pactis dotalibus Alberti Friderici Brandeburgici, Borussiæ Ducis cum Maria Eleonora Juliacensi 1572. initis continetur: Dagegen wollen

Wir Albrecht Fridrich dieselbe unsre künfftige hertzliebe Gemahlin, Freulein Maria Eleonora herkommenen Fürstl. Gebrauch nach beleibzüchtigen lassen, und zu den zugebrachten 25000. fl. noch 25000. fl. gleicher Wehrung verschreiben, also daß wie bishero bey Fürstl. Häußern bräuchlich jedes 1000. mit 100. Gold-Gülden jährlich verrenthet ꝛc.

Item pactis dotalibus Henrici Senioris Comitis Rutheni cum Sibylla Juliana Comitissa de Schwarzburg de 1668. Hingegen haben hochgedacht des ältern Reussen, Herrn von Plauen Hochherrl. Gn. Dero künfftigen Ehegemahlin mit 4000. fl. Gegenvermächtniß oder Wiederlage und also nach beyden Summen der Ehe Gelder und Gegenvermächtniß mit 8000. fl. zu verleibdingen versprochen und zugesagt, dergestalt und also, daß auf den Fall, da der allein weise GOtt nach seinen unerforschlichen Rath und Willen hochermelten Herrn Reussen hochherrl. Gnaden vor der Freulein, als Dero künfftigen Ehegemahlin hochgräfl. Gn. aus dieser Sterbligkeit abfodern würde, derselben sodann nach Leibgedings Recht und Gewohnheit Zeit ihres Lebens und unverruckten Witwenstuhls, jedes 100. fl. mit 10. fl. und also Ihr. Hochgräfl. Gn. jährlich 800. fl. Leibzinsen nach dem dreyßigsten pro rata temporis anzurechnen, auf des Herrn Lehnfolger Kosten gereichet und gegeben werden sollen, quæ tamen verba commode quoque ita possunt explicari, ut clausula nach Leibgedings Recht non tam ad quantitatem, quam modum & tempus referantur, nimirum capi debere dotalitium jure usufructuario ad vitæ dies.

§. DCCLXXIII.

In contrarium multa satis adduci possunt pacta dotalia, quibus dotalitium exigitur ad duplicatas saltem dotis usuras, si nimirum pro simplicibus 5. pro Centum numerantur: aut si plus promittitur, expresse additur, hoc ex mera affectione citra juris necessitatem, ac præter receptam aut usitatam consuetudinem fieri.

Duplicatarum.

1444. Ludovicus Bavariæ Dux Margarethæ Sabaudæ tale assignat dotalitium: Ipse dominus sponsus pro dotalitio ejusdem dominæ Margarethæ eidem dabit ad rationem *mille florenorum pro decem millibus* annui reditus quod quidem dotalitium habebit & percipiet ipsa domina Margaretha, quandocunque ipsum dominum sponsum post solennisationem hujus matrimonii cum liberis vel sine liberis præ-

dece-

decedere contigerit, ad ratam dotis tunc solutæ, & non aliter & hoc quamdiu ipsa domina fuerit in humanis.

1533. Friderici Wilhelmi Altenburgensis & Sophiæ Wurtenbergicæ pactis dotalibus disponitur: Solche obgedachte Summe zugebrachten Heyrath Guths nemlich 32000. fl. wollen Wir der Chur-Fürst zu Sachsen durch unsern Vettern und Pfleg-Sohn Hertzog Fridrich Wilhelm der ehgenannten Freulein Sophien wiederlegen mit 32000. fl. obgemelter Wehrung, macht in einer Summe zugebrachten Heyrath-Guths und Wiederlegung 64000. fl. die sollen und mögen nach ländlicher Achtung eines jeden Jahres, als sie von 20. fl. Hauptguths einen Gulden zugült jährlich ertragen macht 3200. fl. an Gült.

1534. Philippus Solmensis sponsæ suæ Annæ Tecklenburgicæ sexcentas libras, usuras dotis duplicatas, in præfecturam Butzbach assignat.

1550. Henricus in Waldburg Catharinæ Freundsbergiæ promittit: Dagegen soll Wohlgedachter Herr Heinrich Erb-Truchseß Freyherr ihr Freul. Catharinæ seiner Gemahlin auch 6000. fl. vorberührter Wehrung wiederlegen, dazu auch sie mit 1000. fl. ehgemelter Wehrung bemorgengaben, daß alles in einer Summe thut 13000. fl. deren er sie auf guten eigenen liegenden freyen Güthern, oder wo es Lehn wären, mit des Lehn-Herrn Bewilligung, daß sie von zwantzig Gulden einen jährlichen Geldes wohl haben möge genugsamlich verweisen und versichern.

1574. Philippus Ludovicus Comes Palatinus Annæ Juliacensi promittit: So bald obgedachte Bezahlung der 25000. fl. Heyrathgut geschicht, so sollen und wollen Wir ohne längern Verzug berührtes Freulein Anna auf unser Stadt Schloß und Amt Hochstatt ꝛc. vor solche 25000. fl. Heyraths-Gut, der Wiederlag und Gegengeldes verschreiben und verweisen. Und obwohl bey der Pfaltz gebräuchlich, daß nicht mehr von hundert als fünff Gülden in solchen Fällen jährlich Zinß entrichtet werden: so haben wir doch Ihr Lbden der freundlichen Neigung nach, so wir zu derselben tragen, 3800. fl. jährliche Nutzung und Gefäll gemacht.

1586. Philippus Badensis Sibyllæ Juliacensi similem fere in modum: So bald auch obgedachte Bezahlung der 25000. Gold-Gulden Heyrath-

Guths geschehen, so solle und wolle hochgedachter Herr Philipp Marggraf ohne längern Verzug seine Gemahlin Freulein Sibylle auf seinen Theil Gefälle und Einkommen beyder Städte Lahr und Mahlberg ꝛc. vor solche 25000. Gold-Gulden Heyrathguts der Wiederlegung und Gegengeldes verschreiben und verweisen. Und obwohl bey der Marggrafschafft Baden gebräuchlich, daß von 100. nicht mehr denn 5. fl. in solchen Fällen jährlicher Zinß und Abnutzung gerichtet werde: so hat doch mehr hochberührter Marggraf Philipp Freulein Sibylla der freundlichen Neigung nach, so er zu derselben tragen thut, 3800. fl. jährliche Nutzung und Gefälle gemacht.

1604. Christianus Waldecciæ Comes usuras dotis duplicatas in urbem & præfecturam Landau pro dotalitio assignat.

1635. Maximilianus I. Bavariæ Elector Mariæ Annæ Ferdinandi II. Imperatoris filiæ valde memorabile dotalitium constituit his verbis: vorbestimmtes Heyrathsguth sollen und wollen Wir Maximilian Pfaltzgraf und Chur-Fürst unsrer Gemahlin Frau Maria Anna wiederlegen gleichfalls mit 100000. fl. Rheinl. guter Landswehrung, und diese noch dazu bemorgengaben mit 50000. fl. also daß Heyrathsguth, Wiederlag, Morgengab in einer Summe bringen thut 250000. fl. Und diese gantze Summe verweisen, versichern, vergewissern Wir unsrer Frau Ehegemahlin auf und bey unsern Schloß und Stadt Wasserburg ꝛc. also und zum Fall sie unsre Frau Gemahlin Wittib würde, solchs Schloß, Stadt, Marckt, und Landgerichte samt ihren Ein- und Zugehörungen zu ihren Witthum-Sitz dergestalt inne behalten möge, damit sie das Interesse von gemelter Heyraths-Summe der 250000. fl. von jeden hundert 5 *pro Cent* zu geniessen habe. Quia tamen Elector sponsæ suæ largissime prospicere cupiebat, additur post alia interposita: Und da es nach dem Willen Gottes den Fall erreichte, daß nemlich wir Maximilian Pfaltzgraf und Chur-Fürst in währender ehelichen Beywohnung vor unsrer Frau Gemahlin mit Tode abgiengen, welchen seine Allmacht lang verhüten wolle, alsdenn soll ihro als unsrer verlassenen Frau Wittib hienaus erfolgt und gegeben werden ihr zugebracht Heyrathgut samt der Morgengab, mit welchen beyden sie frey und ihres Gefallens hinzugeben, zu vertestiren oder verschaffen Macht haben soll, als mit andern ihren eigenen Güthern, und

wie

wie freyer Morgengabs-Recht und Gewohnheit, unverhindert der Kinder, da deren vorhanden, und sonst männiglich. Die Wiederlag aber soll sie mit 5. pro Cent wie oben gemelt ihr Lebenlang zu geniessen haben: quod intelligo de casu, si ad secunda vota transierit. Nam in casu servatæ viduitatis multo lautius ipsi prospicitur in sequentibus: Auf daß sie auch zur Zeit ihrer Wittibschafft desto stattlicher erhalten werden möge, ist dahin geschlossen worden, es seyen gleich Kinder vorhanden oder nicht, daß ihr von unsern Erben und Nachkommen so lange sie Wittib bleibt, und sich anderwerts nicht verheyrathet, jährlich 30000. fl. Rheinl. guter Lands-Wehrung, jedoch die 5000. fl. jährl. Zinß und Nutzung von der Wiederlag darein gerechnet gereicht, zu Quatembern eingetheilt, und Ihro ohne alle Unkosten aus obbemelten Gefällen erlegt und bezahlt werden soll.

1646. Fridericus Wilhelmus Magnus, Elector Brandeburgicus, Ludovicæ Arausionensi promisit: La Serenité Electorale a promis en vertu des presentes pour l'affection cordiale, qu'il porte a la dite Princesse sa chere epouse, de lui fournir encore la somme de cent vingt mille Risdales de contre dot, outre les autres cent vingt mille Risdales cy dessus specifiés pour sa dot, & en cas de decés de sa Serenité Electorale, dont Dieu veuille en garder par sa misericorde, *& encore que la rente des dits* cent vingt mille Risdales, & des autres cent vingt mille Risdales, cy dessus, faisant en tout 240000. Risdales, *ne se monte ensemble qu' a la somme* de quatorze mille quatre cens Risdales (scilicet a 5. pro Cent) Sa dite Serenité Electorale portée de pure affection pour la dite Princesse a consenti en vertu des presentes, qu'il luy sera payé comme dessus & donné apres sa mort au lieu de la rente ordinaire a cause de son douaire annuellement la somme de vingt mille Risdales.

1681. Fridericus Eberhardus Comes Lœwensteinensis Susannæ Sophiæ Ludovicæ Hohenloicæ promittit: Es sollen und wollen offt hochbesagt Ihro Herrn Graf Fridrich Eberhards Hochgräfl. Gnaden Dero künfftige Gemahlin, Freulein Susanne Sophie Louise Gräfin von Hohenloe und Freulein zu Langenburg, ihres zu und einbringenden Heyrathguts der 4000. fl. halber gleicher Gestalt und ebenmäßig mit 4000. fl. Wiederlag obbemelter Wehrung verleibdingen, also daß dieselbe zur Zeit des Falls

von Dero Heyrathguth und Wiederlag, welches zusammen sich auf 8000. fl. belaufft von jeden 100. Gulden Hauptgeld 5. fl. beständig und gewisse jährliche Nutzung haben mögen.

§. DCCLXXIV.

Dotalitia restricta per pacta familiæ. Quamvis autem per modo fusius allata Germanica dotalitia regulariter juxta dotis illatæ quantitatem determinari soleant, in nonnullis tamen Principatibus ac Comitatibus per familiæ pacta dotalitia ad summam certam restricta deprehenduntur.

In domo Anhaltino-Cœthensi vidua primogeniti 6000. thal. accipit, secundo geniti 5000. thal. si nimirum dotalitium ab agnatis est præstandum. At descendentibus parentes ex bene placito majus dotalitii onus imponere sinuntur. Vid. *Fabri* Staats-Cantzley T. 74. p. 674.

In familia Waldeccensi dotalitium non ultra 2000. thal. constitui potest vi pacti de 1685. apud *Ludolf.* de jur. primog. p. 276.

Mansfeldiæ Comites teste *Spangenberg* Chron. Mansfeld. c. 354. 1519. inter se convenerunt: daß keiner seiner Gemahlin mehr denn 750. fl. jährlich aufhebens vermachen solle: hätte aber eines Gemahl über 20000. fl. zum Heyrathgut eingebracht, möchten ihr 1200. fl. jährlich Aufhebens dagegen vermacht werden.

Testamento Balthasaris a Promniz Episcopi Uratislaviensis, quo Majoratum in gente Promnicensi instituit, inter alia disponitur: daß keiner von Promniz, der dieser Succession theilhafftig, und in die Administration komt, seiner Ehe-Gemahl auf die Pfand-Fürstenthümer und Herrschafft über 1000. Thlr. zu verleibdingen und zu versorgen Macht haben solle. Hoc tamen testamentum omnium fere Academiarum collegia, lite inter successores oborta, occupasse ex *Besoldo* observat *Myler* Gamolog. c. 12. §. 12. Imo nostra memoria Principum Silesiæ judicium desuper habitum. Confer dicta de Heredit. §. 134.

§. DCCLXXV.

Aucta. Augetur promissi dotalitii quantitas tum in casu quo Princeps, qui ante susceptum regimen pacta dotalia condidit, postea in eodem decedit, quor-

quorsum pertinent, quæ de Gallia supra §. 754. & de Sabaudia §. 761. attulimus: tum in casu, quo plures in Principatu deprehenduntur viduæ. Tunc enim vidua, quæ minus habuerat dotalitium, eodem relicto, majus quod vacare contingit, occupare solet.

§. DCCLXXVI.

Ubi per dotalitium ipsa dos absorbetur, quod in Germania regulariter fieri audivimus, §. §. 751. 764. 643. accidere potest, ut vidua, secundas forsan nuptias præoptans, vel alias ob rationes, dotem ipsam recipere malit, quam suo frui dotalitio. Quare tunc quæstio oritur, sitne indulgenda viduæ electio, num dotem repetere, an dotalitium constitutum capere malit? Equidem cum dotalitium in favorem viduarum introductum sit, neutiquam illud in earum odium detorqueri, & proinde libera illis optio relinqui debet, num dotalitium a marito constitutum, vel alias debitum, an dotem suam simpliciter recipere malint, dummodo illud citra aliorum præjudicium fiat. Quare statim post secutam mariti mortem declarare debet vidua, dotemne an dotalitium capere velit. Quodsi vero semel dotalitium acceptaverit, res amplius non erit integra, neque locus ulteriori optioni relinquendus, etiamsi ad secunda forte vota transeat, quoniam alias facillime a vetulis fraus fieri posset, quæ postquam per 20. annos dotalitium perceperunt, vitæque terminum sibi instare sentientes, repudiato dotalitio, dotem repeterent, vel plane pro transferenda in alium dote, eundem sibi secundis nuptiis jungerent. Pactis dotalibus Comitum de Schœnburg cavetur, ut vidua quandocunque libuerit, dotem repetere queat, eoque casu dimidium saltem dotalitium post dotem receptam accipiat.

Dotem præ dotalitio eligere potest vidua.

§. DCCLXXVII.

Sed & id planum esse arbitror, quod vidua dotem præ dotalitio eligens, non simul propter nuptias donationem capere possit, nisi pacto maritus eam ipsi ita promiserit, ut illam una cum dotalitio simul lucretur. Alias enim, & si nullam propter nuptias donationem uxori promisit maritus, illa eam nec prætendere poterit. Quodsi vero illam promisit quidem, nulla tamen addita dotalitii mentione, in hoc pacto præcise acquiescendum

Non autem simul propter nuptias donationem capere.

cendum erit uxori, quæ consentiendo in constitutionem donationis propter nuptias, dotalitio simpliciter renuntiasse videtur. Cum enim hæc sit donationis propter nuptias indoles, ut semper cum dotis repetitione sit conjuncta, hæc vero dotalitium regulariter excludat, necessario sequitur, quod is, qui in donationem propter nuptias consentit, dotalitio, & vice versa is, qui in dotalitium consentit, propter nuptias donationi renuntiet. Quare in casu proposito uxor, quæ in donationem propter nuptias consensit, eam præcise accipere tenebitur, nec dotalitium præeligere poterit.

§. DCCLXXVIII.

In feudo tunc successori optio relinquenda.

Alia vero quæstio erit, num & mariti in feudo successor obligetur ad præstandam uxori, quam maritus promisit, propter nuptias donationem? Atque hanc negandam, & optionem potius successori tali relinquendam puto, utrum promissam propter nuptias donationem an dotalitium præstare malit? propterea quod ex antecessoris pacto successor feudalis non obligatur, jura vero onus donationis propter nuptias feudis non imponunt, sed saltem illud dotalitii. Quare nec ulterius quicquam, quam quod jura præcise jubent, præstare tenebitur. Quod vero *Hornius* in Jurispr. feud. c. 21. §. 7. tradit, successores feudales, si dotalitio non constituto dotem, & cum illa tantundem ratione donationis propter nuptias reddere velint, audiendos, nec præcise ad dotalitii constitutionem adigendos esse, inter casus vix dabiles refero. Cum enim dotalitium duplicatas saltem regulariter usuras contineat, consultius longe erit successori feudali, illas solvendo ipsam sortem feudo conservare, quam ipsam duplicatam sortem in viduam irrevocabiliter per modum donationis propter nuptias transferre. Quodsi vero forte ex familiæ pacto dotalitium usuras quadruplicatas continet, tunc fallere puto, quod Hornius ait, liberari feudi successorem a dotalitio, oblata cum donatione propter nuptias dote. Dotalitia siquidem in Germania ipso jure & ex moribus legitimum, nec unice a possessoris arbitrio pendens, feudi onus constituunt.

§. DCCLXXIX.

An vidua portionem

Quantum ad quæstionem attinet, quam nonnulli formant, possitne vidua illustris, repudiato dotalitio, præeligere portionem statutariam, vel

quartam ab intestato, ipsi ex mariti hereditate debitam per Auth. Praeterea C. unde vir & ux. De statutaria portione incongrue plane quaeritur, cum inter personas illustres proprie nec statuta, nec portiones statutariae deprehendantur. Imo si darentur, tamen viduam, repudiato dotalitio semel constituto, statutariam portionem petere non posse, contra *Carpzovium* asserit cum *Richtero Lynckerus* in Responso apud *Ludolf.* de jure foem. illustr. in Append. p. 409. Portioni alias e. ç. quartae ab intestato sibi debitae eo ipso, quo in dotalitii constitutionem consentit, uxor renuntiat, ut proinde ulterior electio ipsi plane non sit concedenda, sed simpliciter dotalitii pactis inhaerendum. Antequam autem uxor in dotalitii constitutionem consensit, electio non deneganda. Et sic accipiendi sunt *Andler.* in Jurispr. L. 2. Tit. 15. n. 13. & *Coccej.* Jurispubl. prud. c. 28. §. 26. In Saxonia Electorali viduae nobiles per Constit. Elect. 37. part. 3. electionem habent, sive illata repetere: sive ordinario atque plebejis etiam mulieribus competente jure succedere: sive dotalitium cum Gerada, Commestibilibus & Morgengaba capere velint. Prioribus duobus casibus vidua omnia sua bona etiam receptitia conferre tenetur, sive a marito, sive aliunde profecta sint, imo & alibi sita, ac nondum possessa, ut responderunt JCti Vitebergenses 1680. apud *Leyser.* de jurib. Equitum Saxon. §. 12. qui §. 15. priorem modum viduis aetate provectioribus, alterum pauperculis, tertium divitibus aetate florentibus suadet. *statutariam prae dotalitio potest eligere?*

§. DCCLXXX.

Vidimus a quo, cui, quale & quantum dotalitium constitui possit & soleat, sequitur quo modo illud constituatur. Fieri illud plerumque solet per pactum, nonnunquam tamen & citra pactum per legem vel consuetudinem, prout §. 765. ostendimus, in Anglia ipso jure uxoribus usum fructum tertiae terrarum a marito relictarum partis: maritis autem usum fructum omnium terrarum ab uxore relictarum deberi: & in Germania itidem ex moribus citra pactum expressum in bonis mariti defuncti dotalitium uxoribus indotatis ex aequo & bono, dotatis vero juxta dotis illatae quantitatem constitui §. 766. quae consuetudines tum viduis, ne alimentis destituantur, tum successoribus, ne graventur nimium, prospiciunt. At cum favori pro se introducto quilibet renuntiare valeat, dubitandum non *Constituitur dotalitium lege vel pacto.*

 est,

est, quin pactis expressis consuetudines illæ mutari possint, & dotalitiorum quantitas pro contrahentium arbitrio nunc augeri nunc minui. Atque pacta talia speciem contractuum seu pactorum inter vivos, non autem ultimæ voluntatis constituere manifestum. Unde nec alterutrius, sed utriusque demum contrahentium partis dissensu infirmari possunt, utut alias per ultimam quoque voluntatem dotalitium constitui posse, lubenter concesserim.

§. DCCLXXXI.

Ejus requisita.

Requisita pactorum, quibus dotalitia constituuntur, sunt eadem, quæ in genere circa quævis pacta sunt necessaria, & consensu libero ac legitimo absolvuntur. Quare cum de re pleno jure ad se spectante quilibet libere citra cujusquam consensum disponat, in eadem & dotalitium citra ullius consensum recte constituet. Ex adverso ubi dominium rei est restrictum, ut in feudo, neque dotalitium sine eorum, quorum interest e. c. domini & successorum consensu, quem pactis dotalibus subscribendo testari solent, constitui regulariter poterit, id quod tamen exceptionem admittit, si ipsa lege vel consuetudine feudis dotalitii onus impositum reperitur, atque talem consuetudinem in Germania vigere §. 748. notavimus.

§. DCCLXXXII.

An Imperatoris & successoris consensus necessarius?

In ea igitur licet Principes feuda ab Imperatore & Imperio, reliquique Vasalli a dominis suis directis teneant, tamen ad dotalitium modice, & quatenus in feudis hactenus fuit receptum, constituendum, nec Imperatoris * aut dominorum directorum, nec successorum in feudo consensu egent, quo tamen omnino opus est, quoties ultra consuetam (dissentit *Titius* Spec. Jur. publ. L. 4. c. 4. §. 54. & tunc quoque consensum tuto negligi existimat) aut familiæ pacto, qualia vide §. 774. determinatam quantitatem illud extenditur. In Marchia Brandeburgica semper ad dotalitii constitutionem Electoris consensum, agnatorum non æque, sed & hunc in Nova Marchia pariter requiri asserit *Stryck.* Exam. Jur. feud. c. 21. qu. 16. Regulariter enim dotalitium a Vasallo cum domini consensu constitutum in agnatorum præjudicium non valere, & successione ad eos devoluta,

luta, ab iis præstari non debere, verius videtur. In Saxonia ad dotalitium constituendum sex testes requiri, docet *Beyer.* Jur. Germ. L. 2. c. 18. pos. 15. Circa tempus nihil interest, utrum ante nuptias, an post illas durante matrimonio dotalitium constituatur. Hodie enim quævis pacta inter conjuges, præsertim in eventum soluti matrimonii suspensa valide ineuntur.

* Priscis temporibus frequentius consensus Cæsareus super dotalitiis expetitus. Vid. *Schilter* ad Jus feud. Alem. c. 26. p. 199. Rupertus Imperator Alberto Palatino, Duce Bavariæ, & Comiti Hannoniæ, Hollandiæ, Seelandiæ & Frisiæ consensum præbuit ad dotalitium conjugi Margarethæ Clivensi constituendum in feudis Imperii 1402. Idem Imperator 1406. consensum dedit ad dotalitium Bernhardi Marchionis Badensis conjugi, Annæ Comitissæ Oetingensi promissum vor ihr Witthum, Zugelt und Morgengab 20000. fl.

TITULUS XIII.

DE

Jure viduæ illuſtris in dotalitio conſtituto.

* * *

Pro conſequendo dotalitio, quod dotis vicem ſubit, dotis privilegio gaudet vidua. Quod ſi in pecunia, vel alia quantitate ſolvitur, cenſus vitalitios refert, at in fundo conſtitutum propius ad uſusfructus, quam dominii utilis naturam accedit: a cautione tamen fructuaria vidua eſt immunis, nec dotalitium per ſecundas nuptias amittit, bene tamen per adulterium. Mortua vidua ipſius heredes reſtituunt fundum, in quo habuerat dotalitium. Fructus vero ultimi anni una cum expenſis pro temporis rata dividere, æquitas ſuadet. At lites præcavendi cauſa Germanorum inſtituta hoc in paſſu operarum & culturæ rationem haberi ſimpliciter jubent, & agrorum fructus

viduæ heredibus tribuunt, simulac ager rastris subactus, vinearum autem & hortorum, si post Urbani diem vidua decessit.

§. DCCLXXXIII.

Rite ubi constitutum est dotalitium, causam ejus valde esse favorabilem, nemo inficiabitur, qui modo considerat, illud vel alimenta necessaria viduæ relinquenda, vel compensationem dotis ab ea illatæ comprehendere. Eritne autem hic dotalitii favor eousque extendendus, ut tacita quoque ejdem tribuatur hypotheca? Sane cum hypotheca tacita legem supponat, hæc vero in genere quoad quævis dotalitia doceri nequeat, simpliciter hypothecam tacitam dotalitiis tribuendam esse, vix putarem, neque tamen indistincte omni privilegio ea carere, dixerim. *An dotalitium hypotheca gaudet.*

§. DCCLXXXIV.

Namque dotalitium aut alimentorum necessariorum vicem subit, quando e. c. datur indotatæ, atque tunc illud vi beneficii competentiæ præ reliquis creditoribus capiet vidua: aut dotis vicem subit, quando nimirum solæ duplicatæ dotis usuræ dotalitii loco dantur. Simplices enim pro dote ipsa debentur, duplicatæ autem in solatium amissæ sortis, qua dos constabat. Hactenus igitur lucrum plane nullum ex dotalitio percipit, sed nudam dotis compensationem, quare tunc omnino dotis jure, & non solum hypotheca tacita, sed & retentionis jure, de quo §. 638. & personali prælationis præ hypothecariis tacitis anterioribus privilegio vidua dotalitii intuitu gaudet, & vacuum dotalitium propria autoritate occupat. Quatenus vero dotalitium lucrum merum e. c. usuras duplicatis majores complectitur, eatenus, cum leges sileant, hypotheca eidem tribui regulariter nequit. Ab hac tamen regula excipiendum est dotalitium uxori Principis regentis constitutum. Hæc enim Augustæ, Augusta autem fisci jure gaudet L. 6. §. 1. Dig. de jure fisci. At fiscus semper jus pignoris seu tacitam in debitoris sui bonis hypothecam habet L. 46. §. 3. eod. qua proinde tale *Ass.*

se quoque dotalitium gaudebit, dummodo illud in creditorum fraudem constitutum non appareat.

§. DCCLXXXV.

Dominium non tribuit. Jus quod in acquisito dotalitio habet uxor, utile dominium vocant nonnulli, in iisque *Beyer.* Jur. Germ. L. 2. c. 10. pos. 15. sqq. Cum autem utile dominium ad heredes transmitti soleat, dotalitium autem morte accipientis expiret, plerosque secuti illud usumfructum appellare satius duximus. Ubi tamen non intelligimus usumfructum juris Romani, quo decepti sunt dissentientes. Apud Romanos enim ex cerebrina quadam subtilitate usufructuarius nec meliorem reddere poterat rem, in qua habebat usumfructum L. 44. & 6. Dig. de usufructu, adde dicta §. 334. nec ipsi cautio usufructuaria testamento poterat remitti L. 7. C. ut in possessionem legatorum, quod utrumque cum in dotalitio secus se habere animadverterent, illud nec ususfructus nomine insigniri posse putarunt. Verumtamen Germanorum, de quorum dotalitiis hic agimus, mores antiqui prorsus ignorant, hodierni vero repudiant hanc juris Romani subtilitatem, quæ proinde impedimento esse nequit, quo minus notionem ususfructus dotalitio, cui per omnia convenit, accommodemus.

§. DCCLXXXVI.

Proprie dictum. Poterit quidem dotalitium vocari dominium tum in sensu Germanorum antiquo, quo dominium ex possessione metiebantur, tum in hodierno generaliori, quo quodvis jus reale dominium audit. Imo poterit dotalitium utile dominium in strictiori sensu NB. *tunc* vocari, si feudum dotalitii constitutum, qualia exempla prisci pariter ac recentioris ævi adduximus de Tutela illustri §. 583. Sed hi casus speciales sunt nec ad regulam trahendi. Regulariter autem dotalitium die Leibzucht in solo usufructu consistit, dominioque contradistinguitur, tum pleno, quod prisco loquendi genere dicitur eigen Land-R. L. 1. art. 33. Es mag kein Weib zu eigen behalten ihr Leibzucht, tum minus pleno seu utili, vulgo Lehen, quod, ceu modo diximus, in dotalitio saltem cernitur in casu excepto, qui in reliquis regulam potius firmat. Conf. §. 809. Nec obstat, quod uxores super

dota-

dotalitio investitæ legantur Land=R. L. 3. art. 75. ibique glossa. Potuit siquidem id fieri in feudo dotalitii. Nec investitura præcise fit super dominio. Investire a Vesten i. e. firmare dicitur, & nihil aliud est, quam tradere, mittere in possessionem, non præcise in dominium. Imo *Horn.* Jurispr. feud. c. 12. §. 1. investituram significare docet collationem *juris qualiscunque.* Unde & de solis officiis officiales investiti leguntur. Add. *Jtter.* de feud. Imp. c. 8. §. 2. Interim sive dotalitium usumfructum, sive sano sensu dominium dixeris, quamdiu super verbis solis certatur, litem non movebo, dummodo in re ipsa conveniamus.

§. DCCLXXXVII.

Hæc vero sic se habet. Circa ipsam rem, in qua constitutum est dotalitium e. c. sortem vel fundum disponere, aut eum alienare non potest uxor * nec vindicare directo & principaliter, sed utiliter saltem & ex jure cesso, uti frui autem eodem libere potest, fructusque pleno jure acquirit, horumque intuitu onera ** ferre, mediamque diligentiam adhibere tenetur. Omnia itaque dotalitii emolumenta, quæ fructuum nomine venire possunt, ad viduam spectant. Atque hæc proinde, ea omnia peragere & exercere potest, quæ usufructuarius, quæque fusius recensuimus §. 338. *Sed usumfructum.*

* Ipso igitur jure nulla erat venditio Ascaniæ urbis, ab Elisabetha, Ottonis I. Anhaltini vidua, quæ in dicta urbe dotalitium habebat, Episcopo Halberstadiensi facta anno 1318. Firmatum tamen postea Brandenburgici Electoris, qua Principis Halberstadiensis in dicta urbe jus per transactionem de 1683. Heres mariti dominium, quod in dotalitio habet, valide alienat, salvo tamen viduæ dotalitii jure.

** Ergo & si in feudo dotalitium habet, servitia feudalia per substitutum præstare. In Pomerania peculiare est, quod successor in feudo der Lehns=Folger servitia præstare tenetur, ac viduæ ab iisdem sunt immunes.

§. DCCLXXXVIII.

Possessionem.

Ut possessionem dotalitii, mortuo marito, nanciscatur vidua, jure retentionis gaudet in bonis mariti. Solet & majoris cautionis ergo uxor statim post consummatum matrimonium mitti in possessionem dotalitii, ipsique homagium ejus intuitu præstari. Conf. §. 712. Pactis dotalibus Ferdinandi I. Imperatoris & Annæ Hungariæ cavetur: Dominam Annam statim, post consummationem matrimonii inter nos per copulam, in possessionem supra dictorum locorum ponemus & introducemus, curabimusque, ut omnes officiales ac subditi supra dictorum locorum Dominæ Annæ per nos assignatorum homagia, & alia fidelitatis juramenta eidem Dominæ Annæ præstare debeant. Ipsaque Domina Anna de omnibus istorum locorum officiis ac personis instituendis ad arbitrium suum disponere possit, & valeat: ita videlicet, ut præfata Domina Anna hujusmodi reditibus vita sua durante uti frui ac gaudere, & ex illis statum suum sustinere & intertenere possit & valeat. Vid. *Jo. Sambuci* Appendix ad *Bonfinii* Histor. Hungar. p. 540. Intuitu dotalitii, quod Fridericus I. Borussorum Rex secundæ conjugi in Grœningen constituerat, homagium ab habitantibus præstitum memorat *Leuckfeld* in Antiquitatibus Grœningensibus.

§. DCCLXXXIX.

Sine pignoris onere.

Pignori si forsan dotalitium est suppositum, liberum illud omnino viduæ est præstandum, aut si hoc difficultatis quicquam invenit, & ipsa vidua illud vult reluere, neutiquam denegandum. Cum apud Bohemos datam antehac pignori ditionem Trutnoviam repeteret, æreque mutuo, quadringentis nempe & quadraginta septem sexagenis grossorum Pragensium liberare eam vellet Ferdinandi uxor Anna Regina, recusanti Adamo Zylvaro creditori fuit judicum sententia imperata pignoris restitutio, ditioque ipsa cum agro omni, satisfacienti de debito Reginæ, assignata anno 1544.

Annæ Matthiæ Regis uxori de redimenda a Wilhelmo Wehynicio per Rudolphum II. oppignorata ditione Mielnicona in Comitiis 1614. assensum. Vid. *Paul Stransky* Respubl. Bohem. c. 9. Pactis dotalibus Maximiliani I.

liani I. Bavariæ Electoris & Mariæ Annæ Austriacæ 1635. statuitur: Da diese verpfändliche Herrschafften eine oder mehr andern verschrieben oder obligiret wären, sollen dieselbe frey ledig gemacht, auch keine weiters ver- hypotheciret, und da solches nicht geschehe, an statt derselben jetzt als dann, und dann als jetzt andre unsre Herrschafften, so viel hierzu vonnö- then, und erklecklich sind, zu allen obberührten Puncten und Assecuratio- nen verschrieben seyn.

Simile quid occurrit in pactis dotalibus Friderici Wilhelmi Altenbur- gensis & Sophiæ Wurtenbergicæ de 1533.

Pactis dotalibus Wilhelmi Fortis Saxoniæ Ducis (filii Friderici Belli- cosi) & Annæ filiæ Alberti II. Imperatoris 1447. cavetur: Und ob ichts verpfandet wäre oder würde, daran soll sie Folge, Gehorsam und Wie- derlösung haben in aller masse als wir gehabt hätten.

§. DCCXC.

Fructus ex dotalitio quæsitos adeo pleno jure sibi acquirit vidua, ut nec citra prævium pactum adstringi possit ad eosdem in territorio consu- mendos. Id quod pacto interveniente nunc confirmatum, nunc mutatum deprehendimus. *Etiam extra territorium potest consumi.*

Pacta dotalia Alphonsi Arragonii, Eleonoræ filiæ Eduardi I. Angliæ Regis anno 1282. loca certa pro arrhis seu dotalitio assignant, tenenda, si ipsa supervixerit, *sive sit in Regno Arragoniæ*, *sive extra*, sive sit vidua sive conjugata.

Maria Henrici VII. Angliæ Regis filia Ludovico XII. Galliæ Regi nupta, hoc mortuo vidua facta Angliam repetiit, invito licet Francisco I. Galliæ Rege, quoniam secundum Regni leges tertia pars redituum coronæ ad Reginam viduam spectaret. At tabulis dotalibus de 1514 erat cautum: quod duarium sive donationem propter nuptias præfata illustrissima Prin- ceps Domina Maria tenebit & possidebit - - - - - quamdiu vixerit in hu- manis *ubicunque locorum* moram traxerit, sive habitaverit intra Regnum Fran- ciæ, vel in Regno Angliæ, seu alibi.

Carolus IX. Galliæ Rex 1570. Elisabethæ filiæ Maximiliani II. Imperatoris assignat annuas 60000. libras, addens; du quel douaire la dite Serenissime Princesse future epouse enjouira & l'aura pour tous les jours de sa vie en cas de dissolution du dit mariage elle survivant, soit qu'*elle veuille demeurer au dit Royaume, ou ailleurs.*

Henricus IV. Catharinæ Medicææ 1600. constituit dotalitium 20000. ecus d'or, pour en jouir sa vie durant, soit qu'elle veuille demeurer au Royaume de France ou ailleurs.

Idem constitutum pactis dotalibus Ludovici XIII. & Annæ Hispanicæ, item Ludovici XIV. & Mariæ Theresiæ Hispanicæ.

Pactis dotalibus Jacobi V. Scotiæ Regis 1636. assignantur Magdalenæ Francisci Galliæ Regis filiæ annui reditus 30000. lb. hoc modo: Tum douerii possessionem statim dissoluto matrimonio dicta Serenissima Regina autoritate propria ingredi, & præfatum Douerium libere possidere poterit, & in regno Scotiæ residere: aut si libitum fuerit in regnum Franciæ redire cum *medietate* suæ dotis, mobilibusque jocalibus & mundo muliebri, ac gaudere integre dicto suo Douerio, ea *tam in hoc regno existente, quam in regno Scotiæ*, & percipere vita durante.

Sophiæ Mecklenburgicæ Joannis Constantis Saxoniæ Electoris uxori 1490. pro dote 16000. fl. constitutum dotalitium 3000. fl. so ihr auch auf den Fall, da sie zu ihren Eltern, Brüdern und sonst anderstwohin sich wenden würde, solle abgefolget werden.

Margarethæ Anhaltinæ eidem Joanni Saxoni nuptæ 1520. promissum dotalitium 3000. fl. so ihr auch ausser den Landen, wohin sie sich in ihren Witwenstand wenden möchte, soll geliefert werden.

Tabulis dotalibus Wolfgangi Friderici Hohenloici cum Eva Christina Hohenloica 1646. continetur: Würde aber das Freulein entweder den Witthum gar nicht, oder nur eine Zeitlang beziehen, und sich nachgehends animo nunquam redeundi zu ihren Freunden oder andrer Orten zu wohnen begeben, soll ihm Frucht, Wein und Geld, wie obstehet, auf ihren Kosten gefolget, oder allein die 600. fl. an Geld gegeben, und ihme

Freu-

Freulein hierunter die Wahl gelassen werden. Würden aber Ihr. Gn. animo redeundi sich gehörter massen von dem Witthum hinweg begeben, soll ihr derselbe mit allen Gefällen, Rechten und Einkommen in seinem unverruckten Wesen bleiben und gelassen werden.

§. DCCXCI.

Econtra Philippus II. Hispaniæ Rex Annæ filiæ Maximiliani II. Imperatoris 1570. dotalitium constituens addit: Si tamen ad secunda vota non transierit, & in *his regnis vivere & residere voluerit.* *Ni aliter pactum.*

De dotalitio quod Poloniæ Respublica Reginis constituit ita scribit *Godofredus Lengnich* in Jurepubl. Regn. Polon. T. 1. L. 2. c. 16. §. 25. Regina fruitur dotalitio per omnem vitam, quamdiu Regina Poloniæ, & *intra Regni aut Lithuaniæ fines manet.* Hinc Eleonora Michaelis vidua reditibus suis excidit, cum Austriam repeteret, & per alteras cum Duce Lotharingiæ nuptias Poloniæ Regina esse desineret.

Maria post mariti Joannis III. obitum Romam abiit, salvis tamen reditibus suis, *quod consensum Reipublicæ rogaverat*, & ut sibi juribus suis frui liceret. Absens jam ultra decennium 1710. novum impetravit consensum.

Nec Vladislai vidua per alterum matrimonium dotalitium amisit, quia *Joanni* Casimiro successori nupsit.

Hoc addere libet, quod pactis dotalibus Jacobi Sobiesky Regii Poloniæ Principis & Elisabethæ Palatinæ 1691. eidem liberum fuit relictum, tempus viduitatis *in vel extra Poloniam* transigere. Si vero præeligeret viduitatem in Polonia transigere, gratis ipsi concedenda promittitur condigna habitatio decenti suppellectile instructa.

§. DCCXCII.

Poterit quoque vidua fructus, sive jam fuerint percepti, sive adhuc percipiendi, si ad secunda vota transit, marito secundo in dotem afferre. Exemplum de vidua Uladislai Poloni modo audivimus. Aliud habemus *Fructus secundo marito in dotem*

 in

Afferuntur. in Elisabetha, Wenceslai Senioris Bohemiæ Regis vidua, quæ dotalitium ad secundum maritum Rudolphum Ducem Austriæ attulit, illudque defuncto Rudolpho ad vitæ dies retinuit. Vid. *Myler.* Gamolog. c. 14. §. 8. qui tamen per secundas nuptias dotalitium amitti existimat, ita ut vidua dote simpliciter reddita tunc esse debeat contenta, ne scilicet prioris mariti opibus proci alliciantur. At parum roboris huic rationi inest, præsertim cum contrarium manifeste appareat ex Land-R. L. 3. art. 76. Neque arridet distinctio *Bœhmeri* de secundis personarum illustrium nuptiis p. 157. inter dotalitium allodiale & feudale, quorum illud secundis nuptiis amitti putat, hoc non item, quia scilicet per illud dos absorbeatur. Sed utrinque in allodio pariter ac feudo Germanico dotalitium regulariter dotem absorbet, ut proinde ipsum distinctionis fundamentum corruat. Confundit Bœhmerus dotalitium cum Morgengaba, & illius quoque proprietatem ad viduam transire contendit, cum tamen dotalitium solum usumfructum, aut si mavis, utile quidem sed NB. revocabile in casum mortis dominium comprehendat. Land-R. L. 1. art. 33. In specie de Bohemia ita scribit *Paulus Stransky* in Republ. Bohem. c. 9. In Bohemia si qua Regis uxor a mariti obitu popularibus se nuptiis illigaverit, & ex nobilitate domestica cuipiam nupserit, quia id infra ordinis dignitatem est, & legibus Regum priscis prohibetur, dotem, quam ex priore cum Rege matrimonio est consecuta (seu dotalitium) facto ipso amittit statim, cumque marito, qui eam duxerit, & omni ejus ad tertium usque gradum stirpe regno toto excedere jubetur. Sin vir aliquis Princeps matrimonio eam sibi conjunxerit, Regno quidem eam tenetur exportare, *plene* tamen nihilominus utetur fruetur bonis ejus dotalibus (dotalitio) tantisper, dum jus istud uxorium repræsentatis argenti decies mille marcis Rex Bohemus redimat.

§. DCCXCIII.

Exempl. Aliud illustre exemplum dotalitii, secundis nuptiis in dotem allati, præbet Christina Christierni Daniæ Regis filia. Nupserat hæc 1534. Francisco Sfortiæ Duci Mediolanensi, quo post annum e vivis sublato Christina 1541. ad secunda transiit vota cum Francisco Lotharingiæ Duce, pactisque dotalibus conventum: Et en faveur & contemplation du dit mariage

 la

la dite Dame Ducheſſe aura & emportera en dote les rentes & Douaire, qu'elle a & lui compete en la Duché de Milan par vertu de ſon premier mariage avec derecommandée memoire le feu Duc de Milan Franciſco Sfortia - - - - - - - Et pour plus grande ſeureté des dites rentes & douaire conſtituez & aſſignés a la dite Ducheſſe en l'etat du dit Milan, la dite Majeſté Imperiale en fera nouvelle confirmation, promettant de non diſpoſer du dit etat de Milan, ſi non avec la charge des dites rentes & douaire, & moyennant l'expreſſe reſervation d'icelle - - - - - - En outre eſt accordé & traitté, que ſi durant le dit futur mariage la dite rente ſe rachette, le prix & ſort principal, qu'eſt de cent mille ecus, ſe convertira & employera de bonne foy en acquiſition de Seigneuries & terres, & ſortiront iceux 100000. ecus nature d'heritage au profit de ma dite dame la Ducheſſe, & ſes hoirs deſcendans d'elle, & au defaut d'iceux pour ſa dite Majeſté & les ſiens ſelon les dits traittés: & s'accorde du coté de ſa dite Majeſté, qu'en cas, que les dits Seigneurs Duc & Marquis ſurvive la dite dame Ducheſſe decedant ſans lignée, le dit Seigneur Marquis jouira des dits cent mille ecus ou rente, que s'en acquerra ſa vie durant.

§. DCCXCIV.

Qui eos restituere non tenetur.

Dotalitio a vidua ſecundo marito in dotem oblato, hic in eodem tunc uxoris nomine omnia jura, jurisdictionem, Regalia, jus venandi, Patronatus, collectarum &c. exercet, omniaque inde percepta emolumenta tanquam fructum dotis ſua facit *, nec uxori de iis rationes reddere tenetur. *Sunt* quidem, qui exiſtimant, quia tunc dotalitium dotis vicem ſubit, dotis autem ſubſtantia integra ſervanda, & poſt uxoris fata heredibus ejus reſtituenda eſt, quod inquam tunc fructus dotalitii revocabiliter ſaltem ſecundo marito ita acquirantur, ut durante matrimonio iisdem utatur fruatur, eodem vero ſoluto reſtituantur. Propugnat hanc opinionem *Berger* Elect. ad Ord. Proc. Tit. 43. p. 1458. ſed recte refutatur a *Nævio* de jurib. fœminar. in feud. c. 3. §. 16. p. 57. Falſo enim ſupponit Bergerus, illas ſaltem res, quæ ad heredes poſſunt transmitti, in dotem dari poſſe. Nam & nudum jus revocabile, & ad perſonam certam, ejusque vitam reſtrictum, quale eſt illud dotalitii, dotis vicem ſupplere poteſt. Hanc dotem accipit ſecundus maritus in ſtatu, quo penes uxorem ante ſecundas nuptias exiſtebat,

bat, expirantem scilicet cum ipsa uxoris vita, nec ad ejus heredes transmittendam. Hi enim nihil fuissent percepturi, etiamsi ad secunda Vota non transiisset uxor, quippe quæ dotalitii fructus pro alimentis sibi assignatos consumsisset. Secundis autem nuptiis secutis cum maritus secundus uxorem alendi onus in se susceperit, nihil certe æquius, quam ut hic dotalitium etiam uxoris sustentationi assignatum percipiat, heredibusque exclusis retineat.

* Id saltem inter nobiles procedere, inter Principes vero, aliasque personas illustres secundis nuptiis dotalitium plane extingui, ne scilicet novus maritus in alterius territorium admittatur, putat *Coccejus* Jurispubl. prud. c. 28. §. 28. Rarior talis occurrit disceptatio, quia plerumque pactis expressis hæc omnia definiuntur, ita ut in casu des verruckten Wittwenstuhls dotalitium plerumque reluatur, das Witthum wird abgelöset, und die Witwe bekomt überhaupt ein gewisses Geld e. c. si pro dote 10000. thl. illata dotalitium annuorum redituum 1000. vel 2000. thl. constitutum, tunc secutis nuptiis pro cessante dotalitio vidua accipit 20000. thal.

§. DCCXCV.

Vidua circa dotalitium mediam diligentiam præstat.

Circa administrationem dotalitii viduæ ita versari incumbit, ut mediam adhibeat diligentiam, ne substantia ejus diminuatur. Quare & onera consueta * ferre, quæque necessario reficienda sunt, ut reficiantur curare debet. Quodsi vero hac in re se gerat remissiorem, tunc certis casibus, de quibus mox dicetur, dotalitio privari poterit, tum damnum datum reparare, tum denique de melius in posterum administrando idoneam præstare cautionem tenebitur, a qua alias omnino est immunis.

* Quibusdam tamen in provinciis ab oneribus quibusdam vi privilegii vel consuetudinis specialis immunia sunt dotalitia. Sic in Saxonia dotalitia esse libera a metatis von Durchzügen und Einquartirung der Soldaten ex *Tabore* de Metatis p. 95. monet *Beyer.* Jur. Germ. L. 2. c. 18. pos. 23. sq.

§. DCCXCVI.

§. DCCXCVI.

Equidem *Wesenbecius*, ipseque *Carpzovius* aliique viduam indistincte etiam citra culpam admissam, & simulac eodem potitur, cautionem usufructuariam mariti heredibus præstare debere statuunt, hac potissimum moti ratione, quod dotalitium sit ususfructus, usufructuarius autem cavere debeat, & usurum se boni viri arbitratu, & cum ususfructus ad eum pertinere desinet, se rem fore restituturum tot. tit. Dig. usufructuarius quemadmodum caveat. Verum tamen gravi opinio hæc laborat errore, dum præpostere ad juris Romani regulas exigit dotalitium, quod non a Romanis demum ad Germanos transiit, sed moribus apud eos fuit receptum, antequam ullam juris Romani haberent notitiam. Quare & ex moribus domesticis, non vero ex jure peregrino & subsidiario dijudicandum. Nec procedit *Kœppenii* argumentum Decisionum quæst. 33. n. 12. quo ex L. 6. §. 1. C. de secundis nupt. viduam ad cautionem dotalitii intuitu præstandam obligari putat. Exigit enim illa lex a vidua fidejussionem saltem NB. *de mobilibus*, in quibus usumfructum habet, restituendis, quæ sane ad dotalitium quadrare nequit. Aut enim in immobilibus illud constituitur, & tunc lex illa plane eo trahi nequit: aut in mobilibus e. c. pensionibus, censibus annuis, quos cum pleno jure acquirat, nec restituat, cautione plane opus non erit. *A cautione est immunis.*

§. DCCXCVII.

Quæ cum ita sint, alii viduam mariti heredibus ad præstandam dotalitii intuitu cautionem usufructuariam non teneri rectius asserunt: in reddenda tamen hujus rei ratione non æque conveniunt. *Beyerus* Jur. Germ. L. 2. c. 10. pos. 20. hinc eam arcet, quod dotalitium ususfructus non sit, sed dominium utile, quam opinionem cum supra rejecerimus, eidem immunitas dotalitii a cautione usufructuaria superstrui tuto nequit, præsertim cum quoad hunc passum nihil præcipui habeat dominium utile præ usufructu. Utrobique enim cautio ad negotii essentiam non requiritur, sed illud citra eandem potest subsistere. *Non quasi dominium habeat.*

§. DCCXCVIII.

Quare alii rursus se recipiunt ad jus Romanum, & pro liberanda vidua a cautionis usufructuariæ præstatione ita argumentantur. Dos & dotalitium pari *Aut quia dotalitium pari*

cum dote passu ambulat. pari passu ambulant. Atqui dotis servandæ vel restituendæ nomine maritus fidejussorem dare prohibetur tot. tit. Cod. ne fidejussores vel mandatores dotium dentur. Sed ut non repetam, quæ modo de jure Romano ad dotalitia non accommodando dixi, quoad hunc saltem passum procedere non poterit illatio a dote ad dotalitium, cum dispar satis utrinque appareat ratio. Doti cautio accedere ideo prohibetur, ne inter conjuges dissensionibus ansa præbeatur, quæ sane ratio cessat in præstanda dotalitii intuitu cautione, quippe quæ soluto demum matrimonio exigeretur.

§. DCCXCIX.

Aut usufructu est pinguius. *Rauchbarus* denique (quem frustra pro sua sententia citat *Beyer* l. c. Largitur enim Rauchbarus dotalitium saltem in latiori sensu dominium vocari, re vera autem esse usumfructum, quod negat Beyerus) Quæst. Jur. Lib. 1. qu. 30. ideo cessare putat in dotalitio cautionem, quæ in usufructu requiritur, quia pinguius jus est dotalitium usufructu. Sed hic mihi principium petere, & id, quod in controversia est, tanquam exploratum supponere videtur.

§. DCCC.

Sed quia leges cautionem tanquam superfluam non exigunt. Optima itaque, quæ reddi potest ratio, cur cautio a vidua in dotalitio præstari non debeat, hæc erit, quod illud, ceu moribus introductum ex iis solis dijudicandum sit: hi vero inventarium quidem conficere, vel, quod frequentius, a mariti heredibus accipere jubent viduam, ut scilicet constare possit, an deterioratio facta, cautionem vero ab ea requirunt nullam. Quo in responso si acquiescere nolis, & ulterius quæras, cur illam mores non requirant? respondeo, quia regulariter quilibet in naturali relinquendus est libertate, quæ a quovis adeoque & cautionis onere tam diu immunem servat, quamdiu nec legum nec negotii necessitas illud efflagitat. Leges non adesse, quæ viduas cautioni præstandæ reddant obnoxias, certum satis est. Nec enim Romanas huc quadrare, modo ostendimus. Ipsius autem dotalitii indoles tantum abest, ut cautionem necessario a vidua requirat, ut potius difficilem ac plane superfluam eam dictitet. Difficilem inquam, quia fœminæ plerumque omne suum patrimonium in dotem dare solent, quæ cum in casu præstandi dotalitii absorberi soleat, unde quæso vidua præstabit cautionem? Sed etiamsi ex receptitiis aut per fidejussores forte eam præstare possit,

pla-

plane tamen foret superflua, tum quod dos illata jam cautionis vicem subit, tum quod deterioratio in dotalitio forte facta reparari ex emolumentis futuris ad viduam spectantibus possit: hæc etiam certis casibus ob factas in dotalitio deteriorationes eodem privari plane possit, quod clarius patebit, ubi nunc de modis, quibus dotalitium esse desinat, ac amittatur? agendum.

§. DCCCI.

Quibus modis dotalitium amittitur.

Extinguitur dotalitium *primo* totali interitu rei, in qua erat constitutum, quo tamen casu æquitas postulat, ut a mariti successoribus viduæ illustri de alimentis necessariis prospiciatur. *Secundo* extinguitur dotalitium consolidatione seu confusione, quando e. c. vidua a liberis suis hereditario jure fundum accipit, in quo maritus ipsi dotalitium constituerat. *Tertio* existente conditione, ad quam per pactum expresse erat restrictum e. c. si in ipsa dotalitii constitutione additur clausula: donec vidua manserit, bis sie ihren Wittwenstuhl verruckt. Nam alias & regulariter dotalitium per secundas nuptias non amittitur, utut habitatio cum dotalitio relicta per easdem expiret, vid §. 794. Illustrari hæc possunt ex doctrina juris Romani de usufructu a marito uxori legato per secundas nuptias non pereunte. Vid. Tit. Cod. si secundo nupserit mulier, cui maritus usumfructum reliquit & Nov. 22. c. 32. Imo etiamsi expresse restrictum sit dotalitium ad conditionem, donec viduitatis statum mutaverit, tamen illud non amitti per sponsalia nova celebrata, nuptiis reapse non secutis, docet, & præjudicio confirmat *Horn* Jurisprud. feud. c. 21. §. 11. Clandestinum econtra conscientiæ matrimonium, Mariage de Conscience, cum verum omnino matrimonium sit, impedimento erit, quo minus vidua dotalitium sub viduitatis conditione relictum capiat, & si de facto percepit, re postmodum comperta, ad reddenda, quæ durante clandestino hoc matrimonio ex dotalitio percepit emolumenta recte adigitur.

§. DCCCII.

Pro parte.

Aliquando pactis cavetur, ut per secundas viduarum nuptias non quidem in totum, sed saltem pro parte amittatur dotalitium. Pactis dotalibus inter Ferdinandum Maximilianum Badensem & Ludovicam Sabaudam 1653. dotalitium 30000. librarum Turonensium constituebatur addita conditione,

ut si vidua ad secundas nuptias transiret, dimidium dotalitium perciperet, & quidem tamdiu saltem, quam liberi ex priori conjugio fuerint superstites: Et advenant, que la dite dame Serenissime Princesse ayant enfans convolat en secondes noces, le dit douaire sera reduit a la Somme de quinze mille livres Tournois de revenu en qualité ci dessus, pour le tems que les dits enfans survivront seulement, sans y comprendre le dit chateau de Malberg jardins & parcs, qui ne tombent en aucune estimation, come dit est, mais alors retournera aux heritiers & successeurs du dit Serenissime Prince de Baden.

§. DCCCIII.

An adulterio?

Quarto dotalitium amittitur per delictum, si qualitatem dotalitii inficiatur vidua, illudque proprio jure ad se spectare interserit, Land-R. L. 1. art. 33. Spricht ein Weib, daß die Leibzucht ihr eigen sey, und wird sie davon geweist mit Recht, sie hat beyde eigen und Leibgeding daran verlohren: item si homines adscriptitios, so zum Guth gehören, fugat, arboresve frugiferas Obst-Bäume excidit, Land-R. L. 1. art. 21. denique si vivo marito adulterium commisit, neque hoc ab eodem ipsi est remissum. Ob adulterium enim cum ipsa dote, omnibusque matrimonii emolumentis uxor privetur, dubium non est, quin per idem dotalitio quoque se indignam reddat. Nec obstat textus Land-R. L. 1. art. 5. mox adducendus: ille enim de mulieribus solutis unbemannten Weibern accipiendus.

§. DCCCIV.

An vita luxuriosa post mariti obitum.

Magis autem vexata est quæstio, num uxor post mariti obitum luxuriose vivens dotalitium amittat? Decisio petenda erit ex textu Land-R. L. 1. art. 5. Ein Weib (ubi fœminam solutam virginem vel viduam intelligi, interpretes largiuntur) mag mit Unkeuschheit ihres Leibes ihre Weibliche Ehre kräncken, ihr Recht verleurt sie damit nicht, noch ihr Erbe, quibus & Latinus interpres suffragatur. Et omnino juris analogiæ magis convenit, ut viduam luxuriose viventem dotalitium non amittere dicamus, etiamsi intra annum luctus fornicata fuerit, quem casum nonnulli propter Nov. 39. c. 2. volunt exceptum. Datur sane dotalitium intuitu matrimonii præteriti, quod ubi castum illibatumque servavit uxor, commoda ejus in-

tuitu

tuitu debita ipsi negari non debent ob culpam, eodem soluto demum admissam, præsertim cum antiqui Germanorum mores, quibus introductum est dotalitium, ignoraverint annum luctus, uxoremque statim mortuo marito ab ejus jure liberaverint Land-R. L. 3. art. 45. Nach des Mannes Tod ist das Weib ledig von des Mannes Recht. Et quamvis hodie ex jure Romano ad annum luctus vidua adstringatur, probe tamen notandum, quod illud saltem donationem propter nuptias aliaque, quæ NB. titulo lucrativo a marito uxori obveniunt, viduæ intra annum luctus nubenti, aut luxuriose viventi adimat, neutiquam vero ipsam dotem L. 1. C. de secund. nupt. Nov. 39. c. 2. in cujus locum cum surrogetur dotalitium, quoad hunc passum dotis jure gaudere, nec adimi debet. Conf. *Dœringii* Bibliotheca Juris Voc. Adulterium num. 302. p. 756. *Carpzov.* Prax. Crim. part. 2. Qu. 65. n. 69. Interim licet dotalitio vidua luxuriosa non prorsus excidat, posse tamen per judicem eam interdici illius administratione docet *Beyer* Jur. Germ. L. 2. c. 18. pos. 38.

§. DCCCV.

Quinto denique dotalitium expirat morte tum civili * sive banno ** tum naturali ejus, cui erat constitutum ***, unde & Vitalitium dicitur, quia ad vitæ dies concessum Germ. Leibgeding, weil es zum Leibe bedungen wird, und nach dem Tode wieder zurück fället, quæ notio est generalis, & quemvis usumfructum ad vitæ dies concessum denotat, sive conjugi, sive alii concedatur, unde in sensu generaliori vitæ provisio ministris emeritis, Consiliariis, militibus &c. a Principe concessa, nec non contractus ille, quo census vitalitii, seu reditus ad vitæ dies comparantur, alias Pfründkauff vocatus, Germanis Leibgedinge audit. Quando vero das Leibgeding κατ' ἐξοχὴν pro dotalitio accipitur, pariter illud ad vitæ dies restringitur per clarum textum Land-R. L. 1. art. 33. des Weibes Erben mögen nicht zu eigen behalten ihr Leibzucht nach ihren Tod, & Land-R. L. 3. art. 75. ibique glossa marginalis Leibgeding erbet nicht. Pacto tamen caveri posse, ut dotalitium ad viduæ heredes transeat, existimat *Bœhmer* de secundis personarum illustrium nuptiis p. 151. 158. Sed tunc dotalitii naturam exuit, & propius ad Morgengabam accedit, cujus jura esse diversa ab illis dotalitii, ex superioribus constat.

Morte.

 * Non

* Non autem ingressu in Monasterium, hoc enim tunc dotalitio utitur fruitur *Myler* Gamolog. c. 14. §. 2.

** An & per secundas viduæ nuptias? vid. §. 792.

*** An & civili mariti morte aut proscriptione? Neg. Sed tunc uxor dotalitium accipit, non secus, ac si vidua facta, maritusque mortuus esset. Vid. Rec. Imp. Erfurt. 1567. §. Wie wohl nun hierauf ubi exemplum Saxo-Gothanum habetur.

§. DCCCVI.

Quomodo fructus ultimi anni dividendi.

Super fructibus vero illius anni, quo moritur vidua, controversia sæpe inter ipsius & mariti heredes oritur, in qua decidenda si naturalem spectare velis æquitatem, ipsamque dotalitii indolem, quod loco alimentorum datur, adeoque pariter ac ipsa alimenta quotidie debetur, tunc dividendi forent fructus pro rata temporis, quo annum illum supervixit vidua, id quod quantum ad fructus civiles e. c. census, decimas, tributa, mercedes &c. difficultate caret, & quoad naturales, sponte sine cultura provenientes facilius conceditur, quam quoad industriales, quippe semen, culturam & impensas requirunt. Sed neque in iis aliud obtinebit. Cum enim fructus ex semine nascantur, a solo vero alantur, quædam quasi inter seminis & soli dominum communio intercedit, Vid. *Grotius* L. 2. c. 8. §. 22. adeoque & in casu proposito fructus provenientes inter viduæ, tanquam seminis, & mariti heredes, tanquam soli dominos erunt dividendi, ita tamen ut impensæ quoque utrinque dividantur, ne mariti heredes cum viduæ damno locupletentur. Atque sic in ipsis rerum argumentis judicavit *Wesenbecius*, notatus propterea a *Kœppenio* mox nobis citando. Conf. dicta §. 346.

§. DCCCVII.

Ex analogia juris Rom.

Ubi vero ex juris Romani principiis, ducto ab usufructu Romano ad dotalitium argumento calculum ponis, viduæ heredes fructus dotalitii civiles tum demum capient, si dies eorum ante viduæ mortem venerit *, naturales autem & industriales, si a solo fuerint separati, pendentes vero, utut maturi, mariti heredibus, tanquam pars fundi, cujus sunt domini, ita cedent, ut solas in eos factas impensas viduæ heredibus restituant §. 37. Inst. de rer. divis.

divis. junct. L. 36. §. ult. Dig. de heredit. petit. & L. 7. princ. Dig. solut. matrim. Atque hanc sententiam quoad dotalitia extra Saxoniam amplectitur *Kœppen* Decis. quæst. illustr. qu. 30. num. 15. *Henelius* de dotalitio & ipse *Mylerus* in Gamolog. c. 13. §. 10. & c. 14. §. 13. 15. ubi fructus pendentes mariti, non viduæ doariæ heredibus adjudicat, licet ita maturi sint, daß man in wenig Tagen die Sichel anlegen, oder den Kübel zum Weinlesen untersetzen will, & cavendum ait, ne vidua in extremis constituta in fraudem proprietarii fructus immaturos colligere jubeat.

* Nam quod in naturalibus facit separatio a fundo, illud in civilibus, si venit dies obligationis. Add. L. 19. de Usuris. Jus Saxonicum Electorale heredi fructus civiles tribuit, si eorum dies intra tricesimum post obitum venerit.

§. DCCCVIII.

Verum enim vero frustra ad naturalem æquitatem, frustra ad Jus subsidiarium sive Romanum provocatur in re moribus solis introducta, qualis apud Germanos est dotalitium, quamdiu ipsi hi mores justum decisionis fundamentum præbent. Hos vero apud Germanos in fructibus industrialibus inter proprietarium & possessoris vel usufructuarii heredes dividendis nec temporibus ratam, nec separationem a solo, sed operas * & culturam respicere, & fructus, si cultura maximam partem peracta, usufructuarii heredibus, si minus, proprietario tribuere, discimus ex Land-R. L. 2. art. 58. ibi: Wenn die Egge über die Saat gangen, und der Garten gesäet, und geackert ist. In vineis autem diem Urbani, circa quem maxima vineæ cultura peracta esse intelligitur, attendi jubent, & quoad fructus civiles itidem terminos diesque certos assignant, quos notavimus §. 349. *Jure Germ.*

* Idem & facit jus feudale Longobardicum 2. feud. 28. §. His consequenter &c. dum feudi fructus Vasalli heredibus successionis incapacibus tribuit, si intra Kal. Mart. & finem Augusti decessit Vasallus, domino autem, si ante vel post illum terminum moritur Vasallus.

§. DCCCIX.

Confirmat idem, prætereaque in specie circa dotalitii fructus eo, quo vidua decessit, anno percipiendos disponit, ut si ager aratus sit, nec tamen *Ad culturam per-*

semi-

actam respicitur. seminatus, viduæ heres eum plene laboret, & fructus percipiat, censum vero seu mercedem locationis pro agro solvat ei, ad quem fundus dotalitius devolvitur Land-R. L. 3. art. 76. Nimt ein Mann ein Weib, die eigen oder Lehn, oder Leibzucht oder Zinß Güther hat, was er also in dem Guth mit seinem Pflug erarbeitet, stirbt das Weib ehe der so gethanen Zeit, er soll es voll arbeiten und säen und abschneiden, und Zinß oder Pfleg soll er davon geben, dem auf den das Erb erstirbt. Stirbt aber die Frau nach der Saat, als die Egge das übergangen hat, die Saat ist ihres Mannes, und er ist niemand ichts pflichtig davon zu thun Pfleg noch Zinß, da sie kein Zinßgeld pflichtig von war. Was auch Zinß oder Pfleg werden solt, stirbt sie nach den rechten Zinß-Tag, das Guth ist des Mannes verdientes Guth, als es des Erben seyn solt, ob sie ohne Mann wäre.

§. DCCCX.

Passim & ad fructuum maturitatem. Atque hos circa dotalitii fructus Germaniæ mores ubique uniformes, & ubi dotalitium introductum & receptum, ibi etiam terminos fructuum capessendorum modo memoratos esse receptos, tamdiu erit præsumendum, donec eosdem per legem vel consuetudinem specialem mutatos esse doceatur. Sic quibusdam in provinciis e. c. in ditione Brandeburgica, ubi de fructibus percipiendis quæritur, vi specialis consuetudinis non tam ad culturam operasque peractas, quam fructuum maturitatem respicitur. Imo in Marchia sola triplicem observari terminum, ita ut in Nova Marchia & tractu Stolpen dies Laurentii: in media Marchia & Prignitia dies Margarethæ, in veteri Marchia dies Jacobi spectetur, ex *Diestelmeiero* docet *Ludewig*. de fructuum attributione p. 37.

INDEX RERUM.

Numerus appositus denotat etiam, ut in anterioribus, paginam hujus Tomi.

* * *

Acanthi urbis occupatio simultanea duplex trutinatur. 103.
Acceptatio an in dote constituenda requiratur? 405.
Accessio naturalis originariis modis acquirendi dominii accensenda. 75. cernitur in fructibus naturalibus, 76. specialiter metallicis, ibid. & in salinis. 80.
- - *industrialis* derivativis annumeranda. 86. est præsumta cessio. 87. ejus species. ibid. & sq.
Actio de communi dividundo absque dominio non applicanda. 136. sq. hinc nec in der Koppeljagd locum habet, ibid. nec in familiæ sepulchris. 137.
- - *confessoria & negatoria* circa servitutes competit. 203.
- - *finium regundorum* servitutibus est applicanda. 204.
Adjunctio est species accessionis industrialis. 88. fit textura, ferruminatione, applumbatione, ibid. confusione, 89. commixtione. ibid.
Adulterium uxoris non tollit repetitionem dotis jure naturali. 422. id quod exemplis illustribus comprobatur. 423. casu tamen adulterii dos liberis est conservanda. 424. & jure civili marito adjudicanda, ibid. cujus tamen exempla etiam contraria extant. 425.
Advocatiæ armatæ jus ad fœderum genus potius quam servitutum est referendum. 192.

Aegyptia regibus tanquam patrimonium privatum à Josepho est acquisita. 37.

Aër an in dominio esse possit. 49. eo refertur mos regum Hungariæ ense aërem verberantium. 50.

Albergariæ jus ad personalium obligationum classem est revocandum. 192.

Algarbia in dotem data. 383.

Aliena res an oppignorari possit? 236.

Allodium quid sit? 138. ejus etymon. 141. respondet dominio pleno. ib. nunc significat dominium plane liberum, ibid. nunc res immobiles proprias, 142. nunc terras hereditate acceptas, 143. hodie rem privatam sub fidelitatis lege non recognitam. ibid. quæ definitio ulterius explicatur, ibid. & sq. & confirmatur, 144. & illustratur exemplo comitissæ Mœursensis. 145. bona publica regni allodium perperam vocantur, 145. nec ejus notio ad regna & imperia applicatur. ibid. allodialis præsumitur potius res quam feudalis 148. an ditiones principum imperii sint allodiales. 149. sqq. conf. *Princeps.* num feudi an allodii conditio melior. 162. sq. allodium mutari potest in feudum & vice versa. 163. an allodia principum oppignorari possint? 230.

Alluvio quid sit? 80. jure Romano proximo fundo cedit. 81. jure naturæ solis terris arcifiniis. 81. utut inter subditos & fiscum res agatur. 82. sequitur indolem rei cui accedit. 94.

Alsatiæ terras ad Landgraviatum non pertinentes transire sibi stipulavit rex Gallorum, quod servitutem publicam constituit. 175.

Altenburgense dotalitii constituendi exemplum. 501. idem comitatus aliquoties in dotem datus. 386.

Altenkirchensis possessionis occupatio describitur. 276. sqq.

Alvei eadem est ratio quæ fluminis. 85.

Ambassadores, vid. *Legati.*

Amissa naufragio quo jure occupentur? 106. derelicta non sunt censenda. 107. capi tamen possunt à littoris domino. 108. justitia in iis capiendis illustratur argumentis, ibid. exemplis Romanis & Danicis, ibid. Gallicis, 109. navis tamen eo non est referenda. 110.

Angli servitia feudalia ad servitutes referre perhibentur. 168. cætera vide sub voc. *Britanni.*

Anhaltina domus privilegio de præscriptione nulla nocenda est præditus 340. ejusdem quantitas dotis consveta 393. quantitas dotalitii pacto familiæ restricta. 504.

Annuæ præstationes an præscriptioni obnoxiæ? 327. an saltem pro præterito? ibid. an pro futuro? 328. an sine facto negativo? ibid.

Annua legata an præscriptioni obnoxia. 329.

Annulus signum episcopale traditionis. 117.

Antichresis an tacite constitui possit. 239.

Apanagiati, ad eorum palatia extenditur securitas publica. 13. eorum filias dotare an primogenitis incumbat. 367. an consvetudo maritagii collectandi ad eorum filias extendenda. 379. an ipso apanagiato subditos collectare liceat. 380.

Apertura jus ad servitutes publicas referendum. 177. cujus exemplum Brunsvicense adducitur in investitura des Budiadinger Landes. 178. porro exemplum Lichtensteinense in Kropfsberg. ibie. item Rheingravensteinense. ibid. & sq. Palatinum in Eberburg, Landstuhl & Hohenburg. 179. interdum aperturæ jus limitatur. ibid. indeque ex observantia & pactis determinanda. 180.

Apparatus nuptialis vid. *sumtus nuptialis.*

Appellatio an procedat in terra oppignorata, si creditori privilegium de non appellando competat? 260.

Arausionense constituti dotalitii exemplum. 494.

Arragonia Hispaniæ est incorporata. 96. in dotem data. 383.

Arrestum est species tacitæ hypothecæ. 247.

Arrha sponsalitia quid sit? 432. ejus origo 433. apud Francos, ibid. ususque hodiernus ibid. in quo consistere soleat. 434. ejus indoles. ibid. retinetur alterutro conjugum mortuo. 435. an etiam consummato matrimonio? ibid.

Asyli jus legatorum servitutibus haud accensendum. 187.

Atzungs-Gerechtigkeit. vid. *Albergariæ jus.*

Aucupium, ad hoc etiam applicanda, quæ tradita sunt de venatione. 73.

Auri fluviatilis legendi jus pertinet ad servitutes publicas. 174.

Aussteur. vid. *Sumtus nuptialis.*

Austregæ, an forum earum in caussis oppignorationum fundatum. 269.

Austria superior ab Imperatore in securitatem cessa Bavaro. 222.

Austriaco-Würtembergicum pactum de ducatu Würtenberg & Teckh commemoratur. 98. sq.

Auszug, reservatum. vid. Vorbehalt.

Baculus est signum episcopale traditionis 117.

Badensium quantitas dotis consveta. 393. item Morgengabæ. 454. exemplum constituti dotalitii. 501.
Bavaricarum quantitas dotis consveta. 390. item jocalium, 428. & Morgengabæ. 453. exempla constituti dotalitii. 500. 502. 515. 516.
Bellica tormenta aliæque res bellicæ an allodiis vel feudis annumerandæ. 147.
Beneficia naturæ non temere prohibenda. 74.
Bergstrasse Electori Palatino oppignoravit Moguntinus. 222. 253.
Bibliotheca an mobilibus accensendæ. 22.
Biberfang pertinet ad piscationem. 73.
Bona domanialia. vid. *Domania*. fiscalia ad quodnam genus bonorum referenda. 146. publica regni allodium perperam vocantur. 145. publica & allodialia simul esse possunt diverso respectu. 148. publica quatenus sunt oppignoranda? 224. item Imperii quatenus? 226.
Bona fides Germanis in præscriptione olim non fuit necessaria. 331.
Bohemicum constituti dotalitii exemplum. 494.
Borussia nec feudi nec allodii sed supremi dominii jure teneri dicenda. 145.
Brandenburgicarum quantitas dotis consveta. 391. diversa dotandi ratio. 403. item dandæ Morgengabæ, 403. & dotalitii constituendi. 499. sq. 503. Marchionibus competit jus postarum per principatum Anhaltinum. 176. Marchiones terras in dotem dare prohibentur. 386. sq.
Breda reginæ Angliæ à Belgis pignoris loco tradita. 226.
Britanniæ ducatum in dotem accepit Galliæ rex. 384.
Britannicorum regum quantitas dotis consveta. 388. 395. exempla constituti dotalitii. 493. eorum filiabus ordinum consensu ex tributis dos constitui solet. 377.
Brunsvicensis civitas cum castro Luneburg coadunata. 99. dux sibi reservavit jus aperturæ in dem Budingadinger Lande. 178.
Brunsvicensium ducum quantitas dotis consveta. 392.
Buccinatores in imperio non subsunt Electori Saxonico jure servitutis. 189.
Burgfried consistit in securitate publica 12. gaudent ea Residentiæ principum. ibid. interdum speciali lege munita. ibid. ad alia ædificia publica extenditur. 13.
Burgundia in dotem data. 383.

Calceamentum Hebræis fuit signum cessionis. 122.
Cammergüter quænam sint? 32.

Carruci, eorum uſus in Gallia & Germania haud antiquus. 23.

Caſtilia Hiſpaniæ eſt incorporata. 96.

Cautionem uſufructuariam vidua pro dotalitio non præſtat. 521. non, quaſi dominium habeat, ibid. aut quaſi dotalitium cum dote pari paſſu ambulet, 522. aut uſufructu ſit pinguius. ibid. ſed quia leges ejusmodi cautionem non exigunt. 522.

Ceſſio eſt ſpecies modi acquirendi dominium derivativi. 86. præſumta eſt acceſſio induſtrialis. 87.

Chirothecæ in ſignum epiſcopale traditionis quondam adhibitæ. 118. it. in ſignum conſenſus. 122.

Civitates municipales nec domania habent nec fiſcum. 34.

Clerici venari prohibentur. 68. cur? 69. etiam in Germania. ibid. excipiuntur inveſtiti de venationibus. 70.

Clinodia immobilibus accenſenda. 17. quas pretioſorum ſpecies complectantur. 18.

Clivenſis dux vaſallam comitiſſam Mœurſenſem gladio invadens dominio directo privandus eſt judicatus. 145.

Coburgenſis ditio dotis loco allata à Catharina Hennebergica. 386.

Collectæ maritagii an ſubditis imponi poſſint. vid. *Maritagii collectæ*, an in iis idem onus vaſallis quod ſubditis incumbat? 380. earum jus alio reſpectu ad ſervitutes, alio ad Majeſtatica jura eſt referendum. 191. in illis plurimorum conſenſus etiam cæteros obligat. 374.

Comitia, an eorum jus ante inveſtituram competat? 120.

Communes res non dantur. 31.

Communia bona an oppignorari poſſunt? 235.

Communi dividundo actio non applicanda in der Koppeljagd. 136. nec in familiæ ſepulchris. 137. attamen hoc mere eſt juris civilis. ibid.

Communio quid ſit? 135.

Compaſcui jus ad ſervitutes non pertinet. 196.

Compoſſeſſio an detur? 285. modus eam conſtituendi. 286. ejus exemplum. 287.

Condominium oritur ex communione. 135. exempla illius. ibid. & ſq. exinde deſcendit actio de communi dividundo. 136. in aliis rebus abſque dominii particula haud inſtituenda. ibid.

Conducendi jus per territorium alienum ſervitutibus adnumerandum. 177. cujus exempla adducuntur Moguntinum, Saxonicum, Wurtembergicum, Haſſiacum, Badenſe. ibid.

Confiſcatio bonorum tacitæ ceſſionis

species quibusdam habetur. 128. irrogatur solum ob læsæ Majestatis crimen. 129.
Confusione tollitur pignus. 272.
Consensus plurimorum quomodo ceteros obliget. 374. sqq.
Consolidatione extinguitur ususfructus. 215. eo non pertinet possessio simultanea, nec si ususfructus accrescit. ibid.
Constitutum possessorium ad traditionem brevis manus refertur. 114. ejus indoles. 115.
Coronæ & insignibus ceteris reverentia præcipua habenda. 19.
Coronatio est signum traditionis. 116. 122.
Crux regni capessendi signum quondam fuit. 117.
Culpa an in dote remittenda? 411.
Cypri regnum in dotem datum. 384.

Danicorum regum quantitas dotis consveta. 388. exempla constituti dotalitii. 493.
Danus mare balticum sibi vindicat. 51. in eoque jus bona naufragio amissa occupandi. 108.
Debita publica & feudalia pro meliorationibus habentur. 96. an præscriptioni sint obnoxia? 326. sq.
Decimæ an præscriptioni obnoxiæ? 329. an rebus divini juris annumerandæ? ibid. seculo VI. sunt imperatæ. ibid. ad laicos perveniunt præscriptione. 330.
Delinquentium remissio necessaria ad servitutem minime est referenda. 193.
Derelictio fit res inanimatas deserendo. 102. animatas ex custodia dimittendo. 103. sine signis aut crepundiis. 104. thesaurus, de cujus domino constat, non derelictus censetur. ibid. nec res naufragio amissa. 107.
Divinæ res. 30. an iis Decimæ accensendæ? 329.
Divisio rei communis non est modus acquirendi. 56.
Domania. 32. non omnibus provinciis cognita. 33. ad quodnam genus bonorum referenda. 146. quatenus à principibus Imperii sunt oppignoranda. 229. etiam ultra vitam debitoris oppignorantis? 231.
Dominium quid? 43. ejus origo. ibid. in concessione divina rebus utendi quærenda. 44. non in illicita cupidine. ibid. nec in lege mere civili. 45. nec in communione, ibid. vel positiva. 46. vel negativa. ibid. nec in divisionis pacto. ibid. ejus prima facies 47. & effectus. ibid. vestigia ejusdem apud Germanos. 48. illius objectum. 49. modi ejusdem acquirendi sunt vel originarii vel derivativi. 55. effectus illius 130.

ſolum ponitur in vindicatione à Beyero. 131. qui refellitur. ibid. in vindicatione & uſu à Titio. 132. & inſuper à nonnullis in abutendi facultate 133. quibus & diſponendi facultas annumeranda. ibid. dominii amittendi modi. 164. illud metiuntur principes ex poſſeſſione. 291. id quod teſtimonio Salmaſii illuſtratur. 292. dominium dotis pertinet ad uxorem. 409.

- - *Plenum ac Minus Plenum* quid ſit? 138. in ſenſu etymologico. 139. in ſenſu communi. 140. & infrequentiore. ibid. Plenum reſpondet allodio. 141.

- - *Supremum* quid importet. 145. ſq.

Donatio non magis ad modos transferendi dominium, quam pactum referenda. 111.

- - *propter nuptias* quo differat à dote. 407. 478. à Morgengaba. 467. à largitate ſponſalitia. 478. à dotalitio. ibid. quid ſit? 468. an Germanis olim cognita. 469. ejus indoles. ibid. in quo conſiſtere poſſit. 470. ejus quantitas. 471. forma. 472. ſolennitates. ibid. effectus ante nuptias. 473. & durante matrimonio. ibid. amittitur matrimonio per culpam uxoris ſoluto. 475. per ejusdem mortem. ibid. an etiam annulato matrimonio. 476. quomodo poſt mortem mariti. ibid. exemplum ſingulare Hiſpanicum. 477.

Dos uxore conſentiente oppignorari poteſt. 235. formalia eam in pactis dotalibus conſtituendi. 345. quid ſit? 362. capitur à marito. 363. vel ejus nomine 364. datur ab uxore vel patre ejus vel extraneo quodam. 365. ejusdem quantitatis exempla illuſtria. ibid. an regna in dotem dari poſſint? 382. affirmativa exemplis corroboratur. 383. ſqq. plerumque terras in dotem dare prohibitum eſt. 385. an etiam in Germania? 386. affirmativa exemplis tuetur. ibid. niſi qualitas feudalis vel pactum familiæ obſtet. ibid. pecunia in dotem frequentiſſime datur. 387. conf. *Quantitas* aliarum rerum in dotem datarum exempla. 394. ſq. etiam jurium. 395. an dos legitimæ aequare debeat? 399. id quod negatur limitando. 400. etſi hereditati ſimul renuncietur. 401. quod exemplum Gallo-Hiſpanicum illuſtrat. ibid. conſtituitur dos unice per pactum. 402. ne quidem tacitum. ibid. & ſq. an traditio in dote neceſſaria? 403. negatur 404. ſolvitur plerumque poſt interdum etiam ante nuptias. 404. an acceptatio neceſſario. 405. quo differt dos à paraphernalibus. 406. a donatione propter nuptias. 407. 478. à Morgengaba 466.

con-

constituitur etiam post nuptias. ibid. quo jure quibusve solennitatibus constituatur. ibid. usufructus dotis ad maritum spectat. 408. & dominium ad uxorem. 409. nisi res mobilis in dotem data. 410. periculum dotis spectat ad dominum ejus. ibid. & sq. quod exemplo illustratur. 411. an lata & levis culpa in dote possit remitti. ibid. & sq. amittitur dos conditione adjecta existente, 413. soluto matrimonio, 414. non autem durante eo. ibid. repetitur reapse illata. ibid. conf. *Repetitio dotis.* adulteræ dos liberis servanda. 424. repudiatæ dos ab extraneo data ad quem pertineat? 426. lucratur ab uxore matrimonio per culpam mariti soluto. 487. eam potest vidua eligere præ dotalitio. 505. non autem simul donationem propter nuptias capere. ibid.

Dotalia pacta respiciunt matrimonium futurum, ejus bona conferenda. 341. constituuntur vel ab ipsis desponsatis 342. vel à parentibus eorum nomine. ibid. & sq. liberorum educationem sacrorumque exercitium solent disponere. 343. constituunt dotem apparatusque nuptiales. 345. item alimenta uxoris & Morgengabam, 346. Hand- und Spielgeld, 348. dotalitium, 349. habitationem vidualem, 354. successionem, 357. & sqq. debitorum à desponsatis utrinque contractorum solutionem. 360.

Dotalitium variis modis & restrictionibus constituitur in pactis dotalibus. 349. sqq. ejusque reluitio determinatur. 356. an debeatur solutione dotis à marito remissa. 415. quo differt à donatione propter nuptias. 478. quid sit? 480. olim dotis nomine appellatum. 481. inter nobiles saltem constituitur, 482. marito pariter ac uxori, ibid. etiam à tertio, 483. & ex feudo, 484. matrimonii intuitu, ibid. etiam indotatæ. 485. quod exemplis corroboratur. 486. debetur soluto demum matrimonio. 487. amittitur matrimonio per culpam uxoris soluto. ibid. constituitur etiam in immobilibus. 488. item in feudis ibid. non tamen ecclesiasticis. 489. plerumque in annuis reditibus. 490. aliquando dotem non absorbet. 491. quantitatis illius exempla. ibid. & sqq. in eo constituendo nunc ad facultates mariti respicitur, nunc ad dotem illatam. 496. absorbet dotem. 497. nisi pactis aliud statutum, 497. vel lege, 498. vel consuetudine ibid. aliquando quadruplas immo octuplas dotis usuras continet. 498. regulariter duplicatas. 499. exempla quadruplarum.

pactum. ibid. & sq. duplicarum. 500. aliquando pactis familiæ est restrictum. 504. aliquando augetur. ibid. dotem præ dotalitio vidua potest eligere. 505. non autem simul propter nuptias donationem capere. ibid. in feudo autem successori optio est relinquenda. 506. constituitur lege vel pacto. 507. ejus requisita. 508. an imperatoris vel successorum consensus necessarius. ibid. & sq. an hypotheca gaudeat. 511. dominium non tribuit proprie dictum. 512. sed usumfructum. 513. & possessionem. 514. sine pignoris onere. ibid. potest consumi etiam extra territorium. 515. fructus ejus in dotem secundo marito afferre potest. 517. sq. quod exemplis illustratur 518. quis eos restituere non tenetur? 519. circa illud media diligentia est præstanda. 520. an vidua ejus intuitu cautionem præstet. vid. *Cautio* quibus modis amittitur. 523. quomodo fructus ultimi anni sint dividendi? 256.

Dotare filiam an pater teneatur? 366. negatur jure naturali. 366. affirmatur jure romano 367. pactis vero ubique fere determinatur. ibid. quid jure Germanico obtineat? 368. an semel dotata iterum dotanda. ibid. an subditis incumbat dotare principum filias. 369.

Ecclesiastica res. 30.

Eigen quid denotet. 142.

Eingeschneidel. 490.

Emolumenta usufructuarii quorsum spectent. vid. *Usufructuarius.*

Emphyteuta valide oppignorare potest. 233.

Entrée du Louvre in servitutum numero non habetur. 186. conf. *Intrandi jus.*

Equorum numerus circa reges, principes, comites & nobiles vehendos usu debetur. 23.

Equipage, ejus species quædam recensentur. 23.

Excommunicatus ad mensam principis accersitus pro restituto in integrum habendus. 22.

Extruendi facultatem in suo territorio prohibendi jus ad servitutem non pertinet. 193.

Fabri ærarii non subsunt Electori Palatino jure servitutis. 189.

Fascia olim in signum traditionis adhibita. 118.

Feræ, earum character quo consistat? 61. nimium se multiplicantes occidendæ. 72.

Feuda aperta cuinam principis patrimonio accedant? 94. Imperii an dentur? 151. an oblata? ibid. feu-

feuda imperii non adeo ſtricta oppignorari prohibita. 230.

Feudalis, an principum imperii ditiones ſint potius feudales, quam allodiales? 149. conf. *Princeps.* feudalia ſervitia Anglis ad ſervitutes referri perhibetur. 168.

Feudum quid ſit? 138. num feudi an allodii conditio melior? 162. ſq. feudum mutari poteſt in allodium, & allodium in feudum. 163. pretium ex feudo alienato eſt allodiale 163. quatenus feudum oppignorandum? 230. etiam ultra vitam debitoris oppignorantis. 231. quatenus valet oppignoratio feudi conſenſu domini directi & agnatorum facta. 232. feudum pignoratitium quid? ibid. & ſq. quomodo differt ab oppignorato. 233. an ex feudo Morgengaba debetur? 455. an dotalitium? 484.

Fideicommiſſa oppignorari non poſſunt 233. ſq.

Fiducia Romanorum ad quamnam pignoris ſpeciem ſit referenda. 239. 253.

Fiſcus quinam? 33. fiſci privilegium, quo princeps gaudet, quorſum ſpectet. 139.

Florentinorum quantitas dotis conſueta. 389.

Floßrecht refertur ad ſervitutes publicas. 174.

Fortalitii habendi in alieno jus ſervitutibus non accenſendum. 184. id quod exemplo arcis Wartburgenſis illuſtratur. 185.

Fräuleinſteur, vid. *Maritagii collectæ.*

Francofurtenſibus privilegium de non oppignorando ab Imperatoribus conceſſum. 226.

Franco-Galli dominia olim ignoraverunt. 48.

Fructus naturales acquiruntur acceſſione naturali. 76. ex re aliena perceptione bona fide facta. 91. ex feudis imperii percepti ſunt allodiales. 158. poſt mortem uſufructuarii inter hujus heredes & proprietarium pro rata temporis dividuntur. 216. quod illuſtratur reſponſo Brandenburgenſi. 217. tantum ſeparati heredibus uſufructuarii jure Romano cedunt. ibid. in iis diſtribuendis jus feudale Longobardicum culturam peractam reſpicit. ibid. eandemque Jus Germanicum. 218. id quod tamen in uſufructuario principe applicari non licet. ibid. & ſq. fructus ultimi anni quomodo ſunt dividendi in repetitione dotis. 416. conf. 216.

Furtum in palatio principis commiſſum gravius punitur. 13. ſq.

Galli inſignia regia in ſingulari habent reverentia. 19. conſilium inierunt

runt terras ſubditorum regi ſubjiciendi. 37. vindicarunt ſibi olim jus in res naufraugio amiſſas hodie autem eſt reſtrictum. 109. decimam prædæ maritimæ relinquunt præfectui maris. 128. tranſeunt terras Alſatiæ ad Landgraviatum non pertinentes vi ſervitutis publicæ ſibi pacto conſtitutæ. 175. negant præſcriptionem inter principes. 310. quod irritum redditur per prætenſionem familiæ Bouilloneæ in regnum. 311. dare ſolent collectas maritagii filiabus regiis hodie olim non. 373. reges portionem regni ſæpius in dotem dederunt. 385. eorum quantitas dotis conſueta, 387. Arrhæ, 434. exempla conſtituti dotalitii. 492. 516. conqueruntur erga Hiſpanos in dote conſtituta ſe enormiter læſos. 401.

Gegenvermächtniß. 470. vid. *Donatio propter nuptias.*

Geleit ad ſervitutes publicas referendum 177. exemplis illuſtratur Moguntino, Saxonico, Würtembergico, Haſſiaco, Badenſi. ibid.

Genuenſes mare Liguſticum ſibi vindicant. 51.

Germani ſecuritatem publicam dextræ amputatione ſancierunt. 12. olim dominia ignorarunt. 48. clericis venare prohibent. 69. niſi deſuper ſint inveſtiti. 70. principes olim metallifodinas ex conceſſione imperatoris tenent. 78. hodie vi ſuperioritatis territorialis. 79. idem dicendum de ſalinis. 80. proprietatem fluminis domino territoriali adjudicant. 84. ſq. conſuetudinem conferendi filiabus principis elocandis ſubſidia fere univerſalem tenent. 378.

Glans legenda rectius ad territorii & foreſti quam venationis jura refertur. 72.

Gotha, in hoc ducatu princeps regens ceteros dotare tenetur. 379. quantitas dotis & jocalium. 428.

Granatenſis regni pors tanquam privatum principis patrimonium vindicata. 35.

Grundavia cum pacto retrovenditionis vendita. 258.

Grutiæ jus ſervitutibus publicis annumeratur. 174.

Habitatio eſt ſervitus perſonalis. 207.

Handgeld, ejus formulæ conſtituendi in pactis dotalibus diverſæ. 348. in quo conſiſtat. 439. exemplis illuſtratur. 440. quid ſub eo comprehendatur. ibid. quo differt à Morgengaba. 461.

Haſſia ex variis terris coadunata fertur. 100.

Haſſorum quantitas dotis conſueta. 393.

Haſta ſignum traditionis. 117.

Hebræis res bello captæ cedunt universo populo distribuendæ. 127. sq.

Heeresfolge obligationibus personalibus potius quam servitutibus adnumeratur. 191.

Heilbronna Electori Palatino in pignus tradita. 221.

Helmstadiensis vogteiæ oppignoratæ & revocatæ memorabile exemplum. 231.

Hispanicorum regum quantitas dotis consueta. 387. ratio constituti dotalitii. 491. 517.

Hispanis res bello captæ pro parte dimidia regi, pro septima vel decima duci, reliqua militibus cedit. 128.

Hohenloicensium quantitas dotis consueta. 394. dotalitii. 516.

Hohenzolleriani principes feras accrescentes occidere jubentur. 72. sq.

Hollandis prædæ maritimæ quinta pars cedit Reipublicæ & decima præfectui maris. 128.

Holsatia Dithmarsiæ districtui incorporata. 100.

Holsatorum principum quantitas dotis consueta. 393.

Homagii jus ad obligationes personales potius quam servitutes est referendum. 191.

Hominum propriorum jus in alterius territorio competens pro obligatione personali potius quam servitute habendum. 191.

Hostia consecrata pignori aliquoties data. 223.

Hungari reges stricto gladio aërem verberantes hujus dominium sibi vindicare videntur. 50.

Hungaricum constituti dotalitii exemplum. 494.

Hypotheca idem est quod pignus. 220 conf. Pignus. quomodo differat ab hoc? 237. 241. medium inter pignus & hypothecam genus constituit pactum de pignoranda re debitoris. 241. cujus exemplum illustre recensetur. 242. usus hypothecæ inter principes. ibid. valde exiguus. 243.

- - *conventionalis* quid sit? 247.

- - *judicialis*, ejus requisita. 247. sqq. an ipsius domini jurisdictionis auctoritas sufficiat ad hypothecam sibi ipsi constituendam? 248. sq.

- - *tacita* juri naturali incognita. 244. inter principes tamen imperii recepta 245. quibus competat? ibid. & sqq. quatenus & ex quo tempore dotis ratione competat? 417. sqq. etiam in casu non secuti vel annullati matrimonii? 426.

- - *spuria* quænam sit? 246

Jagd, non æquipollet latinæ voci venationis. 60. dividitur in hohe, mitlere und niedere Jagd. 67.

Jena cum Neustadio in dotem data. 386.

Jocalia uxoris. 428. eorundem quantitas consueta. 436.

Immobiles principum res præcipuæ sunt residentiæ. 10.

Imperatorum quantitas dotis consueta. 390. Jocalium. 428. exempla constituti dotaliti. 496.

Imperii terræ an potius feudales quam allodiales sint habendæ. 149. sqq. conf. *Princeps*. secularisatæ manent tales quales antea fuerunt. 156. nec mutantur quoad qualitatem per oppignorationem. 158. fructus tamen sunt allodiales. ibid. item milites, qui ibi commercii causa aluntur. 159. & mobilia pretiosa. ibid. ut & pecora ac instrumenta rustica. 160. superioritas talis est qualis terra cui inhæret. ibid. Imperii rerum ab Imperatoribus oppignoratarum exempla varia. 226.

Impigneratio vocatur modus oppignorandi veterum Germanorum Martinio. 254. conf. Pfandschafften.

Inædificatio. 89. sq. Saxonibus solo cedit simpliciter. 95.

Incorporales res recensentur. 25. sqq.

Incorporatio quid sit. 96. non præsumitur ex simultanea possessione, 96. vel administratione. 97. omnino tamen si princeps feudum vacans non iterum concedit. ibid. item si heredes bona principis non repetunt. ibid. effectus cernitur in successione. 97. non mutat pristinam rei incorporatæ qualitatem. 98. id quod exemplis illustratur. ibid. & sq. an consensus Imperatoris ad eam necessarius. 100. an titulos ditionum incorporatarum aboleat. ibid. terræ incorporatæ in dubio potius allodiales quam feudales sunt censendæ. 155.

Indotatæ etiam dotalitium constitui potest. 485. quod exemplis corroboratur. 486.

Infamis ad mensam principis accersitus in integrum restitutus censetur. 22.

Injuriæ an rebus annumerandæ? 26

Inplantatio. 90.

Insignibus principum singularis reverentia habenda. 19. iis sæpe fit traditio. 116. sqq.

Insitio. 91.

Insula in mari nata est nullius. 82. in flumine jure Romano est vicinorum. ibid. ex Grotii sententia populi 83. sed rectius etiam nullius. ibid. & sq. exemplis illustratur Italicis. 84. Germanicis. ibid.

Interdicta an inter principes obtineant? 297. adipiscendæ possessionis, 298. retinendæ. ibid. quo casu locum habeat. 299. hujus variæ

riæ ſpecies. ibid. recuperandæ. 300.

Interitus rei oppignoratæ tollit pignus. 271.

Interpellatio præſcriptionis naturali juri incognita. 337. nec per retentionem inſignium & titulorum peragitur. ibid. & ſq. ſed per poſſeſſionis uſurpationem. 338.

Interruptio præſcriptionis vid. *Interpellatio.*

Intrandi jus vehendo in aulas regum in numero ſervitutum non habendum. 186 ſq.

Inventarium non ſemper pertinentiis annumerandum. 24.

Inventio refertur ad modos acquirendi dominii originarios. 73. non temere prohibenda. 74.

Inveſtitura per ſigna eſt frequentiſſima 116. ſqq. an etiam per pallium? 119. an comitiorum jus ex ea dependeat. 120. & regiminis adminiſtratio. 121. an dominium & poſſeſſionem tribuat. ibid.

Italis inter Venetos & ducem Mantuæ cauſa de proprietate fluminis agitata. 84.

Juliacenſi duci privilegium uniendi terras conceſſum. 100.

Juliacenſis & Montium ducatus in dotem datus. 386.

Junckerſteur. 373. vid. *Maritagii collecta.*

Juriſdictio competens in alterius territorium ſervitutibus minime accenſenda. 188. oppignorata cenſetur cum prædio oppignorato. 233.

Jus in re & ad rem. 40. illa diſtinctio non eſt mere civilis. 41. ſed ſpectat etiam ad principes. ibid. ſpecies juris in re recenſentur. ibid. & ſq.

Jus retentionis. vid. *Retentio.*

Kleinodien, vid. *Clinodia.* eorum ſignificatio etymologica examinatur. 18.

Koppeljagd, in ea actio de communi dividundo non eſt applicanda. 136.

Koppelweide ad ſervitutes non pertinet. 196.

Kropfsberg patet vi ſervitutis Spirenſibus. 178.

Kuckſe annumerantur immobilibus. 25. eorum inveſtitura hodie petenda. 79.

Kyburg morganatico jure petitum à Johanne Auſtriaco. 454.

Landshutana cauſa de meliorationibus feudi memorabilis. 95.

Largitas ſponſalitia quid ſit? 436. conſiſtit plerumque in jocalibus in regiis ſponſis ad 50000. thl. ſe extendentibus. ibid. quod exemplis illuſtratur. 437. ſqq. ad quem pertineat matrimonio ſoluto vel non ſecuto.

ſecuto. 439. quo differt à Morgengaba. 466.
Legata annua an præſcriptioni obnoxia? 329.
Legatos habendi jus ſervitutibus non accenſendum. 185. ſq. 187. nec eorum jura pro ſervitutibus habenda. 186.
Legio Hiſpaniæ eſt incorporata. 96.
Legislatorium jus in alterius territorio è ſervitutum numero expungendum. 188.
Lehnsſtamm differt à Lehns-Quanto. 164.
Leibwagen und Leibpferde an ſub nomine ſupellectilium comprehendantur? 16.
Lichtenſteinenſis præfecturæ reluitio poſt 260. annos tentata. 267.
Limburgi comitatus allodii jure ad filias tranſiit, regalia vero feudi lege Boruſſiæ regi conceſſa. 162.
Lindavienſis oppignoratio valde memorabilis. 268. obligatio patibulum & ſcalas reficiendi ad ſervitutes haud referenda. 192. hiſtoria de reluendo pignore imperiali. 268.
Lœwenſteinenſe dotalitii conſtituti exemplum. 503.
Longobardorum regnum in dotem acceptatum. 384.
Lotharingicum dotalitii conſtituti exemplum. 494.
Lubecenſium modus ſingularis ſervitutem extinguendi. 205.
Luneburgi caſtrum cum civitate Brunſuicenſi coadunata. 99.
Luſatia Bohemiæ regno incorporata. 100. oppignorata ab imperatore Electori Saxoni & demum plenariter ceſſa. 221.
Luſitania in dotem data. 383
Luſitanorum regum dos conſueta. 387. 395. ratio dotalitii conſtituendi. 491.
Majeſtas an præſcriptioni obnoxia? 322. removetur objectio ab alienatione prohibita. 323. ab incapacitate Majeſtatis ſubditorum. ibid. à teſtimoniis veterum. 324. ab exemplo quodam Gallico petita. ibid. item Hornii objectiones diluuntur. 325. ſq.
Majeſtatica jura ſervitutum numero non ſunt habenda. 187.
Mansfeldenſium morgengaba conſueta. 454. dotalitii quantitas pacto familiæ reſtricta. 504.
Mantuanorum quantitas dotis conſueta. 389.
Marchiæ reluitio poſt 57. annos. 267.
Marcktſchiff halten refertur ad ſervitutes publicas. 174.
Mare an in dominio eſſe poſſit? 50. objectio: quod terminari nequeat, removetur 51. item objectio II. quod inexhauſti ſit uſus. 52. item obje-

objectio III. quod custodiri nequeat. 53. objectio IV. quod à communione primæva quoad mare haud recessum sit. 54. en ejusdem terminatio per gradus & lineas astronomicas admittenda sit? 52. littoris sui principi sexaginta milliaribus imperium concedere solet. 53.

Maritagii collectæ an subditis imponi possunt? 369. argumenta pro & contra ponderantur. 370. negantium partes suscipiuntur. ibid. etiam in Germania. 371. objectiones removentur. ibid. & sq. nisi pactis aliud conventum. 372. quorum exempla adducuntur. ibid. & sqq. ad quæ plurimorum consensus sufficit. 374. sqq. aut consuetudine introductum. 376. aut præscriptione acquisitum. 377. exempla ejusmodi consuetudinis recensentur 377. ea tamen in Germania universalis non est. 378. semper quoque stricte interpretanda. ibid. an ad Apanagiatorum filias extendenda. 379.

Maritus fructus perceptos dotalitii ex anteriorii conjugio restituere non tenetur. 519.

Mecklenburgensium quantitas dotis consueta. 393. Morgengabæ. 454.

Mediolanensium quantitas dotis consueta. 389. exempla dotalitii constituti. 425.

Meliorationes principatuum accedunt rei, unde venerunt. 93. in dubio ipsis principatibus. 95. nisi ex privato patrimonio factæ probentur. ibid. ab usufructuarii heredibus non sunt repetendæ. 215.

Mensa, an plebejus ad mensam principis accersitus pro nobili sit habendus. 22.

Metallifodinæ olim erant regis. 77. textus des Landrechts eo pertinens examinatur. ibid. medio ævo Germaniæ principibus concessæ. 78. hodie vi superioritatis territorialis competunt. 79.

Metallum ejus proventus annumerantur immobilibus. 25. acquiruntur ut fructus naturales per accessionem naturalem. 76. sq.

Meubles, eorum differentia à rebus mobilibus. 16.

Militem alendi facultas ad certum numerum restricta servitutibus minime est annumeranda. 193.

Milites, qui commercii causa aluntur, sunt allodiales. 159.

Missilia traduntur incerto. 123.

Mobiles principum res quænam sint? 16. complectuntur plura quam Meubles. ibid. circa eas considératione dignatur pecunia. 17. clinodia, ibid. coronæ & insignia, 19. vestes, ibid. supellex, 20. mensalis, 21. libraria, 22. viatoria,

toria, 23. an laquearia eo ſint referenda? 20.

Modus acquirendi dominium, 55. vel originarius vel derivativus. ibid. eo diviſio rei communis non eſt referenda. 56. originarius quid? ibid. diſtinctio inter modum & titulum non eſt mere civilis. 112.

Mœllenſis civitatis reluitio poſt 400. annos. 267.

Mœurſenſis comitiſſa vaſalla à duce Clivenſi gladio aggreſſa dominium directum lucratur. 145.

Moguntinus Elector privilegio gaudet alienata & oppignorata imperii bona reluendi. 269. an ſublatum? ibid.

Mompelgardenſis comitatus Würtembergico ducatu non eſt incorporatus 96. ſq.

Morgengabe, ejus conſtituendi formulæ in pactis dotalibus. 346. ſqq. ejus definitio. 444. antiquitas. 445. ejus origo Germanis debetur. ibid. ſq. uſus etiam exteris cognitus. ibid. & ſq. datur à marito nobili. 446. quare non à plebejis? 447. ejus hodierna indoles. ibid. datur tum ante nuptias, 448. tum poſt nuptias. 449. uxori, non præciſe ob virginitatem, ibid. ſed ob thalami conſcenſum. 450. etiamſi ſponſus diem ſecundum non ſupervixerit. 451. olim dabantur pecora & ædificia ibid. in determinata quantitate. 452. hodie pecunia & jocalia. 453. raro immobilia. 454. an ex feudo debetur? 455. debetur haud citra promiſſionem ibid. & quidem mortuo demum marito. 457. non illo vivo. 458. id quod exemplis illuſtratur Palatino, ibid. & ſq. Badenſi, 459. Munſterbergenſi, ibid. Schwartzburgico. ibid. ni aliter conventum. 460. formulæ paciſcendi Morgengabam. 461. ſq. an hypotheca gaudeat. 463. an poſſeſſionem tribuat ibid. interdum tamen dotis jure gaudet. 464. amittitur adulterio. 465. & divortio. ibid. ſed non nuptiis intra annum luctus ſecutis. 466. quo differt **vom Hand- und Spielgeld.** 462. a dote 466. à ſponſalitia largitate ibid. à donatione propter nuptias. 467.

Mundum cum ornamentis non confundendum. 19.

Munera principum an oppignorari poſſunt. 235. nuptialia quænam ſint? 442. ſq.

Municipales nec domania habent nec fiſcum. 34.

Naſſoviorum principum quantitas dotis conſueta. 393. Morgengabæ. 454.

Naufragio amiſſa, vidd. *Amiſſa.* ex jure naufragii Bremenſis epiſcopus comi-

comitem quendam Stadensem sibi vindicavit. 108. sq.
Navarra Galliæ est incorporata. 96.
Neapolitanum regnum in dotem datum. 384.
Neustadium Jenamque in dotem accipit Elisabetha Arnshaugiensis. 386.
Nogareti præscriptio bonorum publicorum in curia Gallica reprobata trutinatur. 324.
Nomina rebus incorporalibus accensentur. 25. 27. an oppignorari possunt. 235.
Norimbergensis consuetudo signa quædam in recognitionem commercii Argentoratensibus offerendi servitutibus non est annumerandum. 193. ejus Burggravii filia oppida quædam in dotem accepit. 386.
Nullius res quænam? 29.
Numeratio dotis particularis. 404.
Nuptiales sumtus an ab eo ferendi, qui dotare tenetur, vid. *Sumtus.*

Obligatio ad operas quasdam servitutibus annumerari nequit. 168.
Occupatio quid sit? 57. ejus forma & quomodo peragatur. 58. an ad acquisitionem necessaria? 59. quid juris in plurium circa acquisitionem concursu. ibid. in persequendo feram vulneratam. ibid. non solo animo fit, sed actu quodam. 103.
Occupatio bellica, an magis ereptio dici mereatur. 124. est fundata in læsione resarcienda. 125. à sublato communi divisionis pacto non arcenda. ibid. intra satisfactionis & cautionis terminos consistit. 126. unde ad res tertii non extendenda. ibid. cuinam res captas attribuat. ibid. qua in re nonnulli actus belli distinguunt. 127. consuetudinibus gentium illustratur. ibid. & sq.
Oestreich ob der Ens ab imperatore in pignus cessa Bavaro. 222.
Oldenburgica causa de alluvione feudi commemoratur. 94.
Onera usufructuarii quorsum spectent, vid. *Usufructuarius.*
Oppenheimium oppignoravit Imperator Moguntinis. 261.
Oppignoratio non mutat terræ oppignoratæ qualitatem. 158. à facultate alienandi valet consequentia ad facultatem oppignorandi. 223. conf. *Pignus.* hæc argumentatio non procedit ratione creditoris. 224. exempla rerum sacrarum oppignoratarum ibid. quatenus bona publica sint oppignoranda. ibid. & sqq. item bona Imperii 226. an oppignorare Imperatoribus liceat? 227. sqq. id quod affirmatur hodie cum statuum consensu. 228. quibus oppignorare licet. 236. terris oppignoratis præstatur credi-

creditori homagium die Pfands-huldigung 259. imperii oppignorationes non reluuntur. 267. quod historia Lindaviensi confirmatur. 268. nec statuum oppignorationes. 269.

Orcades à rege Dano Scotiæ regi oppignoratæ. 226.

Ornamenta, eorum nomine vestes non veniunt. 19. cum mundo non confundenda. ibid.

Otterfang pertinet ad piscationem. 73.

Pacta dotalia. vid. *Dotalia pacta.*

Palatia principum. vid. *Residentia.* ita dicta à monte Palatino. 10.

Palatini Electoris jus protectionis & jurisdictionis in fabros ærarios non est servitus. 189. eidem competit privilegium de reluendis bonis imperii oppignoratis & alienatis. 269. ejusdem quantitas dotis consveta. 392. diversa dotandi ratio. 403. Morgengabæ. 454. & constituti dotalitii exempla. 501.

Pallium signum episcopale traditionis 117. hodie in aula Cæsarea non adhibetur. 119.

Paraphernalia quo differant à dote 406. quænam sint. 429. quid juris circa ea apud Anglos. ibid. quid apud Romanos ibid. quid apud Saxones. 431.

Parmense constituti dotalitii exemplum. 495.

Patrimonium quodnam principis. 28. 32. eo pertinent Chatoul-Gelder. 31. regni difficulter alienandum. 34. consistere potest ex rebus privatis. 35. quid in dubio sentiendum. ibid.

Patronatus jus in alterius territorio competens aliis obligationibus potius quam servitutibus annumerandum. 191.

Pecunia simpliciter posita non complectitur das Schatzgeld und die Müntz-Cabinette neque die aussenstehenden Capitalien. 17.

Perlen, an sub voce Clinodiorum complectantur? 18.

Petitorii discrimen à possessorio non ignorat jus naturale. 294. quod confirmatur contra Grotium. 295. & Feldenum. 296.

Pfandschafften veterum Germanorum propius ad emtionem cum pacto retrovendendi quam pignus accedunt. 250 255. ad Fiduciam Romanorum refert Strauchius. 253. alii ad pactum antichreticum. 254. alii ad emtionem censuum. ibid. olim Pfandschafft & Wiederkauff erant Synonima. 255. sq. hodie differunt. 257. discrimen cernitur pignore alienato, ibid. vel intereunte, ibid. & sq. vel

deteriorato. 258. item in translati dominii juribus, 259. in fructibus. 261.

Pfandbehuldigung præstatur creditori in terris oppignoratis. 259.

Pfändungen tanquam turbationis propria auctoritate vindicatio sunt licitæ. 302. sq. fiunt per ablationem aut deteriorationem rei, per quam turbatio facta. 303. earum indoles. ibid. principibus imperii sunt interdictæ. 304. Camera in iis cum mandatis de restituendo & relaxando cumulat mandata de non offendendo. 305. cujus ratio trutinatur. ibid.

Pfürchrecht ad servitutes non pertinet. 197.

Pictura species accessionis industrialis. 91.

Pignoratio differt à pignore. 238. plura vid. sub voce: Pfändungen.

Pignus quid sit? 220. accedit adhuc alii negotio principali. 221. id quod exemplis illustribus docetur. ibid. & sq. hinc incipit demum cum debito principali. 222. à facultate alienandi valet consequentia ad facultatem oppignorandi. 223. hinc res, quæ non sunt in commercio, oppignorare non licet. ibid. conf. *Oppignoratio*. qualia pacta adjici soleant. 237. an traditio necessaria. 240. tribuit possessionem. 250. non tamen fructus. 251. cedi potest. ibid. etiam absque auctoritate judicis ibid. tribuit etiam facultatem alienandi. 252. an quoque dominium? ibid. id quod negatur. 253. de pignore Germanico vid. Pfandschafften. quid effectus habeat in concursu creditorum. 261. sqq. soluto debito pignus reddendum. 270. retineri tamen ob aliud debitum potest. 270. excepto pignore in causis bellicis dato. ibid. an præscriptioni obnoxium. 327.

Pileus Hispanis signum traditionis. 118.

Piscatio, huic etiam applicare licet, quæ tradita sunt de venatione. 73. ad eam in dubio etiam pertinet der Otter- und Bieberfang. ibid.

Plantatio. 90.

Plebejus ad mensam principis accersitus an pro nobili habendus. 223.

Pleisensis comitatus in dotem aliquoties datus. 386.

Plurimi quomodo reliquis præjudicent. 374.

Polonia regnum ab ordinibus in dotem concessum. 384.

Polonicorum regum quantitas dotis consveta. 388. ratio constituendi dotalitii diversa. 493. 517.

Pomerania in dotem data. 386. eidem competit jus postarum per territorium Megapolitanum. 176.

Portio

Portio statutaria an à vidua præ dotalitio eligenda. 506. sq.
Portugallia. vid. *Lusitania.*
Possessio est species juris in re. 42. simultanea non tollit usumfructum. 215. ejus definitio. 273. origo. 274. acquiritur apprehensione. ibid. utut per mandatarium facta. 275. quæ inter principes frequens. ibid. cujus solennia exemplo monstrantur. 276. sqq. an etiam possidetur per sequestrem? 285. an etiam per homagium acquiratur? 286. non certe per eventuale. 287. an ignoranti acquiratur? ibid. est vel naturalis vel civilis. 288. propria vel anologica. ibid. & sq. non exercetur in res extra commercium positæ. 289. operatur dominii præsumtionem. ibid. tollitur contraria probatione. 290. ad antiquiorem possessionem & vitiositatem recentioris dirigenda. 290. quid hac in re jus Germ. & Rom. mutarint? 291. principes ex possessione dominium metiuntur. ibid. possessio subditos etiam contra principem tuetur. 293. ni lex prævia sine titulo possidere vetat. ibid. & tunc saltem de bonis post hanc legem quæsitis titulum edere tenentur. 294 de ejus interruptione. vid. *Turbatio.* an via facti pro tuenda possessione licita? 301. in Camera imperiali negatur. 302. excepto casu pignorationum. ibid. quæ tamen principibus imperii prohibita. 304. modi amittendi. 306.
Possessorii & petitorii discrimen naturali juri haud incognitum. 294. conf. *Petitorium.* at distinctio in ordinarium & summarium est mere civilis. 296.
Postarum jus in alieno territorio ad servitutes transitus referendum. 176.
Prælationis jus quatenus doti est adjudicandum. 417. est personale nec ad heredes spectat. 419.
Præscriptio non tollit reluitionem pignoris. 264. sqq. ejus definitio. 307. ejus fundamentum in statu naturali, ibid. ex possessionis indole eruitur. 308. & ab objectionibus vindicatur. 309. ejus indoles in statu civili. ibid. an sola lege civili nititur 310. sententia in eo Gallorum recensetur. ibid. & exemplo familiæ Bouilloneæ contra Bourbonicam illustratur. 311. argumenta affirmantium examinantur. ibid. & sqq. forma illius quo consistat. 314. an derelictione præsumta nitatur. ibid. sententia Grotii examinatur. 315. an domini negligentia. 316. an solo temporis lapsu? 317. an æquitate naturali. ibid. an utilitate ibid. requirit possessionem. 318. & quidem vitiosam.

ſam. 319. rei in comercio exiſtentis. ibid. & ſq. an etiam incorporalis. 320. & res meræ facultatis ei ſit obnoxia? ibid. an res principis? 322. an majeſtas? ibid. an delicta. 326. ſq. an pignus? 327. an annuæ præſtationes? ibid an legata annua? 329. an Decimæ? ibid. porro requirit bonam fidem. 330. an titulum juſtum. 331. an temporis lapſum? 332. interrumpitur uſurpatione. 338. differt interrupta à quieſcente. 339. negligentia miniſtri in præſcriptione admiſſa nocet principi. ibid. privilegium: ne noceat præſcriptio, an valeat? 340.

Præſidii jus ſervitutibus publicis accenſendum. 180.

Precum publicarum jus in alterius territorio competens ad obligationes perſonales potius quam ſervitutes referendum. 191.

Primogenitus principis reliquos dotare plerumque tenetur. 367.

Princeps ſi jure fiſci gaudet, quorſum hoc ſpectet. 139. principum imperii ditiones an feudales ſeu allodiales ſint. Stuckius, Textor & Oldenburger eas allodiales exiſtimat. 150. it. Meibomius, quem Eyben caſtigavit. ibid. quædam omnino ſunt feudales. 151. quædam allodiales. 152. in dubio tamen feudales non ſunt habendæ ibid. id quod triplici argumento evincitur. ibid. & ſqq. ſed allodiales potius præſumendæ. 154. etiam quoad terras incorporatas & pertinentias 155. ſeculariſata bona manent talia qualia antea fuerunt. 156. conf. plura ſub voce *Imperii.* princeps an uſufructuarius reip. dici queat? 209. ſq. an jura uſufructuarii ipſi applicanda. 218. ſq.

Prinzeßinſteur. vid. *Maritagii collecta.*

Privatæ res quænam ſint? 28. 31. ſq.

Privilegia in ſervitutum numero haud habenda. 189.

Privilegium, ne noceat ulla præſcriptio, an valeat? 340.

Promnitzenſe dotalitium teſtamento reſtrictum. 504.

Propriorum hominum jus in alterius territorio competens pro obligatione perſonali potius quam ſervitute habenda. 191.

Protectionis jus ad fœderum potius quam ſervitutum genus referendum. 192.

Proventus metallici, vid. *Metallum.*

Provinciæ noviter acquiſitæ privato patrimonio cedunt. 96.

Publicæ res quænam? 28. 31. ſq. quatenus ſunt oppignorandæ. 224. ſqq. oppignorare noluit Carolus VII. Gallus. 225.

Quan-

Quantitas pecuniæ dotalis consveta in Lusitania, 387. in Hispania, ibid. in Gallia, ibid. in Anglia, 388. in Dania, ibid. in Svecia, ibid. in Polonia, ibid. in Russia, ibid. in Sicilia 389. in Sabaudia, ibid. apud Florentinos, Mediolanenses, Mantuanos, & Venetos, ibid. in Germania, 390. in Bavaria & Saxonia, ibid. in Brandenburgia, 391. in Palatinatu, 392. apud Brunsvicenses, ibid. apud Mecklenburgenses, Würtenbergenses, Holsatos, Badenses, Anhaltinos & Nassovios. 393. apud Hohenloicenses, Schwartzburgicos, Solmenses, Saynenses, Schœnburgicas, Waldeccenses. 394.

Receptitia bona uxoris quænam sint? 427. quid juris circa ea. 428.

Receptitia dos quid sit. 430.

Recognitio juris cujusdam concessi ad servitutum classem non est vocanda. 193.

Reditus annui quibus rebus annumerandi? 27.

Regna an dentur patrimonialia? 36. objectio I. II. III. convellitur. 38. inprimis Conceji sententia, ibid. & Hobbesii examinatur. 39. an in dotem dari possint? 382. affirmativa exemplis corroboratur. 383. sqq.

Reichspfandschafften, vid. *Oppignoratio.* non reluuntur. 267. nec statuum oppignorationes. 269. an eo ipso Moguntini & Palatini privilegium de reluendis imperii pignoribus sit sublatum. 269.

Rei vindicatio, vid. *Vindicatio.*

Religiosæ res. 30.

Reluitio tollit pignus. 264. etiam Germanicum. ibid. an eidem præscribatur. ibid. non qua tali sed negata pignoris qualitate. 265. distinctiones nonnullæ examinantur. 266. exempla reluitiones post diuturnum tempus. 267. imperii oppignorationes non reluuntur. 267. quod historia Lindaviensi illustratur. 268.

Remissio delinquentium necessaria ad servitutes minime est referenda. 193. tollit pignus. 271.

Repetitio dotis. 414. dote reddita emolumenta sperata peti non possunt. 415. fructus ultimi anni quomodo in repetitione sint distribuendi. 416. recipit dotem uxor ejusve heredes, etiamsi extraneus eam constituit. ibid. à marito ejusve hedibus. 417. & quidem in creditorum concursu sub prælationis jure. ibid. repetitio dotis cessat ob leges. 421. ob pactum. ibid. & quidem tacite per dotalitii constitutionem acceptatam. 421. nisi pactum contrarium

rium hanc prohibeat. 422. ob delictum. 422. id quod tamen jure naturali in tantum procedit, in quantum marito damnum illatum. ibid. alias repetitio dotis ob delictum non deneganda exemplis illustribus constat. 423. quæ ab objectione vindicatur. ibid. an cesset etiam in separatione à thoro? 425. an si sponsalia rupta? ibid.

Repressaliæ locum habent ob denegatam justitiam. 303.

Repudiatæ dos ab extraneo donata ad quem redeat? 426.

Res ,earum definitio. 8. divisio, ibid. respectu principum. 9. sqq. mobiles quænam sunt? 16. alia rerum divisio in publicas & privatas examinatur. 28. sq. res nullius quænam? 29. divini vel humani juris ibid. religiosæ, sanctæ, ecclesiasticæ. 30. communes non dantur. 31.

Res bello captæ cuinam tribuendæ. 126.

Res derelictæ. vid. *Derelictio.*

Res *meræ facultatis* præscriptioni sunt obnoxiæ per acquiescentiam in prohibitione. 320. quænam sint ejusmodi res? 321. sq. exemplum in maritagii collectis recensetur 380.

Res religiosæ. 30.

Res sacræ oppignorari non possunt. 223. sq.

Reservatum ad servitutum personalium genus se refert. 208. exempla ejus illustria post abdicationem regni seu imperii. 210. non tollitur subhastatione. 271.

Residentiæ accensentur rebus immobilibus. 10. habentur sanctæ & inviolabiles. ibid. id quod illustratur exemplo Romano, 11. & Germanico. 12. delicta ibidem commissa plerumque gravius puniuntur. 13. sqq. an asylum præbeant? 15.

Retentio, an ex jure retentionis pignus tacitum constituatur. 239. retentionis jus uxor habet ratione dotis in bonis mariti. 419. quod est reale. 420. ob morgengabam non competit. ibid. requirit curam œconomicam. ibid.

Reversiones quid sint? 233.

Rheingrafenstein castrum patet variis vicinis zu einem offenen Hause vi servitutis. 178.

Rigæ oppignoratio postmodum à Russis denegata. 243. sq.

Romæ securitas palatii capite est sancita. 11.

Romanis mos occupandi bona naufragio amissa jam viguit. 108.

Rusticæ servitutes recensentur. 196.

Russicarum quantitas dotis consveta. 388.

Rutheni comitis dotalitii constituendi exemplum. 500.

Sabau-

Sabaudicarum quantitas dotis consveta. 389. 395. Jocalium. 428. constituendi dotalitii diversa exempla. 494. sq.
Sacra res. 30.
Sacrorum jus in alterius territorio competens servitutibus haud accensendum. 188.
Salica lex an merito ad fœminas Gallicas domaniis arcendas sit referenda. 385.
Salinæ pertinent ad dominum soli. 80.
Saltzungensis præfecturæ reluitio post 260. annos tentata. 267.
Sarwerdensis comitatus est allodialis, regalia vero feudi jure tenentur. 162.
Satio. 91.
Saxones ignorant domania. 33. gaudent jure postarum per principatum Anhaltinum. 176. filiam principis ex domanio dotare tenentur. 378. eorum quantitas dotis consveta. 390. Morgengabæ. 453. dotalitii constituendi exemplum. 516. Electori jus protectionis & jurisdictionis in buccinatores imperii competens non est servitus. 189.
Sayn-Altenkirchensis possessionis occupatio recensetur. 276. sq.
Saynensium comitum quantitas dotis consveta. 394. Morgengabæ. 454.
Sceptrum olim fuit signum traditionis. 117. 118. hodie non. 119.
Scepusiensis comitatus ab Imperatore Poloniæ regi oppignoratus. 225.
Schaumburgicus comitatus est allodialis, regalia vero feudi jure tenentur. 162.
Schœnburgicarum quantitas dotis consveta, 394. Morgengabæ. 454.
Schwartzburgicarum quantitas dotis consveta. 394. Morgengabæ. 454.
Scotia Angliæ incorporata Britannicum regnum constituit. 96. in dotem data. 384.
Scriptura est species accessionis industrialis. 91.
Secularisata bona an allodialia seu feudalia sint censenda. 155. in dubio talia manent qualia ante secularisationem fuere. 156. qua in re refutatur sententia Tubingensium 157. & Thomasii ibid. it. Helmstadiensium 158.
Securitate publica communi gaudent residentiæ. 12. vid. Burgfried.
Securitas obligationis, Germanis olim per concessionem invadendi bona debitoris præstari solita, quid sit? 241.
Sedes principum, vidd. *Residentiæ.*
Seegelstreichen ad servitutes haud est referendum. 173.
Sequela jus ex lege competens privilegiis potius quam servitutibus accensendum, secus si ex pacto competit. 190. sq.

Servitia feudalia non ad servitutes sunt referenda. 168.

Servitus quid sit? 165. in faciendo consistere nequit. 166. nec obstat servitus oneris ferendi, 167. nec operarum, ibid. nec servitia feudalia, 168. nec alia obligatio ad operas quasdam ibid. est vel publica vel privata. ibid. distinctio in urbanas & rusticas in rebus publicis non habet locum. 169. sq. an detur servitus legalis? 183. 199. sqq. an naturalis? 184. an juris publici universalis? ibid quomodo constituatur? 197. quatenus eam constituere Vasallus possit? 198. an usufructuarius? 199. non lege constituitur. ibid. objectionibus respondetur. 200. sqq. nec casu fortuito. 202. nec in re derelicta. ibid. an traditio ad servitutem constituendam necessaria? ibid. quis effectus servitutum. 203. circa eas competit actio confessoria & negatoria. 203. aliaque remedia possessoria. ibid. & sq. actio finium regundorum ipsis etiam est applicanda. 204. quomodo amittantur servitutes? ibid & sq.

Servitus personalis quid sit. 206. quomodo constituatur? 211. qua in re constituatur? 212.

Servitutes privatæ quænam sint? 195. iis divisio in urbanas & rusticas magis applicanda. 196.

Servitutes publicæ quid sint? 171. vocantur & gentium. 172. non tamen ex Jure publico sunt æstimandæ. ibid. eo sunt referendæ servitus maris, 173. appellendi. 174. piscandi. ibid transitus per alterius territorium. ibid. aurum fluviatile legendi. ibid. postarum. 176. conducendi. 177. aperturæ. ibid. sqq. Præsidii. 180. fortalitium aut portum non exstruendi. 181. quædam vero jura ad servitutes perperam referuntur. 183. sqq. quid referat earum disquisitio. 193. sq. an publica servitus acquiratur mediante pacto etiam à privato. 198.

Sicilia in dotem data. 383.

Siculis maritagii collectas pro filiabus regi exigere licet. 373.

Siculorum regum quantitas dotis consueta. 389.

Silesia Bohemiæ regno cadunata. 100.

Singulorum res. 29.

Solmensium comitum quantitas dotis consueta. 394. item Morgengabæ. 454. constituti dotalitii exemplum. 501.

Specificatio est species accessionis industrialis. 88.

Spes ſola an rebus annumeranda? 25.

Spielgeld, ejus formulæ conſtituendi in pactis dotalibus diverſæ. 348. in quo conſiſtat. 439. quo differt à Morgengaba. 462.

Sponſalitia largitas. vid. *Largitas.*

Status imperii non præciſe requirit nexum feudalem. 160.

Stormaria Dithmarſiæ diſtrictui incorporata. 100.

Stratam montanam Electori Palatino oppignoravit Moguntinus. 222. 253.

Stuprum in palatio principum commiſſo gravius punitur. 14. ſq.

Sumtus nuptiales an ab eo ferendi, qui dotare tenetur? 395. ſq. id quod negatur. 396. niſi pactis aliud determinatum. 397. an illi dotis jure gaudeant? 398. etiam inter vaſallos. 399.

Supellex an Leibwagen und Leibpferde complectatur? 16. ejusdem ſpecies quædam recenſentur. 20. magnificentiæ principum circa eam moralitas examinatur. ibid. & ſq. ipſi principum intuitu honor ſpecialis habetur. 22.

Superioritas talis eſt qualis terra cui inhæret. 160. interdum allodialis. ibid. plerumque feudalis, 161. tum in toto tum in ejus partibus. ibid. poteſt tamen feudalis eſſe & territorium allodiale. 162. in veteribus inveſtituris denotatur per regalia. 160. non involvit, quod ſuperior non ſit recognoſcendus. ibid.

Supervita. 490.

Suſtentatio uxoris pactis determinari ſolet. 440. cujus extat exemplum Gallicum, 441. Hiſpanicum, ibid. Luſitanicum, 442. Sabaudicum. ibid.

Svecis filia regis ex contributione dotanda. 373.

Svecicorum regum quantitas dotis conſueta. 388.

Sylva, quatenus ex ea percipiat uſufructuarius emolumenta. 213.

Syriæ regnum in dotem datum. 383.

Tacite an dos conſtituatur? 402.

Taffelgüter quænam ſint? 32.

Tapeten an mobilibus accenſendi? 20. 21. & 24.

Tempus in præſcriptione juris naturalis immemoriale requiritur. 332. quodnam in præſcriptionibus civilibus obtinetur? 333. ſqq. an civile præſcriptionis tempus ad principes pertineat? 336. an ad eorum

eorum uxores & apanagiatos? ibid.

Thesaurus, de cujus domino constat, non derelictus censetur. 104. temporis vetustatem non requirit. ibid. cujus vero dominus ignoratur, fit inventoris. 105. id quod LL. civiles restringunt. 106.

Tignum quid? 90.

Titulorum retentio non efficit præscriptionis interpellationem. 337.

Titulus, ejus & modi acquirendi dominii discrimen non est mere civile. 112. eum edere non tenetur principi subditus in possessione constitutus. 293. nisi lex possidere sine titulo vetat. ibid. & sq. justus an in præscriptione necessarius? 331. jure naturali in possessore præsumitur. ibid. & sq.

Torff, quatenus ex eo percipiat usufructuarius emolumenta? 213.

Tormenta bellica ad quodnam genus dominii spectent? 147.

Traditio quomodo requirenda ad transferendum dominium? 111. sq. naturaliter haud necessaria. 113. cujus argumentum exhibet traditio symbolica. 120. omnino tamen lege civili. 114. nec sufficit ad transferendum dominium. 123. est vel brevis vel longæ manus. 114. vel symbolica. ibid & 115. cujus species quædam recensentur. ibid. & sq. eo spectat effestucatio, 115. scotatio apud Danos, 116. aliaque signa inter principes etiam usitata. ibid. & sqq. an etiam investitura per pallium? 119. analogica ad res incorporales applicatur, 122. & Majestatem & Regalia. ibid. fit etiam per mandatarium & incerto. 123. an in dote necessaria? 403.

Transitus per alterius territorium servitutibus annumeratur. 174. quatenus Imperatori competat? 175. eo refertur jus postarum in alterius territorio competens. 176.

Trevirensis Elector gaudet privilegio reluendi imperii oppignorationes & alienationes. 269. an sublatum? ibid.

Turbatio possessionis an facto fiat vel etiam verbis & scriptis? 298. & 299.

Turca Hellespontem sibi vindicat. 51.

Unctio regum est signum traditionis antiquius coronatione. 116.

Uratislavia Bohemiæ regno incorporata. 100.

Urbana servitutes recensentur. 196.

Usufructuarius an servitutem constituere possit? 199. an princeps reip.

reip. usufructuarius dici queat? 209. emolumenta usufructuarii ad quid se extendant? 212. quatenus ea percipiantur ex palude bituminosa? 213. item ex sylvis? ibid. ex fundo & agris? 214. onera ejus quorsum spectent? ibid.

Usurpatio vid. *Interpellatio.*

Usus est servitus personalis. 207.

Ususfructus est servitus personalis. 207. cujus exempla illustria recensentur 209. eo pertinent reservata post abdicationem. 210. extinguitur consolidatione, vid. *Consolidatio.* interitu rei, 215. morte usufructuarii, ibid. nisi heredibus quoque constitutus. 216. illo casu fructus inter heredes & proprietarium pro rata temporis dividuntur. ibid. & sq. conf. *Fructus* ususfructus an oppignorari licet? 235. ususfructus dotis ad maritum spectat. 408.

Vasallus quatenus servitutem concedere possit? 198.

Vectigalium jus alio respectu ad servitutes alio ad jura Majestatica est referendum. 191.

Vehiculi, eorum usus orientalibus magis quam occidentalibus antiquus. 23. modus eorum legibus determinatus. 24.

Venatio quid sit? 60. quotuplex? 61. latius se extendit quam Germanis die Jagd. ibid. cur ad solum principem hodie spectet? 62. ratio hujus non in dominio vertitur. ibid. sed in potestate legislatoria. 63. quae excludit facultatem feras capiendi. ibid. potius legislatori quam territorii domino vindicanda. 64. & ad exteros se non extendit. ibid. in Germania potius pro libera venatione praesumendum. ibid. & sq. quae tamen prohiberi à principe potest. 65. an poena furti & capitali? ibid. & sq. iterumque concedi. 66. in dubio concessa major quoque concessa censetur. 67. in illius concessione species probe sunt secernenda. ibid. & sq. ut & tempus venandi. 68. Clericis interdicta. vidd. *Clerici.* praescribitur contra principem. 70. positis terminis habilibus. ibid. objectiones diluuntur. 71. quid juris circa eam in alieno territorio. 72. talis in servitutum numero haud ponenda. 189. omnino tamen jus sequelae ex pacto competens. 190. sq.

Veneti mare Adriaticum sibi vindicant. 51. eorum dotis constituendae ratio diversa. 389.

Verdensis Ducatus Bremensi non est incorporatus. 97.

Vestes, circa eas nobilibus & comitibus modus positus, principibus non æque. 19.

Vexillum olim in signum traditionis adhibitum. 118.

Via publica non pertinet ad jurisdictionem. 176.

Vindicatio in statu naturali & præsentis possessionis vitium probandum requirit. 133. Jure Romano solam dominii probationem, ibid. antiquiorisque possessionis. 134. quam actio Publiciana conjuncta juvat. ibid. quæ tamen mere est civilis. 135. item finium regundorum. ibid.

Vorbehalt, sive **Auszug**, Reservatum ad servitutum personalium genus se refert. 208.

Vlissinga à Belgis reginæ Angliæ pignoris loco tradita. 226.

Waldburgense exemplum constituti dotalitii. 501.

Waldeccensium quantitas dotis consueta. 394. exemplum constituti dotalitii. 502. quantitas dotalitii pacto familiæ restricta. 504.

Wartburg qua ratione in alieno extructum. 185.

Wartenbergicus comitatus est allodialis. 160.

Wiederlage, 470. vid. *Donatio propter nuptias.*

Wildfangiatus jus in alterius territorio competens obligationibus personalibus potius quam servitutibus annumerandum. 191.

Würtembergensium quantitas dotis consueta. 393.

Würtembergico - Austriacum pactum de ducatu Würtemberg & Teckh comemoratur. 98. sq. 101.

Würtembergico comitatui variæ ditiones terræque incorporatæ. 100.

Würtembergicus dux apanagiatorum filias dotare tenetur. 379.

Zwangkrüge, Zwangmühlen &c. privilegiis potius quam servitutibus annumerantur. 189.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Neumann, Johann Friedrich Wilhelm von

Joh. Frid. Wilh. De Neumann, in Wolfsfeld, Consiliarii Brandenburgico-Anspacensis, Reale Principum Jus Sive De Dominio Et Servitute, Pignore Et Hypotheca, Possessione Et Præscriptione, Dote Et Dotalitio Illustri Commentatio

Francofurti ad Moenum 1752

4 J.publ.g. 851-4/6
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10516489-3
VD18 90192699